ACADÉMIE ROYALE

DES SCIENCES, DES LETTRES ET DES BEAUX-ARTS DE BELGIQUE.

COMMISSION ROYALE D'HISTOIRE.

MM. Le baron De Gerlache, Président.
Gachard, Secrétaire et Trésorier.
Le chanoine De Ram.
Le chanoine De Smet.
Du Mortier.
Bormans.
Borgnet.

CHRONIQUE

DES

DUCS DE BRABANT,

PAR

EDMOND DE DYNTER,

(EN SIX LIVRES),

PUBLIÉE D'APRÈS LE MS. DE CORSENDONCK, AVEC DES NOTES ET L'ANCIENNE TRADUCTION FRANÇAISE DE JEHAN WAUQUELIN;

PAR

P. F. X. DE RAM,

Recteur magn. de l'Université cath. de Louvain, membre de la Commission royale d'histoire.

TOME II,

Comprenant les livres IV et V.

BRUXELLES,

M. HAYEZ, IMPRIMEUR DE L'ACADÉMIE ROYALE DE BELGIQUE.

—

1854.

CHRONICA

NOBILISSIMORUM DUCUM

LOTHARINGIAE ET BRABANTIAE

AC REGUM FRANCORUM,

auctore

MAGISTRO EDMUNDO DE DYNTER,

IN SEX LIBROS DISTINCTA,

AD FIDEM COD. MS. KORSENDONCANI COLLAT. CUM ALIIS CODD. MSS. EDIDIT AC GALLICA JOHANNIS WAUQUELIN
VERSIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

PETRUS FRANC. XAV. DE RAM.

TOMUS II,

Complectens Libros IV et V.

BRUXELLIS,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA M. HAYEZ, ACADEMIAE REGIAE TYPOGRAPHI.

—

MDCCCLIV

EDMUNDI DYNTERI CHRONICON.

LIBER QUARTUS.

INCIPIT EPYLOGUS LIBRI QUARTI HUJUS CRONICE.

Subsequitur liber quartus, in quo, gratia michi annuente divina, describere curabo gesta nonnullorum summorum tam verorum quam pseudo sancte Romane ecclesie pontificum; necnon imperatorum atque regum Romanorum, usque ad Wilhelmum comitem Hollandie Romanum regem inclusive; necnon ducum Lotharingie, de genere comitum Ardenne, comitumque Lovaniensium et Bruxellensium, similiter et ducum Lotharingie et Brabantie, de stirpe tam Troyanorum quam Pipini et Karlentium descendentium, cum diversis incidentibus, usque ad Johannem hujus nominis tripharium, ducem primum scilicet hujus nominis Lotharingie, Brabantie et Lymburgie : sub correctione cujuslibet melius sentientis.

INCIPIT PROLOGUS LIBRI QUARTI, ET PRIMO DE TRIBUS GENEALOGIIS REGUM FRANCORUM.

De prima genealogia.

Quia ex suprascriptis gestis Francorum, Romanorumque imperatorum et regum Germanorum atque Lotharingorum, necnon ducum Austrie inferioris, que postea dicta est Lotharingia, dehinc eciam Brabancia, et diversis aliis cronicis, in Francorum regibus tres genealogie colliguntur

regnasse, idcirco illas repetere statui. Prima itaque, descendens de Troyanis, incepit a Priamo primo rege Francorum, anno Domini CCC° LXXXI°, et duravit annis trecentis LXIX, usque ad Childericum, Troyanorum sive Merovingorum prosapie regem ultimum, anno DCC° L°.

De secunda genealogia.

Secunda vero incepit, anno DCC° LI°, a Pipino, duce Austrie inferioris sive Brabancie et Majore domus, anno principatus sui octavo : qui quidem Pipinus fuit pater sancti Karoli Magni, Francorum regis et Romanorum imperatoris, postquam ipse Pipinus et ejus progenitores, duces scilicet Brabancie et Majores domus, usque ad ejusdem Pipini unctionem in regem, tamquam Majores domus super reges Francorum rexerant per annos LXXXVIII. Que quidem generatio duravit per annos ducentos LXXXVIII, scilicet usque ad Ludovicum quintum, filium Lotharii regis, inclusive, qui in ista secunda genealogia fuit ultimus rex Francorum, in quo terminata fuit et defecit progenies Pipini et Karlentium, sub anno Domini DCCCC° LXXXVIII°. Quarum quidem duarum genealogiarum, Troyanorum sive Merovingorum scilicet, et Pipinorum et Karlentium, historie in suprascriptis primo et secundo libris clare patent ipsas intuenti, legenti et intelligenti.

De tercia genealogia.

Tercia vero genealogia incepit ab Hugone dicto Capet, qui a dicto regno domino suo et consobrino, scilicet Karolo duce Lotharingie et Brabancie, patruo dicti regis Ludovici et fratre Lotharii, ejusdem regis Ludovici patris, expulso, prescriptum regnum Francorum contra preceptum Romane ecclesie, que omnes invasores ejusdem regni anathematizaverat, injuste invasit. Qui quidem Karolus dux obiit anno DCCCC° XCI°, sed quia Scriptura de Deo dicit, quod ipse immutat tempora et transfert regna, idcirco hoc judicio Dei relinquo. Que quidem tercia generatio duravit annis ducentis XXXV, usque ad Philippum hujus nominis regem tercium [1] inclusive, qui duxit uxorem Elysabeth nomine, filiam Balduini

[1] Lege *secundum* (*Philippe-Auguste*).

comitis Hannoniensis, de genere Karlentium descendentem : ex qua ipse Philippus rex tercius genuit Ludovicum regem octavum, qui fuit pater sancti Ludovici regis noni. A quo Ludovico octavo, et ex tunc in antea, isti duo tribus Pipini et Karlentium, atque comitum Parisiensium, mixtim regnaverunt, et regnant usque in diem hodiernum. Supradictus vero Balduinus descendit ex Ermingarde comitissa Namurcensi, filia ducis Karoli sepefati, et sic constat regnum Francorum in predicto rege Ludovico octavo ad progeniem Karlentium fuisse reductum. Et est notandum, quod in supradicto tercio libro scribitur a sancto Walerico prelibato Hugoni regi dicto Capet fuisse revelatum, quia corpus suum et sancti Richarii in loco pristino, unde fuerant translati, honorifice fecit recollocari, quod ipse in regno Francorum et sui successores usque in septimam generationem regnarent[1] : quod completum est in Philippum regem tercium suprascriptum. In premissis patenter ostenditur regni translationem factam fuisse Dei ordinatione et voluntate.

Sequuntur nonnulla pro enucleatione historie succincte hujus quarti libri.

Est signanter notandum quod, sicut in supradictis primo et secundo libris, et in aliis cronicis Francorum et Brabancie, regum Francorum, qui Merovingi dicti sunt, genealogie, et eorum gesta, ac in parte genealogie atque gesta ducum Lotharingie et Brabancie, qui ex ipsis descenderunt, describuntur, inter cetera canitur qualiter sanctus Arnulphus, pater Ansigisi ducis, qui duxit in uxorem Beggam, filiam ducis Pipini de Landen, primi, inquam, ducis Austrie inferioris, que postea dicta est Lotharingia, dehinc etiam Brabancia, ut premittitur, sororem sancte Gertrudis, eundem Arnulphum filium suum benedixit, et progeniem ejus, de ipsis prophetando, quod essent futuri reges Francorum hereditarii et imperatores Romanorum excellentissimi. Et factum est ita. Hec autem benedictio cum unctione descendit in sanctam et nobilissimam prosapiam ducum Austrie et Lotharingie sive Brabancie predictorum : quorum generatio et gloria

[1] Vid. supra, t. I, p. 525, et cfr. Jacobi Guisii *Annales Hannoniae*, lib. XIV, cap. 42.

non derelinquetur in secula: nam Sancti multi et Sancte procreati sunt ex ea.

Constat eciam per easdem cronicas, quod a tempore Karlomanni de Landen, principis Brabancie et Hasbanie, patre predicti Pipini de Landen, Majoris domus, necnon Austrie, Lotharingie sive Brabancie ducis primi, et successorum ipsius in eodem ducatu citra usque ad presens tempus, scilicet usque ad illustrissimum principem et dominum, dominum Philippum, Dei gratia Burgundie, Lotharingie, Brabancie et Lymburgie ducem, necnon Flandrie, Arthesie, Burgundie, Palatine, Hannonie, Hollandie, Zelandie et Namurcensis comitem, Sacrique Imperii marchionem, atque Frisie, de Salins et Mechlinie dominum, dominum meum graciosum, sub presenti anno incarnationis dominice M° CCCC° XLV° principantem[1], preclara generatio ducum hucusque nunquam defecit, sed semper fuit ipsorum successio continuata atque propagata in posteros, recta line descendendo: inter quos quidem Pipinum primum et Philippum modernum predictum effluxerunt anni septingenti XCVI[2].

De varietate quinque statuum principum nobilissime domus sive prosapie Lotharingie et Brabancie. Et primo de primo statu.

Verumptamen status ipsorum ducum per succedencia tempora fuit quinque modis sive quinque vicibus variatus. Nam primo fuerunt duces, per annos fere LXXXIII, videlicet a prelibato duce primo Majore domus, Pipino de Landen, usque ad Pipinum Parvum, primo ducem deinde regem primum sepefatum. Genuit autem ipse Pipinus dux primo Grimoaldum et Beggam; Grimoaldo autem sine liberis defuncto, successit Begga soror ejus, quam duxit in uxorem Ansigisus causa ejus dux, secundus filius sancti Arnulphi predicti, qui ex eadem genuit Pipinum Grossum, alias de Harstallio, ducem tercium; Pipinus autem Grossus genuit Karolum Martellum ducem quartum; Karolus autem Martellus genuit Pipinum Parvum ducem quintum, hujus stripis regem primum.

[1] Liquet itaque Dinterum anno 1445 quartum hunc operis sui librum congessisse.

[2] In codice Johannis Miræi et aliis additur: *Quem* (scilicet Philippum Bonum, Burgundiæ ducem) *dominus Deus ad honorem sui nominis et harum provinciarum utilitatem diu incolumem pro sua immensa et inexhausta munificentia servare dignetur.*

De secundo statu nobilissime domus sive prosapie Lotharingie et Brabancie.

In secundi vero status varietate sive mutatione aliqui ipsorum fuerunt reges, aliqui imperatores Romanorum : qui duravit per annos ducentos LXXXVIII, scilicet usque ad Ludovicum quintum, filium Lotharii regis, qui in ista genealogia fuit ultimus rex. Pipinus autem, dux quintus et rex primus, genuit Karolum Magnum, regem et imperatorem; Karolus autem Magnus genuit Ludovicum Pium regem et imperatorem; Ludovicus autem Pius genuit Karolum Calvum, regem et imperatorem; Karolus autem Calvus genuit Ludovicum Balbum, regem; hic autem Ludovicus genuit Karolum Simplicem, regem; Karolus autem Simplex genuit Ludovicum regem: hic autem Ludovicus genuit Lotharium regem Francorum, et Karolum ducem Lotharingie et Brabancie; Lotharius autem rex genuit Ludovicum ultimum regem. Quo mortuo, anno ejus regni primo nondum completo, Hugo dictus Capet, comes Parisiensis, contra dominum et consobrinum suum ducem Karolum predictum, usurpat sibi regnum Francorum : in quo corruit progenies Pipini et Karlentium, et defecit in regno amplius regnare, prout hec eciam, una cum gestis eorundem ducum, imperatorum atque regum, necnon imperatorum atque regum Romanorum, Germanorum sive Theutonicorum, tam de progenie Karlentium quam aliorum, usque Ottonem imperatorem tercium inclusive, clare patent in libro primo et secundo suprascriptis.

De tercii status varietate nobilissime domus sive prosapie Lotharingie et Brabancie.

In tercii vero status varietate iterum fuerunt duces, scilicet Karolus frater Lotharii et patrui Ludovici, ultimi regum predictorum. Qui quidem Karolus dux rexit annis XXIX, et filius ejus Otto, qui sibi in ducatu Lotharingie et Brabancie successit, annis XIIII. Hic Karolus obiit anno Domini DCCCC° XCI°, Ottonis vero tercii anno VIII°. Et Otto dux, filius Karoli, qui incepit post patrem regere sive principari sub eodem Ottone

tercio, obiit sub Heinrico primo, imperatore Romanorum et rege Germanorum secundo, infrascripto anno M° VI°. Et sic iste tercius status duravit annis quadraginta et octo.

De quarti status varietate nobilissime domus sive prosapie Lotharingie et Brabancie, scilicet de ducibus translatis in comites.

Pro declaratione hujus quarti status, de ducibus scilicet, regibus et imperatoribus in comites translatis, est sciendum quod, sicut diversis in locis superius notatur, sepefatus Karolus dux Lotharingie, possessor Brabancie et heres Francie, qui principale domicilium suum tenuit in Bruxella, inter duo brachia fluminis Zenne, prope sancti Gaugerici capellam, genuit ex filia comitis Trecarum Ottonem, Ermergardem et Gerbergam. Que quidem Gerberga nupsit Lamberto comiti Lovaniensi, viro bellicoso, qui fuit filius Reyneri Longi Colli comitis Montensis, alias Hannoniensis, et frater Reyneri Hannoniensis comitis: per quos preclarissima Pipini et Karlentium successio extitit propagata sive continuata in posteros suos, principes scilicet Lotharingie et Brabancie, recta linea descendentes usque in hodiernum diem. Ermengardis quoque duxit in virum Albertum comitem Namurcensem, de quibus processit Balduinus comes Hanroniensis, per cujus generationem stirps Karlentium et comitum Parisiensium in regno Francie mixtim regnantium dignoscitur conjuncta.

De ducibus Lotharingie ex genere Ardennensium descendentibus.

Mortuo autem Ottone duce sine liberis, qui patri suo successerat in ducatu Lotharingie, quia mares heredes non habuit, ducatus ejus per Heinricum, hujus nominis Romanorum imperatorem primum et regem Germanorum secundum, datur Godefrido comiti Virdunensi, filio comitis Godefridi Ardennensis, anno M° VI°; cujus successio in eodem ducatu sequitur et est talis. Godefridus comes Virdunensis, filius Godefridi comitis Ardenne, qui primus sue stirpis dux fuit Lotharingie ex collatione imperatoris: quia obiit sine liberis, successit sibi in dicto ducatu Gocelo frater

ejus, cujus filiam Odam nomine Lambertus, hujus nominis comes Lovaniensis secundus [1], duxit in uxorem. Defuncto autem duce Gocelone, sibi successit Godefridus filius suus, qui genuit Godefridum Gibbosum et Ydam filiam. Godefridus Gibbosus successit patri suo in ducatu predicto: Ydam vero sororem suam duxit Eustachius secundus comes Bononiensis, qui ex eadem Yda genuit Godefridum de Bullione, postea ducem Lotharingie et regem Jherusalem, et fratres ejus. Hic autem Eustacius secundus fuit filius Eustacii primi comitis Bononiensis ex Mechtilda, filia Heinrici Senis [2], hujus nominis primi comitis Lovaniensis [3], cujus mater fuit Gerberga, filia ducis Karoli suprascripti : et sic constat Godefridum de Bullione ducem Lotharingie de genere Karoli Magni eciam descendisse [4].

De comitibus Lovaniensibus.

Porro ex eadem Gerberga, post obitum Ottonis ducis, fratris sui supradicti, tam regno quam ducatu spoliata [5], et causa conjugii Lovaniensem et jure successionis hereditarie Bruxellensem comitatus cum eorum pertinentiis solummodo obtinente, genuit Lambertus comes Lovaniensis, maritus ejus, Heinricum, hujus nominis primum comitem Lovaniensem et Bruxellensem et marchionem imperii. Heinricus autem genuit Baldricum, alias Lambertum cum Barba [6], secundum hujus nominis comitem et marchionem [7], et Machtildem, ex qua processit Godefridus de Bullione, ut suprascriptum est. Baldricus autem, alias Lambertus, qui transtulit sanctam Gudulam de capella sancti Gaugerici in ecclesiam majorem Bruxellensem, et fundavit

[1] Lambertus-Baldericus, frater Henrici Senioris, hujus nominis secundus, ordine autem *quartus* comes Lovaniensis, ab anno 1046 ad annum 1063. Vide *Recherches sur l'hist. des comtes de Louvain*, p. 37.

[2] Seu *Henrici Senioris*, filii Lamberti Barbati, primi comitis Lovaniensis, ab anno 976 ad annum 1015. Vide *op. cit.*, p. 9 et seqq.

[3] Ordine secundus comes Lovaniensis, ab anno 1014 ad annum 1044. Vide *op. cit.*, p. 29 et seqq.

[4] *Mechtildam* seu *Mathildem*, Godefridi Bullonii aviam, filiam fuisse Henrici Senioris, secundi comitis Lovaniensis, probatur in *op. cit.*, p. 34.

[5] Vide *op. cit.*, p. 24 et seqq.

[6] Lambertus-Baldericus erat filius Lamberti cum Barba et Gerbergae, itaque germanus Henrici Senioris frater. Vide *op. cit.*, p. 37.

[7] Ordine quartus comes; tertio enim comite Ottone (Henrici Senioris filio) in tenera aetate defuncto, patruus ipsius Lambertus-Baldericus successit anno 1046. Vide *op. cit.*, p. 37.

in ea ecclesia XII prebendas, ad quas contulit decimas ibidem et multa alia bona, atque in ecclesia sancti Petri Lovaniensis VII prebendas, genuit ex Oda, filia ducis Gocelonis suprascripti, Heinricum, hujus nominis secundum comitem et marchionem. Heinricus autem secundus genuit Heinricum tercium, comitem et marchionem; Heinricus autem tercius genuit Heinricum quartum, comitem et marchionem, et Godefridum cum Barba, hujus nominis primum ducem, comitem et marchionem, qui fratri suo Heinrico, Tornaci qui in armis sive torneamento interiit, sine liberis decedenti in dictis comitatu et marchionatu successit [1]. Habuerat idem Heinricus eciam unam filiam, quam duxerat in uxorem Fredericus, primus hujus nominis Romanorum imperator, que obiit ante patrem [2]. Et sic est finis quarti status nobilissime domus Brabancie prelibate.

De quinti et ultimi status varietate nobilissime domus sive prosapie Brabancie, de comitibus in duces.

Quinti autem supradicte nobilissime domus sive prosapie Brabancie status varietas sive mutatio, de comitibus scilicet et marchionibus in duces, incepit *anno* incarnationis dominice M° C° VI°, a jam dicto Godefrido hujus *nominis* primo duce Lotharingie, comite Lovaniensi ac Sacri Imperii marchione, de preclarissima progenie Pipini et Karlentium descendente. Dico notanter « de propagine Karlentium descendente », ad differenciam Godefridi Ardennensis, qui a genere Karlentium fuit alienus. Felix autem hujusmodi nobilissime domus sive prosapie Brabancie status, Deo propicio perpetuo duraturus, cujus successio recta linea dignoscitur propagata atque continuata, in posteros suos descendendo, cum incrementis prosperis et votivis, duravit usque ad metuendissimum dominum meum, dominum Philippum, Dei gratia Burgundie, Lotharingie, Brabantie et Lymburgie ducem modernum supradictum; cujus predecessorum, per quos successio est propagata sive continuata, nomina, incipiendo a Pipino de Landen Majore

[1] Godefridus Barbatus anno 1096 successit fratri suo *Henrico tertio*. Erant illi, et Henricus tertius, qui vulgo *Junior* dicitur, et Godefridus Barbatus filii Henrici secundi; et nullo quidem nititur argumento exstitisse Lovaniensem comitem aliquem Henricum *quartum*. Vide *op. cit.*, pp. 46 et 57.

[2] Vide *op. cit.*, p. 57.

domus et primo hujus propaginis duce, usque ad eundem dominum meum, dominum Philippum predictum, sunt hec sub forma sequenti.

Generatio ducum Lotharingie et Brabancie.

Pipinus autem, filius Karlomanni, principis Brabancie et Hasbanie, Major domus et dux primus Austrasie inferioris, que de post Lotharingia, dehinc eciam Brabancia est vocata, genuit Beggam; ex qua Ansigisus, filius Arnulphi, filii Arnoldi, filii Ausberti ex Blicilde, filia Lotharii Magni Francorum regis, genuit Pipinum secundum, alias Grossum sive de Harstallio. Pipinus autem secundus genuit Karolum Martellum; Karolus autem Martellus genuit Pipinum tercium sive Parvum; Pipinus autem Parvus, hujus stirpis rex primus, genuit Karolum Magnum. Karolus autem Magnus genuit Ludovicum Pium; Ludovicus autem Pius genuit Karolum Calvum; Karolus autem Calvus genuit Ludovicum Balbum; Ludovicus autem Balbus genuit Karolum Simplicem; Karolus autem Simplex genuit Ludovicum; Ludovicus autem genuit Lotharium regem et Karolum ducem; Karolus autem dux et heres Francie genuit Gerbergam. Ex Gerberga autem Lambertus comes Lovaniensis genuit Heinricum primum, comitem et marchionem imperii; Heinricus autem Baldricum, alias Lambertum cum Barba[1]; Lambertus autem cum Barba genuit Heinricum secundum[2]; Heinricus autem secundus genuit Heinricum tercium; Heinricus autem tercius comes et marchio, genuit Godefridum cum Barba, hujus nominis ducem primum[3]. Godefridus autem primus genuit Godefridum secundum ducem; Godefridus autem secundus genuit Godefridum tercium ducem; Godefridus autem tercius genuit Heinricum primum ducem; Heinricus autem primus genuit Henricum secundum ducem; Heinricus autem secundus genuit Heinricum tercium; Heinricus autem tericus genuit Johannem primum; Johannes autem primus genuit Johannem secundum; Johannes autem

[1] Henricus Senior genuit Ottonem.

[2] Non quidem Lambertus cum Barba, sed Lambertus-Baldericus (frater Henrici Senioris) genuit *Henricum secundum.*

[3] Hoc loco ipsemet Dinterus e serie comitum Lovaniensium expungit *Henricum quartum*, per peram a nonnullis excogitatum. In eo tamen errat quod Godefridum cum Barba, Henrici tertii seu junioris fratrem, filium ipsius crediderit.

secundus genuit Johannem tercium; Johannes autem tercius genuit Margaretam. Ex qua Ludovicus comes Flandrie genuit Margaretam; ex qua Philippus quondam Francorum regis filius, dux Burgundie, genuit Johannem et fratres ejus; Johannes autem genuit Philippum ducem modernum sepedictum, quem Omnipotens ad regnum suarum dicionum feliciter et longeve conservare dignetur, cum incrementis prosperis et votivis, ad honorem Dei et profectum nationum sibi subditarum. Amen.

Et est sciendum quod inter Godefridum cum Barba, primum ducem quinti status, qui incepit anno M° C° VI°, usque sepefatum graciosum dominum meum, dominum Philippum modernum, sub anno Domini M° CCCC° XLV° principantem, effluxerunt anni CCC XXXIX; inter memoratum Pipinum primum et eundem dominum Philippum modernum anni septingenti nonaginta sex: necnon inter Priamum primum regem Francorum et jam dictum dominum Philippum modernum anni mille viginti septem.

Et hic est finis quinque statuum nobilissime domus sive prosapie Pipini et Karlentium, qui usque ad presens tempus eidem domui sive prosapie prefuerunt: sub correctione cujuslibet melius sentientis.

Explicit prologus, incipiunt capitula libri quarti hujus cronice[1].

De Heinrico duce Bavarie, hujus nominis rege secundo et imperatore primo, cum nonnullis incidentibus.

[1] In MS. cod. Joannis Miræi et aliis recentioribus Liber quartus hisce quindecim tantum capitulis distinguitur:

I. *De Henrico duce Bavariae, hujus nominis imperatore secundo.*

II. *De translatione ducatus Lotharingiae.*

III. *De imperio Conrardi secundi imperatoris.*

IV. *De imperio Henrici tertii.*

V. *De imperio Henrici quarti.*

VI. *De Henrico quinto imperatore.*

VII. *De Lothario secundo imperatore.*

VIII. *De regno Conrardi tertii imperatoris.*

IX. *Confirmatio praepositurae de Mersen.*

X. *De electione et imperio Frederici.*

XI. *De imperio Henrici sexti.*

XII. *Qualiter post obitum Henrici sexti Ottho comes Pictaviae, filius Henrici quondam ducis Saxoniae, et Philippus dux Sueviae, filius quondam Frederici primi, et frater Henrici sexti imperatorum, fuerunt per principes in discordia electi; verum imperium obtinuit Philippus.*

XIII. *Qualiter Philippus dux Sueviae in regem Romanorum contra Otthonem eligitur et confirmatur.*

XIV. *De caronatione regis Frederici secundi.*

XV. *De electione Guilielhmi comitis Hollandiae in regem Romanorum.*

Aliam longe pleniorem capitulorum seriem adscribendam esse duxi, ut scilicet rudis et indigesta rerum moles lectorem non offendat.

De translatione ducatus Lotharingie, etc., et de Gerberga filia Karoli ducis ac Lamberto comite Lovaniensi, ejus marito.

De bello apud Hugardum inter Lambertum comitem Lovaniensem et episcopum Leodiensem conserto.

De bello apud Florinas, in quo Lambertus comes Lovaniensis occubuit, ubi mira res contigit; cui successit Heinricus ejus filius.

De quodam bello in Frisia conserto.

De morte Heinrici imperatoris et ejus sepultura atque canonizatione.

De imperio Conrardi regis secundi et imperatoris primi, cum multis incidentibus illius temporis, et inter alia de quodam decreto ab episcopis Francie dato et postea revocato.

Qualiter regnum Burgundie datur Conrardo imperatori.

De morte Heinrici comitis primi[1], cui succedit Baldericus, alias Lambertus, filius[2] suus.

De nativitate Heinrici regis tercii et imperatoris secundi.

De imperio predicti Heinrici imperatoris secundi, et multis incidentibus illius temporis, et presertim de multis viris et pseudo summis pontificibus, et ibi eciam de depopulatione et magna cede per eundem Heinricum imperatorem in Flandria, ubi per ipsum Heinricum in bello prope Tornacum Lambertus comes Lovaniensis[3] perimitur, cui succedit Heinricus secundus filius suus.

De Heinrico, rege quarto imperatore tercio, qui mortuo suo patre sibi succedit in imperio, cum multis incidentibus, et specialiter de controversia inter predictum Heinricum imperatorem et Gregorium papam, qui contra Heinricum promovit ad imperium quendam Radulphum, necnon de jurgio inter servitores archiepiscopi Maguntinensis et abbatis Fuldensis, ubi mira res accidit.

De exordio Haffliginensis[4] cenobii.

Tenor epistole imperatoris Heinrici misse episcopo Virdunensi.

De dedicatione cenobii Haffliginensis.

De passadio transmarino, et sex bellis ibi consertis.

De morte Godefridi ducis Lotharingie et regis Jherusalem.

[1] *Primi* quidem nomine, sed ordine *secundi*.

[2] Lege *frater*.

[3] Lege *Lensensis*; vid t. I, p. 555, note 4.

[4] Alias *Affligemiensis*.

Excerptum epistole directe Heinrico imperatori a Warnero principe Anchonicano.

Qualiter Heinricus filius imperatoris, contra jus nature et fas legum in patrem insurgens, quam indigne eum tractaverit, declarat epistola ex ore ipsius patris scripta ad Philippum regem Francorum.

Heinricus imperator moritur Leodii, cui successit filius equivocus.

De imperio Heinrici regis quinti et imperatoris quarti, et ibi, qualiter Heinricus dux Lymburgensis per ipsum imperatorem privatur ducatu Lotharingie sibi per Heinricum imperatorem tercium collato, qui datur Godefrido cum Barba comiti Lovaniensi.

Qualiter Heinricus Lymburgie exdux, affectans ducatum Lotharingie repetere, occupat oppidum Aquisgrani, quod Godefridus cum Barba expugnat.

Tenor privilegii pape, de investitura episcopatuum concessa Heinrico regi, futuro Romanorum imperatori.

Qualiter multa mala venerunt propter peccata hominum que sequuntur.

Tenor litere per quam papa concedit imperatori, inter alia, quod clerici etc., regalia ab ipso recipiant.

Rescriptum Heinrici imperatoris, in quo dimittit ecclesie investituram.

De morte Heinrici regis quinti et imperatoris quarti.

Qualiter mortuo Heinrico imperatore eligitur in regem Lotharius dux Saxonum.

De bello apud Duracium, alias *Duras,* inter ducem Brabancie et episcopum Leodiensem.

Approbatio fundationis abbacie Parchensis.

De quibusdam donationibus factis per ducem Godefridum Brabancie ecclesiis sive abbaciis Gemblacensi, de Bigerden, et ecclesie sancti Petri Lovaniensis, atque ecclesie Parchensi.

Qualiter Lotharius coronatur in imperatorem ab Innocencio papa, quem in sedem recollocat.

De guerra inter Brabancie *ducem* et comitem Namurcensem.

Post mortem Lotharii Conrardus Suevus eligitur in regem, et sequitur incidens quod tangit preposituram de Mersen.

Moritur dux Godefridus primus cum Barba, cui succedit Godefridus filius suus.

De rebellione ducis Limburgie contra Godefridum Lotharingie ducem secundum.

Et ibi qualiter dux Lotharingie cepit oppidum Sancti Trudonis et deinde ingreditur Aquisgrani.

Incidens de castro Bullione.

Moritur dux Godefridus secundus; succedit filius ejus equivocus, puer unius anni, cui Conrardus rex concessit quidquid beneficii vel honoris antecessores ejus habuerunt de manu imperatoris.

De bello Grimbergensi (*sed infra clarius habetur in gestis Frederici primi*).

Confirmatio Conrardi regis pro abbate sancti Remigii Remensis, que concernit preposituram de Mersen, prout in litera desuper confecta.

Qualiter dux Lotharingie, pro tempore dominus Lovanie exstans, constituitur advocatus omnium ecclesiarum, etc., per Conrardum regem Romanorum secundum. Et immediate sequuntur aliqua tangencia advocatiam duci Brabancie concessam.

De certis donationibus factis per Godefridum ducem tercium abbacie Forestensi.

Qualiter Conrardus rex a sancto Bernardo crucis caractere insignitur, et ibi de passadio ultramarino cum Ludovico rege Francorum.

Conrardus rex, postquam de partibus ultramarinis rediret, moritur; cujus tempore floruit sancta Hildegardis prophetissa.

Incidens de Domina Nostra de Wavera.

De electione et imperio Frederici primi.

Confirmatio abbacie sancti Remigii Remensis ad opus preposituræ de Mersen, et sequitur confirmatio pro ecclesia Leodii.

De matrimonio Godefridi ducis tercii, et de pace facta inter ipsum et Heinricum *ducem* Lymburgię.

De bello Grimbergensi, et ibi de causa originis istius belli, et quod inde secutum est.

Qualiter filii domini Walteri Berthout petunt remissionem de commissis, et terre Grimbergensis restitutionem.

Qualiter dicti filii se submiserunt ordinationi ducis.

Pronunciatio domini ducis.

De divisione et pacificatione facta inter fratres Walterum seniorem et Gerardum juniorem.

Qualiter post obitum Heinrici sexti Otto, filius Heinrici quondam ducis Saxonie, et Philippus dux Suevie, filius quondam Frederici primi, et frater Heinrici sexti imperatoris, fuerunt per principes electores in discordia electi.

Qualiter Theodericus comes Hollandie a duce Heinrico Lotharingie et Brabancie relevavit in feudum Dordrecht et terram Zuythollandie sitam inter Mosam et Scaldam.

De pace reformata inter Heinricum ducem predictum et Ottonem comitem Gelrie, facta Trajecti super Mosam in presencia Ottonis Romanorum regis.

De confederatione facta inter Adolphum archiepiscopum Coloniensem et Heinricum ducem predictum.

De quadam compositione inter predictum Heinricum ducem Lotharingie et Ottonem comitem Gelrie apud Lovanium facta.

Sequitur alia compositio inter ducem et comitem antedictos.

De duobus millibus et quingentis marcharum, quas Otto comes Gelrie duci Heinrico persolvit ob causam, etc.

Qualiter Philippus, in regem Romanorum in discordia contra Ottonem electus et coronatus, veniens Aquisgranum, in presencia principum electorum renunciavit juri per electionem ad imperium sibi competenti, ab omnibus electoribus concorditer reeligitur in regem, et per Adolphum archiepiscopum Coloniensem in regem consecratur, et coronatur cum Maria uxore sua, etc. Et ibi de tribus filiabus regis; qualiter archiepiscopus Coloniensis fuit propterea per Innocencium papam tercium excommunicatus et privatus.

De privilegio per Philippum secundum Romanorum regem Heinrico duci Lotharingie Confluencie concesso, et de homagio per ipsum ducem regi facto. Et ibi de filiabus, etc.

De confederatione inter Theodericum archiepiscopum Coloniensem et Heinricum ducem predictum.

Philippus rex depopulatur dyocesim Coloniensem, et qualiter occiditur.

Philippo rege occiso, Otto per principes declaratur in regem.

De quadam sentencia per principes pro abbatissa Nyvellensi lata.

Qualiter ad monitionem ducis Heinrici Philippus marchio Namurcensis, de mandato heredum comitis Flandrie, eidem duci fecit homagium de terra de Alost.

Item hic Heinricus rex septimus concedit Heinrico duci Lotharingie et Brabancie omnia bona, que Philippus secundus Romanorum rex, in solempni curia apud Confluenciam, et postmodum Fredericus pater suus, in solempni curia apud Franckfordiam, concesserit eidem.

De sentencia lata pro duce Lotharingie et Brabancie, que facit mentionem inter alia de feudis, et de tutela parvulorum usque ad duodecimum annum.

Qualiter dux Heinricus certa bona allodialia contulit ecclesie Coloniensi, que Engelbertus ejusdem ecclesie archiepiscopus dicto duci concessit in feudum.

De discordia inter Fredericum imperatorem secundum et Honorium papam tercium orta, et per Gregorium papam nonum cum anathemate renovata. Et ibi, qualiter idem Fredericus fecit legatos pape et plures prelatos, quos dictus Gregorius papa ad concilium generale advocaverat, per Pisanos capi, prout in littera dicti imperatoris, cujus tenor inferius est insertus.

De quadam victoria per capitaneos Frederici contra Mediolanenses obtenta.

Qualiter Gregorius papa nonus ab imperatore Frederico obsidetur in urbe Romana.

Dux Heinricus confirmat ecclesie Everbodiensi curtem de Steresele.

Dux Heinricus dat conventui de Camera tres libras Lovanienses annuatim pro alecibus, et similiter novem bonaria silve jacentia ante curiam de Lantsrode.

Rex Francie scribit Frederico imperatori super captione prelatorum regni Francie.

Confirmatio Heinrici Romanorum regis pro abbacia Nyvellensi.

Quod Heinricus major filius ducis possit occupare bona, si pater suus aliqua ad manus transferret alienas.

Qualiter Heinricus Coloniensis archiepiscopus duci Lotharingie contra quoscunque in jure suo assistere promisit.

Privilegium pro incolis de Buscoducis.

De piscatura in flumine de Zenna concessa sororibus beate Marie de Humbeke.

De victoria Heinrici, majoris filii Heinrici ducis Lotharingie et Brabancie, contra Stadingos.

INCIPIT LIBER QUARTUS HUJUS CRONICE.

De Heinrico duce Bavarie, hujus nominis imperatore primo et rege secundo. Cap. I.

1003. Anno M° III° Heinricus dux Bavarie [1], qui fuit genitus ex Heinrico fratre primi Ottonis imperatoris, Ottone tercio absque liberis defuncto, a principibus Germanie, absente sancto Hereberto Coloniensi archiepiscopo, eligitur in regem Romanum, in imperatorem postea promovendum: inungitur Aquisgrani in regem, in absencia dicti Hereberti, a Willigiso archiepiscopo Maguntinensi [2], et annis XXIIII regnavit et mensibus V, duodecim vero annis sub nomine regis, et duodecim dignitate et nomine imperatoris: nam XIII° vel XIIII° regni sui anno Romam veniens a papa Benedicto VIII° imperiali benedictione sublimatus est. Hic beatum Herebertum diu suspectum habuit, videlicet quod primo electionis sue tempore imperii insignia secus se habentem ei cum dilatione concesserit, et quod in alterum dyadema transferre temptaverit, et quod optimatum in hoc unanimitati resisteret, et si ad modicum voluerit, tamen omnino non voluit. Mansit ergo inter servos Dei simulate pacis longa discordia, et major a minore plus justo portabatur inveterata paciencia, quod ab eo crebra premeretur contumelia, imponendo dona et mandata ad rem non pertinencia. Ad ultimum Coloniam nimium eidem iratus devenit, quem officiosissima vir Dei assumptione excepit: proposuerat enim severius eum arguendum, et, ut

[1] Scilicet sanctus Henricus, ejus nominis *secundus*.

[2] Cfr. Sigebert. ad an. 1002.

sibi videbatur, certe infidelitatis eum affligendum. Cum imminente nocte soporato Cesari persona sacerdotalibus infulata terribilis apparuit, et eum cum auctoritate, ne quidquid ulterius in servum suum Herebertum moliretur, interminando exterruit. In castro igitur sedit Augustus, ex industria gravi facie, et per internuncios exigens immensam pecuniam a beato presule Domini, corde laudabat quod ex ignorancia sua et indiscretione meruerit liberari, et condignum celis sacerdotem didicerit venerari. Instabant autem, qui in multis falsis accusarent eum instanter; et vir Dei, non amplius ferens persecutionis hujus flagellum, suffusus lacrimis ingreditur ad principem, coram eo conquerens passionis sue morosam intemperiem, delictum suum in eum se nescire, neminem sibi id posse objicere et ex vero diffinire : sacius sibi reliquo presulatu abstinere, quam tot malis urgeri et nunquam requiem habere. Ad hec Augustus de throno prorumpit, et in amplexus ipsius exosculando reverenter incumbit; se reum, depravatum iniquorum consilio confitens, et commissi veniam suppliciter expetens. Tunc trino federantur osculo sub Trinitatis testimonio, adversariis suis erubescentibus et per pronam fugam dilitescentibus; deinde viri Dei suo juxta se componuntur solio, utiliter summa tractantes super statu et imperii negocio. Eadem nocte, expletis matutinorum vigiliis, beatus Herebertus solus pernoctabat in psalmorum et orationum excubiis, cum imperator, clerico uno comite, oratorii ostium pulsat, et aperto sibi silenter solus subintrat. Duobus in unum ita positis imperator clamidem abjicit, remotis arbitris pedibus sancti Hereberti advolvit : se peccasse, se reum prosequitur; erroris memoriam remittat, serio sciens, quod neque in eum deinceps aliquam suspicionem habeat, neque alicujus accusationem admittat. Erigit prospere presul a terra dominum; stupet humilitatis ejus animum et habitum, protestatus hesternam reconciliationem suffecisse, vestigia in se preterite offensionis nulla resedisse. Addidit eciam post discessionem ab invicem ulterius se non visuros.

Hic etiam anno M° quarto in regni sede sublimatus, potentiores regni 1004
viros bello sibi concitare volentes celeriter devicit, et reges gentilium in interiori Germania commorantes, qui Windi dicuntur, tributarios sibi fecit; Heinricum marchionem aliosque in inicio regni sui sibi resistentes superavit : Ytaliam et Boëmiam ac Bolizlaum cum omni gente Slavorum subjugavit. Hic quoque habuit uxorem nomine Kunegundem, consortem regni

e sancta Kunegunde, uxore sua.

et imperii, quam nunquam cognovit sed ut sororem dilexit[1], quod videns ille hostis antiquus, cujus invidia mors intravit in orbem terrarum, et qui transfigurat se in angelum lucis, transfiguravit et se in formam pulcherrimi juvenis, et omni mane, vidente puero cubiculario, a lecto regine egrediebatur; nam et separatis lectulis quiescere solebant. Quod ut puer cubicularius vidit, totus intremuit, et dehonestari dominam suam erubuit, et imperatorem celare, quod viderat, non presumpsit. Tandem constancia accepta ad pedes imperatoris provolvit, et quod viderat manifestat. Imperator vero magna ira accenditur, et regine summo mane juxta morem ad obsequendum ei properanti, alapam ei in faciem dedit. At regina, prorsus doli ignara, ubertim lacrimas profudit, et Dominus, qui non derelinquit sperantes in se, virtute sua contulit inimicum fallacias suas imperatori manifestare.

ualiter sanctus Heinricus fundavit ecclesiam Bambergensem.

Hic eciam Heinricus, considerans se filios non habiturum, Dominum omnium bonorum datorem heredem delegit habere; sextoque anno regni sui, sapienti consilio, episcopatum Babenberch[2] in honorem sancti Petri sanctique Gregorii constituit, et ipsam ecclesiam episcopali honore sublimavit, eamque omnium bonorum suorum heredem fecit, locum ipsum prediorum diviciis et omni ornatus decore, ut in presenciarum cernitur, copiosissime ditavit. Unde Theodericus Metensis episcopus, dolens dotem et patrimonium sororis sue Kunegundis imperatricis delegari ecclesie Babenbergensi, contra imperatorem rebellavit. Piligrinus, Coloniensis archiepiscopus XXXI[us], successor beati Hereberti, in Colonia monasterium dictum ad sanctos Apostolos construxit, in quo et ipse, cum sedisset annis XV, postea sepultus est. Aliis ergo locis sanctorum per regni latitudinem non minus, prout opus erat, munificencie sue impartivit largitatem, quedam delapsa jam in melius restituens, quibusdam que nimis suppetebat adjiciens. Gerardus Cameracensis episcopus et Adelbertus Ultrajectensis episcopus magni in ecclesia et in palacio imperatoris Heinrici habentur.

[1] Vide Albericum ad an. 1004.

[2] Episcopatum Bambergensem. Vid. *Acta SS. ad diem* 14 julii, p. 756.

De translatione ducatus Lotharingie, et de Gerberga, filia Karoli ducis, ac Lamberto comite Lovaniensi, ejus marito. Cap. II.

Anno Domini M° V° Otto dux, qui patri suo Karolo duci successerat in du- 1005.
catu Lotharingie, postquam eumdem rexerat annis XIIII, obiit sine liberis, et fuit sepultus in ecclesia sancte Gertrudis Nivellensis, alii dicunt Colonie in ecclesia sancte Marie [1]. Quo mortuo ducatus ejus per Heinricum imperatorem predictum datur Godefrido comiti Virdunensi, filio comitis Godefridi Ardennensis, anno M° VI°. Gerberga vero, filia ducis Karoli et soror Ottonis ducis predictorum, que anno M° II° [2] duxerat in conjugem Lambertum comitem Lovaniensem, virum bellicosum, successit dicto Ottoni fratri suo in dominio comitatus Brabancie et Bruxellensis, cum suis pertinentiis; que, licet titulo ducatus Lotharingie ac eciam regno Francie privata fuerat, Brabanciam tamen et Bruxellam obtinuit, tamquam verum suum allodium quo privari non potuit [3]. Ex qua siquidem Gerberga dictus Lambertus Lovaniensis comes genuit Heinricum, comitem Lovaniensem et Bruxellensem Sacrique Imperii marchionem. Hic Lambertus, qui construxit et fundavit ecclesiam sancti Petri Lovaniensis, rexit annis XIII [4], et occubuit in bello apud Florinas, anno M° XV°, ut infra patebit. Gerberga vero sepulta est in ecclesia sancte Gertrudis Nyvellensis.

De Castro Valencianensi, Balduino comiti Flandrie concesso, et aliis incidentiis. Cap. III.

Eodem vero anno M° VI° castrum Valencianas, quod Balduinus comes 1006.
Flandrensis invaserat, imperator Heinricus obsidet, concurrentibus ad auxilium ejus Roberto rege Francorum et Richardo comite Northmannorum. Anno Domini M° VII° Heinricus imperator, qui de obsidione Valencianensi inefficax redierat, contra Balduinum profectus castrum Gandavum invadit, et depopulata terra aliquos Flandrensium primores capit. Unde Balduinus perterritus imperatori satisfacit, Valencianas reddit, da-

[1] Vid. *Recherches sur l'hist. des comtes de Louvain*, p. 25.

[2] Immo circa annum 994. Cfr. *op. cit.*, p. 12.

[3] Vid. *op cit.*, p. 25.

[4] Comitatum Lovaniensem tenuit ab anno circiter 976 ad annum 1015.

tisque obsidibus cum sacramento fidelitatis manus ei dedit. Postea imperator seditione suorum coactus Valencianas Balduino beneficiavit, ut sibi contra motus suorum auxilio esset; postea ei eciam Walachras addidit. Leo Romane ecclesie C^us XXXVII^us presidet. Anno M° IX° Heinricus imperator Metim urbem obsidet, propter Theodericum fratrem uxoris sue contra se rebellantem, qui episcopatum ipsius urbis usurpaverat. Dux enim Mosellanorum Theodericus post fratrem suum Alberonem, dato episcopatu Metensi filio suo adhuc puero, tutorem ei substituit ipsum Theodericum, qui, puero urbe expulso et episcopatu usurpato, ipsum eciam Theodericum ducem bello cepit; urbe ergo per obsidionem pene desolata, tandem pax convenit. Anno M° XII° Heinricus imperator Godefridum ducem Lotharingie cum exercitu in fines Bratuspancium mittit, ad obsidendum castrum Lovanium, sed inefficax rediit.

Bellum apud Hugardum inter comitem Lovaniensem et episcopum Leodiensem. Cap. IV.

1013 Anno M° XIII° Baldricus episcopus Leodiensis cum in villa, Hugardum dicta, castellum muniret, Lambertus comes Lovaniensis eum aggreditur; et episcopus, Lamberto vincente, multis suorum captis et occisis, gravi atteritur infortunio [1].

Anno M° XIIII° Heinricus rex in imperatorem benedicitur. Baldricus episcopus in insula Leodii cenobium sancti Jacobi apostoli fundavit, ubi Olbertus abbas primus prefuit [2]. Dux Godefridus Gerardum comitem, multis modis regnum inquietantem, bello vicit, in quo filio ejus cum multis occiso, complices ejus deterruit.

Bellum apud Florinas, in quo comes Lambertus occiditur; ubi mira res contigit, ut sequitur [3]. Cap. V.

1015. Anno M° XV° Godefridus dux Lotharingie comitatum Montensem depopulatur, quem Raginerus comes cum patruo suo Lamberto Lovaniensi

[1] Vid. *op. cit.*, p. 18.

[2] Baldricus II, seu *Junior*, hoc monasterium cum insigni ecclesia circa an. 1016 condidit, ut ad solatium interfectorum in praelio Hugardiensi preces Deo jugiter funderentur.

[3] Vid. *op. cit.*, p. 20 et seqq.

insecutus, apud Florinas pugnam conserunt, et ipse Lambertus occubuit : ubi mira res contigit. Cum Lambertus spem victorie non haberet (habebat quippe philacterium a collo usque ad pectus pendens, sanctorum reliquiis refertum, quorum patrocinio se in periculis tutum fore credebat), instante ei termino vite, philacterium illud a collo ejus exiens super cumulum campi exilivit, et mox comes antea invictus perimitur. Quidam militum philacterium accipiens in caliga abstrudit, sed coxa ejus et cute intumescente rem prodidit, et philacterium domino suo Goceloni fratri ducis dedit. Mortuo Lamberto comite succedit Heinricus ejus filius in comitatu Lovaniensi, anno M° XV°. Hic Heinricus, hujus nominis primus comes Lovaniensis et Sacri Imperii marchio, genuit Baldricum, alias Lambertum cum Barba [1], et Machtildem, que duxit in virum Eustachium primum comitem Bononiensem, avum Godefridi de Bullione. Hic Heinricus, qui rexit annis XXXIII, obiit anno M° XLVIII° [2].

De quodam bello in Frisia conserto. Cap. VI.

Anno M° XVIII° in Frisonia Theoderico comite, filio Arnulphi Gandavensis, debellante Frisones, in vindictam patris sui ab eis occisi, Godefridus Lotharingie dux ad eum debellandum ab imperatore mittitur, et conserto prelio repente voce, nescitur unde, emissa : « Fugite, fugite », cunctis fugientibus, multi a paucis Frisonibus perimuntur, dux vero capitur. 1018.

Anno M° XIX° Godefridus dux, impetrata Frisonibus ab imperatore tocius injusticie impunitate, a captivitate solvitur, et non multo post moritur : frater vero ejus Gocelo in ducatu substituitur.

Anno M° XX° Rodulphus rex Burgundionum irritatus regnum Burgundie Heinrico imperatori dare tractat, sed eum ab hac intentione revocat simulata Burgundionum satisfactio. Benedictus papa in Gallias ad Heinricum imperatorem venit. Eodem anno secunda incursio hostilis exercitus regis Heinrici in Gandavo, nonis augusti. Sub isto Heinrico, anno Domini M° XVIII°, monasterium sancti Adelberti in Aquisgrani construitur per ipsum.

[1] Lege *Ottonem*. Nam *Baldricus* seu Lambertus-Baldericus frater erat Henrici Senioris.

[2] Immo anno 1044. Vide *Recherches sur l'hist. des comtes de Louvain*, p. 31.

De morte Heinrici imperatoris. Cap. VII.

1024 Igitur Heinricus imperator plenus bonis operibus moritur tercia ydus januarii, anno regni sui XXIIII°, imperii autem XII°, vite vero LII°; sepultus est in ecclesia sua Babenberch in monasterio sancti Petri. Est autem iste Heinricus imperator canonizatus per Eugenium papam et cathalogo sanctorum appositus, cujus natale celebratur tercia ydus julii. Cujus et uxor Kunegundis, in sancta virginitate permanens, cum supervixisset annis XV, obiit, et in Babenburgensi ecclesia juxta maritum suum sepulta est. Fuit autem hic Heinricus finis imperatorum Saxonum, qui regnaverunt ab Heinrico primo usque ad hunc Heinricum, per annos C et V; quibus expletis imperium a Saxonibus cessavit.

Anno M° XXIIII° Heinricus imperator in lecto egritudinis sue decumbens, consulentibus se principibus super subtitutione regni designavit Conrardum, virum regii generis et egregie libertatis, quippe qui nunquam se submiserat alicujus servituti [1].

De imperio Conrardi imperatoris primi et regis secundi, et multis incidentiis illius temporis. Cap. VIII.

Anno M° XXIIII°, cum Cono dux prepotens post mortem Heinrici imperatoris predicti ad regnum aspirare vellet, repudiatur instinctu Arbonis Maguntinensis archiepiscopi et aliquorum regni primatum, et Conrardus dux Francorum sive Franconie, ad imperium sublimatus, imperavit annis XVI, aliqui dicunt XX, et permansit regnum vacuum annis tribus.

Anno M° XXV° Reginardus Leodiensis ordinatur episcopus, qui Leodii in Monte publico cenobium sancti Laurencii instituit, eique Stephanum, virum sancte memorie, abbatem primum prefecit [2].

Anno M° XXVI° Robertus rex Francorum ad invadendam Lotharingiam animum intendit, sed cito hoc conatu destitit. Gocelone duce, qui propter privatum odium gravabat regnum Conrardi, et aliis principibus ad pacis

[1] Vid. Sigebert. ad an. 1024.

[2] Laurentianum in Monte publico (vulgo *Publemont*) Leodiensi monasterium ordinis S. Benedicti aedificari coepit ab Eraclio episcopo Leodiensi, qui obiit anno 970 seu 971; promoverunt illud Notgerus, Baldricus et maxime Wolbodo, ejus successores; tandem Reginardus, seu Reginaldus, perfecit anno 1026, coetumque monachorum illuc intulit ex disciplina Ricardi Virdunensis abbatis.

unitatem adductis, regi prosperitas et regno accrevit tranquillitas. Conrardus rex filium suum Heinricum, vel secundum alios generum suum, adhuc puerum, inregnat Aquisgrani; ipse in pascha Rome in imperatorem consecratus, quorundam Ytalorum contra se sentientium motus compescuit. Anno M° XXXI°, Roberto Francorum rege mortuo, Heinricus filius ejus regnat in Francia annis XXX.

Istiusmodi decretum a Francie episcopis datum est servari subjectis sibi populis : unus eorum dixit celitus sibi delatas esse literas, que pacem monerent renovandam in terra, quam rem mandavit ceteris, et hec tradenda dedit populis. Arma quisque non ferret; direpta non repeteret; sui sanguinis vel cujuslibet proximi ultor minime existens, percussoribus cogeretur indulgere; jejunium in pane et aqua omni sexta feria observarent, et in sabbato a carne et liquamine abstinerent; soloque hoc contenti jejunio, in omnium peccatorum remissionem nullam sibi scirent aliam adjiciendam penitenciam; et hec se servare sacramento firmarent : quod qui nollet, christianitate privaretur, et exeuntem de seculo nullus visitaret, nec sepulture traderet. Alia quoque quamplurima dedere mandata, que oneri visa sunt replicare. Hanc mandatorum novitatem cum multi cupidi novarum rerum libentius justo amplecterentur, Gerardus Cameracensis episcopus, qui solus Lothariensis appendebat ad parochiam Francorum, nullius hortatu potuit adduci ad hec suscipienda; sed singula capitula refellebat, dicens genus hominum ab inicio tripharium esse divisum, in oratoribus, pugnatoribus et agricultoribus, et unum duorum et duos unius egere auxilio; ideo deceret arma ferre et rapinas reddi per auctoritatem legis et gratie; ultorem percussi vel occisi non exacerbari cogendo, sed secundum evangelium ei reconciliari; jejunium in sexta feria vel septima nec omnibus unum esse imponendum, quia non est una omnibus possibilitas, nec omnes hoc uno jejunio contentos esse, quia non est una omnibus penitendi qualitas; hec sacramento firmare, vel sacramenti violationem perjurio augere, non esse utile; hiis contradicentes excommunicari, infirmis visitationem vel mortuis sepulturam negari, esse detestabile; sufficere auctentica patrum decreta, et super hiis neglectis imponere congruentis penitencie modum[1].

[1] Ita Gerardus I, episcopus Cameracensis, anno 1033 obstitit decreto, *Treuga Dei* vulgo appellato, in epistola quam scripsit ad Beraldum Suessionensem et Warinum Bellovacensem episcopos, ut referunt Sigebertus et Baldericus. Postea tamen ad patronorum Treugae Dei sententiam accessit.

Anno M° XXXIIII°, Frederico Mosellanorum duce mortuo, quia mares filios non habebat, quibus ducatus competeret, Gocelo dux, impetrato ab imperatore eciam Mosellanorum ducatu, in Lotharingia potencius principabatur.

Regnum Burgundie datur Conrardo imperatori. Cap. IX.

1036. Anno M° XXXVI°. Burgundionibus non desistentibus a consueta contra regem suum insolencia, rex Rodolphus regnum Burgundie Conrardo imperatori tradidit, quod a tempore Arnulphi imperatoris, per annos plus quam C XXX. gentis sue reges tenuerant, sicque Burgundia iterum redacta est in provinciam. Eodem tempore Odo Campanensis comes regnum Rodulphi regis avunculi sui a Conrardo nepote suo repetens, ut sub eo regat Burgundiam, efflagitat [1].

Anno M° XXXVII° Heinricus rex, filius Conrardi, uxorem duxit filiam regis Anglorum. Eodem anno Odo Campanensis comes contra imperatorem rebellans, Lotharingiam incursat, castella oppugnat, urbem Leucorum, que Tullus dicitur, obsidet, et in nullo temperat furori suo. Hoc anno contigit eclipsis solis, XIIII° kalendas maii, luna extante XXVIII°, prima hora diei. Anno M° XXXVIII° Hermannus Colonie ordinatur archiepiscopus. Odo comes Campanie Barum castrum obsidet et capit. Gocelo, egre ferens insolenciam Francorum, cum Lotharingis occurrit Odoni, et conserto prelio apud Barum Odo perimitur, et Francorum exercitus, gravi cede atterritus, a Lotharingia fugere compellitur.

De morte Heinrici comitis Lovaniensis, cui succedit Baldricus, alias Lambertus [2], filius suus. Cap. X.

Heinricus Lovaniensis comes domi sue perimitur a captivo Hermanno [3], eique succedit filius suus Baldricus, alias Lambertus [4], qui duxit in uxorem Odam filiam ducis Gocelonis, ex qua genuit Heinricum comitem secun-

[1] Vid. supra, t. I, p. 532, ubi eadem leguntur; quaedam etiam eorum quae sequuntur.

[2] Legendum *cui succedit Otto* (an. 1044 ad 1046).

[3] Vid. *Recherches sur l'hist. des comtes de Louvain*, p. 30.

[4] Lambertus-Baldericus nepoti suo Ottoni puero successit circa an. 1046.

dum. Hic Lambertus, alias dictus Baldricus vel cum Barba [1], fundavit in ecclesia sancti Petri Lovaniensis septem prebendas, pro quarum dotatione contulit omnes decimas infra allodium Lovaniense, tam minutas quam majores, sive proveniant in agris sive in pratis, necnon de omnibus fructibus infra curtes Lovanienses crescentibus, et eciam de pecoribus et altilibus; spectant eciam ad easdem VII prebendas omnes donationes ecclesiarum in Lovanio, et donatio majoris parochie et omnium aliarum, et omnes oblationes, excepta portione parochiani, etc., prout hec latius continentur in quadam litera sigillo quondam Godefridi secundi ducis sigillata. Item idem Lambertus cum Barba [2] fundavit eciam XII prebendas in ecclesia sancti Mychaëlis, que nunc ad sanctam Gudulam dicitur, in Bruxella, pro quarum dotatione contulit decimas Bruxelle et alia bona; ipse etiam transtulit sanctam Gudulam de ecclesia sancti Gaugerici Bruxellensis ad ecclesiam majorem ibidem.

Hoc anno contigit eclipsis solis, XI° kalendas septembris, a tercia hora usque ad sextam, luna XXVII°. In mense aprili, VIII^{a} ydus, visa est in celo, inter australem et orientalem plagam, ignea trabes mire magnitudinis, que currens super solem jam ad occasum vertentem visa est in terram cadere : cujus vestigia diu videri potuerunt.

Anno M° XXXIX° Conrardus imperator Ytaliam adiit, ut rebellionem 1039. meditantes debellaret; et, quia omnes Longobardi conjuraverant, ut non paterentur quemlibet dominum, qui aliud quam ipsi vellent contra se ageret, quosdam episcopos in vincula conjecit. Et quia episcopus Mediolanensis fuga lapsus est, imperator suburbia Mediolani incendit. Anno M° XL°, die penthecostes, cum imperator in parva ecclesia secus urbem ad missam coronaretur, tam gravia fuerunt tonitrua et fulgura, ut aliqui mente excederent, aliqui exalarent. Bruno vero episcopus, qui missam canebat, et secretarius imperatoris cum aliis tribus dixerunt, se inter missarum solempnia vidisse sanctum Ambrosium imperatori indignando comminantem. Anno M° XLI° imperator Ytalia discessit. Pridie ydus maii eclipsis solis fuit. Et pridie nonas junii imperator obiit, et Spire sepelitur. Post quem Heinricus filius ejus, vel secundum alios gener ipsius, imperavit annis XVII [3].

[1] Male additur *cum Barba;* Lamberti-Balderici pater erat *Lambertus cum Barba,* primus comes Lovaniensis, apud Florinas caesus anno 1015.

[2] Lege *Lambertus-Baldericus.*

[3] Ex Sigeberto ad an. 1039.

De nativitate Heinrici imperatoris secundi et regis tercii. Cap. XI.

Conrardus primus imperator multas leges condidit, et, pacem in terris servare cupiens, statuit ut quicunque principum pacem infringeret, capite plecteretur. Sed hujus statuti transgressor comes Lupoldus accusatur, qui cupiens vitam servare, cum paucis, uxore et filiis, occulte fugiens in vastam solitudinem, ipsam multis temporibus tamquam heremita inhabitat, nullo penitus sciente quo devenisset. Contigit autem imperatorem ad illas partes accedere, cum venationis causa bestias insequens per solitudinem dictam decurreret, ab omnibus suis elongatus et solus remanens, ubi esset, penitus ignoraret. Nocte itaque appropinquante, imperator multum anxius casu ad predicti comitis heremitorium pervenit; ubi benigne receptus, cum post laborem in stratu dormiret, et eadem nocte predicti comitis uxor filium peperisset, audivit imperator vocem in sompnis ipsum puerum generum suum et imperii successorem. Quam vocem imperator primo contempnens, cum iterata fuisset, anxius, viso puero, de mane, cum ad suos pervenisset, vocatis duobus suis secretis occulte mandavit, ut predictum puerum rapientes in silva occiderent, et sibi cor pueri apportarent. Hii vero juxta mandatum puerum rapiunt, et misericordia moti non occidunt; sed in nemore relinquentes, cor capti leporis in argumentum occisionis imperatori deferunt. Accidit eadem hora quod dux Heinricus, causa venationis in eadem silva errans solus, puerum vagientem audiret, ipsumque pulchrum conspiciens, uxori sue sterili occulte deportans, mandavit eidem ut, quod ipsum ipsa genuerat, affirmaret; quod factum est, vocavitque nomine suo Heinricum. Quem cum jam adultum imperator vidisset, pensans multum quod olim eum viderat in tenera etate, licet multum renitente patre, scilicet duce Heinrico, imperator juvenem, ut sibi astaret, retinuit, tractans apud se qualiter ipsum posset occidere occulte. Et post aliquos dies misit eum cum literis ad imperatricem, ut ipsum sub intentu gratie sue, eodem die quo juvenis ad ipsam veniret, occulte suffocaret. Sed juvene iter agente, cum in domo cujusdam presbiteri quiesceret, presbiter, ipso dormiente, curiose ipsius bursam pertractans, literas imperatoris conspexit, et illas caute aperiens illi feliciter commutavit; nam abrasis *ipsa die moriatur* imposuit *ipsa die filia mea tradatur.* Quod factum est,

licet cum magna admiratione imperatricis propter tam subitum et stupendum mandatum. Quod imperator percipiens obstupuit, sed, postquam investigavit illum verum ipsius patrem nobilem comitem fuisse, quem rusticum credebat, dolor ipsius mitigatus est. Qui Heinricus, postquam Conrardo imperatori successit, in loco nativitatis sue monasterium construxit. Hunc Heinricum filium suum Conrardus imperator a Segevino Coloniensi archiepiscopo in die sancto pasche, anno secundo regni sui, Aquisgrani ungi in regem obtinuit. Cui et Kunegundem filiam regis Danorum, apud Noviomagium, regalibus nuptiis in uxorem copulavit. Hic imperator Conrardus, in proprio suo castello Lintburch dicto, ad alios usus sibi quondam gramatico monasterium construxit, prediorumque copia illud ditans, monachorum congregationem sub abbatis provisione illuc introduxit. Spirensemque episcopum provehere statuens, sed vivendi motu eousque non pertingens, filio suo Heinrico sue voluntatis effectum commisit, quem ipse magnifice cepit, sed filius ejus Heinricus recte magnificentius perfecit. Igitur imperator Conrardus obiit pridie nonas junii [1], et apud urbem Spire sepelitur.

De imperio Heinrici hujus nominis imperatoris secundi et regis tercii [2]; et de multis incidentiis illius temporis, presertim de depopulatione et magna cede per eundem Heinricum in Flandria. Cap. XII.

Anno Domini M° XL° Heinricus tercius rex et imperator secundus, Conrardi imperatoris filius, sed secundum alios gener ipsius, jam dudum patre vivente rex constitutus, patri successit, et XVII annis imperavit. Hic, priore sua conjuge Kunigunde nomine, filia regis Danorum, mortua, Agnetem Wilhelmi Pictavensis comitis filiam reginam apud Maguntiam urbem ungi faciens, regalibus sibi nuptiis eam apud Engelenheym villam regalem copulavit, et infinitam histrionum et joculatorum multitudinem, ad laudis sue cumulum, vacuam et inanem, sine cibo et muneribus, merentem abire permisit. Hic Heinricus veniens in Ytaliam Pandulphum principem Capuanum cepit, et eum captum secum asportavit, et alium 1040.

[1] Die 4 junii an. 1039.

[2] Henricus III, dictus *Niger*.

quendam Pandulphum comitem Theatinum principem ordinavit. Hoc tempore in Apulia erat quedam statua marmorea, circa caput suum habens circulum, in quo erat scriptum : « Kalendis maii oriente sole habeo caput aureum. » Quod quidam Saracenus, a Roberto Guiscardo captus, quid portenderet intelligens, in kalendis maii oriente sole, notato tempore umbre illius, repperit magnum thesaurum, quem dedit pro sua redemptione.

Hujus Heinrici tempore cujusdam gigantis corpus inventum est Rome incorruptum. Cujus vulneris hiatus, ubi vulneratus fuerat, quatuor pedes et semis habebat, corpus altitudinem muri vincebat; lucernaque ardens ad caput ipsius inventa est, que nec flatu extingui poterat nec liquore, sed cum stilo foramine subter flammam facto extincta est, per illud foramen aëre introducto. Hunc dicitur Turnus occidisse, et hoc ipsius epytaphium erat : « Filius Evandri Pallans, quem lancea Turni militis occidit, mole subjacet hic. »

1042. Anno M° XLII° Heinricus imperator vadit ad debellandum Odelricum Bohemanorum ducem, sed, Heinrico Bohemanis viriliter resistensibus, inefficax redit. Deinde per orationes sanctorum virorum auxilio Dei sibi procurato, superioris anni infortunium ultus, Odelricum ducem Bohemie subjugat. Hoc anno facta est magna inundatio maris, quarto nonas novembris.

1045. Anno M° XLV° Gocelo dux obiit, cujus filius Godefridus, dum ei ducatus Mosellanorum denegatur, altero ducatu repudiato contra imperatorem rebellat. Godefridus, hortatu quorundam Dei fidelium ad recuperandam imperatoris gratiam adductus, ab imperatore capitur et custodie mancipatur, sed filium suum obsidem dans relaxatur : quo defuncto in obsidium, ad rebellandum grassatur.

Anno M° XLVI° Benedictus IX^us^, symoniace papatu Romano invaso, sedit annis XIIII. Iste est dejectus a papatu, et factus est papa Sabinensis episcopus, qui Silvester tercius. Et isto ejecto Benedictus recuperavit papatum, qui iterum ejectus est, et datus est papatus Johanni, archipresbitero sancti Johannis ante portam Latinam, qui Gregorius VI^us^ dictus. Et hic habito papatu, cum esset rudis literarum, alterum ad vices ecclesiastici officii exequendas secum papam consecrari fecit : quod cum multis non placeret, tercius subinducitur, qui solus vices duorum impleret. Ecclesia sancte Gertrudis Nyvel-

lensis, que ante aliquos annos, post negligentiam et incuriam effusi sanguinis Domini, concremata fuerat, in novam reedificata benedicitur, presente Heinrico imperatore. Anno M° XLVII°, mortuo Gregorio sexto, Rome uno contra duos, et duobus contra unum de papatu altercantibus, rex Heinricus contra duos Romam vadit, et eis canonica et imperiali censura depositis, Swidigerus Babemburgensis episcopus, qui et Clemens secundus, Romane ecclesie C^us XLVIII^us presidet. Hic fuit invasor ecclesie, et per vim papatum obtinuit, et ab eo rex Heinricus in imperatorem benedicitur, jurantibus Romanis se sine ejus consensu nunquam papam electuros. Eodem anno instinctu Godefridi comes Flandrensium Balduinus Insulanus contra imperatorem rebellat. Theoderico Metensi episcopo mortuo succedit Adelbero fratruelis ejus, vir magne prudentie et sanctitatis. Anno M° XLVIII° Poppo, qui et Damasus, Romane ecclesie C^us XLI^us presidet : hic fuit invasor sedis apostolice et subito defunctus est. Godefridus palatium Neomagi incendit et irrecuperabiliter destruit; urbem quoque Clavorum, que Virdunus dicitur, cum majori sancte Marie ecclesia incendit. Anno M° XLIX° Albertus, qui ducatum Mosellanorum Godefrido negatum susceperat, a Godefrido duce perimitur. Ducatus ejus Gerardus de Alsacia, alterum vero ducatum Fredericus frater Gocelonis obtinet. Leo, genere Alemannus de Lotharingie regno, sedit annis V, mensibus II, diebus VI. Romani, ex mala consuetudine, postquam petivissent ab imperatore Heinrico pontificem dari, imperator, cum nullum Theutonicum ad hoc, ut reciperet papatum, posset inducere, episcopum Tullensem, nomine Brunonem, virum simplicem, ad hoc inclinavit, qui ad urbem veniens et ex hoc conscientiam habens, papatui omnino resignavit. Et denuo ab omnibus electus, post laudabilem vitam in ecclesia sancti Petri tumulatur, manifestis clarescens miraculis. (Hec in cronica Martiniana [1].)

Eodem anno, scilicet M° XLIX°, Bruno, Leucorum alias Tullensis episcopus, Romane ecclesie C^us XLIX^us presidet, qui vocatus est Leo IX^us hujus nominis papa. Hic cum ad capescendam sedem apostolicam Roman tenderet, audivit voces angelorum canentium : « Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis. » Anno M° L° Leo papa in Gallias veniens, ut 1049.

[1] Non tantum ea quae praecedunt, sed et plurima eorum quae sequuntur, Dinterus descripsit ex Chronico Martini Poloni. Vid. etiam Sigebert. ad an. 1045 et seqq.

motus imperii a Balduino et Godefrido concitatos sedaret, Godefridus quidem imperatori reconciliatur; Balduino pertinacius agente, contra eum imperator exercitum duxit, sed tandem Balduinus flexus condicto die Aquis imperatori satisfecit. Anno M° LII° Balduinus Flandrensis, invaso Hagionensium[1] comitatu, contra imperatorem rebellat. Deinde, anno scilicet M° LIIII°, idem Balduinus terminos Lotharingie incursans, Hoium oppidum incendit. Godefridus iterum rebellat, qui, ducta uxore Bonefacii marchionis, jussu imperatoris a Lotharingia excluditur. Anno M° LIIII° Heinricus imperator, filio suo Heinrico, puero quinquenni, in regem sublimato Aquis, contra Balduinum proficisitur, qui Schaldim fluvium Balduino fugiente transiens omnia depopulatur. Et insuper apertis sibi Clausule[2] portis multam cedem inimicorum facit; et ultra progressus Lambertum comitem Lovaniensem[3] Balduino auxiliantem cum multis perimit. Multos etiam Flandrensium primates exercitum suum prosequentes concludit intra urbem Tornacum et obsessos capit. Leo papa moritur; Gebehardus Eistedensis episcopus, qui et Victor, Romane ecclesie C^us^ L^us^ presidet; hic fuit genere Alemannus.

1056. Anno M° LVI° Balduinus Flandrensis cum Godefrido avunculum suum Fredericum ducem filium Gocelonis intra Antwerpum obsidet, sed concurrentibus Lotharingis ab oppugnatione desistit. Anno M° LVII° imperator Heinricus dominum apostolicum Victorem ad se in Saxoniam invitavit, quem honorifice suscepit, et, ipsius assensu cunctorumque archiepiscoporum et principum regni, filium suum Heinricum quinquennem regem constituit. Eodem anno M° LVI°, Colonie generali conventu habito, Balduinus comes Flandrie et Godefridus Lotharingie dux, mediante Victore papa, ad gratiam regis et pacem reducuntur. Balduinus junior marchisus Morinorum comitatum imperiali munificentia et auctoritate apostolica suscepit. Posthec imperator Heinricus morbo ingravescente, Victore papa presente, moritur, cujus corpus Spire transfertur, et a dicto domino apostolico Victore secundo ibidem sepulture traditur, anno etatis sue XXXIX°, regni vero XVIII° et imperii XV°, anno incarnationis dominice M° LVI°: post quem Heinricus quartus filius suus imperavit annis L, aliqui dicunt LI.

[1] In aliis MSS. *Hainonensium.*

[2] *Écluse*, seu *Sluys.*

[3] Lege *Lensensem.* Vid. t. I, p. 555.

De Heinrico rege quarto et imperatore tercio, cum multis incidentiis illius temporis, presertim de controversia inter predictum Heinricum et Gregorium papam. Cap. XIII.

Anno Domini M° LVII° predicto Heinricus quartus, Heinrici tercii filius, admodum puer patri succedens, regnavit annis LI. Hic dum infantulus adhuc esset, quintum scilicet etatis habens annum, a primoribus regni matri sue imperatrici Agneti ad educandum commendatus est[1]; cujus sororem nomine Mechtildem Rodolphus dux Alemannorum, qui et postea in perniciem sui rex esse contendit, duxit uxorem. Anno M° LIX° Fredericus filius Gocelonis ducis, ex clerico sancti Lamberti et levita Romane ecclesie, qui exosus erat imperatori pro odio fratris sui Godefridi ducis, post legationem Constantinopolitanam apud Cassinenses monachus, et postea abbas factus, electione Romane ecclesie C^us^ XLIIII^us^ presidet, alteratus nomine Stephanus IX^us^ appellatus est, et Florencie sepultus. 1057.

In pago Brabantensi juxta Tornacum multitudines colubrorum, altrinsecus congregate, prodigioso prelio inter se concurrunt, et, multis utrimque occisis, victa pars fugiens in cavo arboris se abscondit, altera pars vincentium more insequens cum sibilo circumstrepat, donec circumjecto ab hominibus igne omnes concremate sunt[2].

Anno M° LX° Gerardus Florensis[3] episcopus, qui et Nycholaus secundus, Romane ecclesie C^us^ XLV^us^ presidet. Heinricus rex Francorum obiit: Philippus filius ejus post eum regnat annis XLVIII. Anno M° LXI° Balduinus marchisus regni Francorum magistratus efficitur. Robertus Balduini potentissimi junior filius Frisiam subintrat. Alexander Lucanus episcopus Romane ecclesie C^us^ XLVI^us^ presidet, contra quem Cadelo Parmensis episcopus papatum ambiens magno scandalo ecclesie fuit; quia longa inter eos contentio eciam usque ad homicidia prorupit. Anno M° LXV°, Frederico duce mortuo, Godefridus ducatum recepit. Herardus rex Anglorum obiit, eique Araldus succedit. Multi, usque ad septem millia, orandi voto Jherosolimam 1060.

[1] Henricus IV, non quidem anno 1057, sed die 5 octobris anni 1056 patri successit, sub tutela matris suae Agnetis, filiae Guilielmi V, ducis Aquitaniae.

[2] Ex Sigeberto ad an. 1059. Cfr. Jacobi Guisii *Annales Hannoniae*, lib. XIV, cap. 58.

[3] Lege *Florentinus*.

petentes, ab Arabicis in parascheve in quodam castello obsessi sunt, et tot occisi aut vulnerati, ut de VII et eo amplius millibus vix duo millia reversi sint. Anno M° LXVI° Harwich rex Nordanimbrorum cum mille pene navibus venit in Angliam regnaturus, et in urbe Eboraci plus quam mille laicos, centum presbiteros de Anglis occidit, cui Araldus rex Anglorum cum septem legionibus superveniens, eum cum multis occidit. Interim Wilhelmus comes Northmannorum cum Francis Angliam intrat, et conserto cum Anglis prelio Araldum cum multis millibus perimit, et in die natalis Domini in regem inunctus in Londonia, regnat in Anglia annis XXVI [1]. Cuno, qui et Conrardus, primicerius Coloniensis, ab imperatore Heinrico ad suscipiendum episcopatum Treverorum missus, captus a comite Treverorum Theoderico, et a satellitibus ejus in silva ductus, de rupe tertio precipitatur, et adhuc illesus gladio transverberatur; corpus ejus foliis silve obtegitur, quod a rustico inventum ad villam defertur et sepelitur. Inde a Theoderico Virdunensi episcopo transportatum ad Tolegium monasterium multis statim miraculis glorificatur [2].

Anno M° LXVII° Rome duobus de papatu contendentibus, Mantue synodus colligitur, et mediante Annone Coloniensi archiepiscopo Alexander, se jurejurando de symonia expurgans, in sede apostolica subrogatur: Cadelo vero ut symoniacus repudiatur.

1070. Anno M° LXX° obiit Balduinus potentissimus marchisus, Insule sepultus. Gerardus dux Mosellanorum moritur. Moritur etiam dux Godefridus Lotharingie. Gerardo succedit filius ejus Theodericus. Godefrido succedit filius ejus Godefridus Gibbosus, etsi corpore exiguus, tamen animo eximius. Obiit Balduinus marchisus, qui Hasnoni sepultus est. Robertus frater Balduini consensu Flandrensium contra Arnulphum fratruelem suum Flandriam occupat.

Anno M° LXXI° Arnulphus cum Philippo Francorum rege occurrit patruo suo Roberto, et pugna conserta Arnulphus perimitur; Philippus rex fuga labitur, et multis occisis Richildis Arnulphi mater, illinc Robertus capitur; et altero pro altero relaxato bellum inter eos vario eventu protrahitur.

[1] Vide Sigebertum ad ann. 1065 et 1066.

[2] Vide Sigebertum ad an. 1067, et Bethmanni notam ad hunc locum, apud Pertz, *Monum. Germaniae hist.*, t. VI, p. 361.

Anno M° LXXII° Godefridus dux Lotharingie ulteriores Frisones bello agressus, eos pene ad internecionem delet.

Anno M° LXXIII°, duobus fratribus Russorum regibus de regno contendentibus, alter eorum a consorte regni pulsus interpellat Heinricum imperatorem, se et regnum Russorum ei submittens, si ejus auxilio regno restitueretur; sed illud frustra fuit, quia gravissima in imperio Romano orta dissentio monebat magis sua tenere quam aliena acquirere. Hildebrandus archidyaconus Romanus, qui et Gregorius septimus, Romane ecclesie Cus LIVus presidet; Hermannus Leodiensis fit Metensis episcopus.

Anno M° LXXIIII° Gregorius papa celebrata synodo symoniacos anathematizavit, et uxoratos sacerdotes a divino officio removit, et laycis missam eorum audire interdixit.

Anno M° LXXVI° Gregorius papa totus in Heinricum imperatorem invehitur, et quoscunque potuit, ab eo verbis et scriptis avertit, animum etiam Agnetis matris ejus ab eo alienat [1]. Sicarius in prisona Godefridum ducem Lotharingie perimit.

Anno M° LXXVII° imperator, coacto Wormacie concilio XXIIII epi- 1077.
scoporum et multorum primatum regni, decerni jubet omnia decreta et facta Gregorii pape irrita esse debere, ibique preter paucos Gregorium abjurant, eumque papatu abdicandum esse judicant. Gregorius e contra imperatorem Heinricum Rome excommunicat, sub hoc obtentu ut primates regni quasi justa ex causa excommunicato regi contradicant. Principibus Saxonum, qui in deditione imperatoris erant, relaxatis per eos quibus commissi erant, Saxones rebellant instinctu Gregorii papa. Ipse papa occurrens imperatori in Longobardia, sub falsa eum pace absolvit. Omnes enim, qui prius Gregorium abjuraverant, perjurio perjurium cumulantes imperatorem abjurant, et Rodulphum ducem Saxonie, alias Suevie, super se regem statuunt, corona ei a papa missa, cui erat inscriptum :

Petra dedit Petro, Petrus dyadema Rodulpho.

Hunc Sigifridus episcopus Maguncie in regem benedixit. Et facta a Maguntinis seditione contra eos, Rodulphus cum archiepiscopo noctu aufugit.

[1] Ex Sigeberto ad an. 1076.

Gregorius papa omnes adversantes imperatori absolvit ab infidelitate et perjurio. Imperator, Alpium aditibus contra se ubique munitis, omnes eorum insidias frustratus, statim per Aquilejam venit Ratisponam, et Rodulphum adortus eum fugere compulit, et iterata expeditione Sueviam depopulatur. Heinricus imperator Sueviam pervagatus castella frangit, et omnia depopulando inimicis suis formidinem, amicis addidit fortitudinem, et multos, qui ex desperatione rerum a se defecerant, ad se retrahit. Hermannus episcopus, Gregorio pape ad animam confederatus ac per hoc imperatori rebellis, Metensi urbe pellitur [1].

1081. Anno M° LXXXI° Heinricus imperator Penthecosten celebravit apud Magunciam; paulo ante missam, cum sedilia pararentur in ecclesia, ortum est jurgium inter cubicularios archiepiscopi Maguntinensis et abbatis Fuldensis cenobii, ut utrorum dominus juxta imperatorem sederet. Nam Fuldense cenobium est in Saxonia, sancti Galli corpore insignitum, et prediis ditatum permagnificis : cujus loci abbas LX millia armatorum prebet in hostem imperatoris, et habet ex antiquo privilegium, ut in magnis festivitatibus ad dexteram ejus sedeat. Itaque ventum est ad pugnam, furoreque per ecclesiam grassante, pavimentum sanguine inundavit. Sed statim episcopus convolans, pacem inter reliquos dissidentes statuit, templum purgatum est, et missa festivis clamoribus acta. Sequencia autem percantata, et ultimo versu ejus dicto : « Hunc diem gloriosum fecisti, » vox ab aëre lapsa est : « Hunc diem bellicosum ego feci. » Rigentibus pre timore omnibus, imperator diligenter attendens leticiam inimici : « Tu, inquit, omnis malicie incentor simul et inventor, diem bellicosum arrogantibus luctuosum fecisti, sed nos, per Dei gratiam, qui illum gloriosum fecit, pauperibus gratiosum reddemus. » Et mox, reincepta sequencia, solempni ploratu Spiritus Sancti gratiam invitabat; intelligens illum adventasse, illis plorantibus, aliis cantantibus, omnibus simul pectora tundentibus, finita missa egenis per precones conclamatis, omnes dapes, que sibi a curialibus preparabantur, in usus eorum dedit.

Heinricus imperator, in penthecoste conventu habito Maguncie, decernit Gregorium a papatu esse deponendum, et Longobardiam petens, Wigbertum Ravenne archiepiscopum pro Gregorio papam designat. Gregorius papa

[1] Ex Sigeberto ad ann. 1077 et 1078.

quasi divinitus revelatum sibi predixit, hoc anno falsum regem esse moriturum; et verum quidem predixit, sed fefellit eum de falso rege conjectura, secundum suum velle, super Heinrico rege interpretata. Rex enim Heinricus Saxonibus gravi prelio congreditur, et in congressu falsus rex Rodulphus cum multis Saxonie principibus extinguitur : a suis Marsiburch delatus et in brevi defunctus, honorifice ibidem est humatus. Fertur tamen, in extremis positus, et abscisam dexteram intuitus, ad episcopos, qui forte aderant, graviter suspirans dixisse : « Ecce hec est manus, qua domino meo Heinrico fidem sacramento firmavi! Ecce ego jam ejus regnum et vitam derelinquo presentem; videte, qui me solium ejus conscendere fecistis, utinam et recta me vestra monita sequentem duxissetis. »

Anno M° LXXXII° Maguncia ex maxima parte incendio conflagravit. Ma- 1082.
gnus terre motus, cum gravi terre mugitu, factus est VI° kalendas aprilis, prima hora noctis, portendens forte imminens malum, quod in toto orbe insonuit, et unde terra doluit et dolet. Heinricus enim imperator ad debellandum papam Gregorium Ytaliam petit, contra quem papa urbibus et castellis munitis se ad rebellandum accingit, eumque Romam hostiliter adeuntem non recipit.

Anno M° LXXXIII° Heinricus imperator, expugnatis urbibus et castellis, que contra se pro Gregorio erant, Romam Leonianam obsidet [1]. In Gallia [2] Hermannus [3], miles Hermanni [4] episcopi, corona sibi imposita [5], post Rodulphum in Saxonia tyrannidem exercuit.

Anno M° LXXXIIII°, Roma Leoniana capta, Heinricus imperator obsidet Romam. Eodem tempore Godefridus, dictus de Bullion, postea dux Lotharingie, electus in regem Jherusalem, filius Eustacii comitis Bononiensis ex Yda, filia Gocelonis et sorore Godefridi Gibbosi, quondam Lotharingie ducum, qui paternum genus ad Karoli Magni spectabant lineam, dicto imperatori Heinrico militavit contra predictum papam Hildebrandum, qui et Gregorius VIIus nominabatur, ut premittitur; et in opponendo [6] Romam partem muri, que sibi obtigerat, primus irrupit: postea pre nimia laboris injuria siti ustus vinum nimium hauriens, febrem quartanam nactus est.

[1] Vide Sigebertum ad an. 1082.

[2] Gallia Rhenana.

[3] Alias *Herimannus*.

[4] Seu *Herimanni*.

[5] Goslariae, die 26 decembris 1081.

[6] Lege : *in oppugnando*.

Audita autem fama vie Jherosolomitane, illuc se iturum vovit, si Deus redderet ei sanitatem: quo voto emisso mox vires ejus penitus refloruerunt. Condicto igitur ab imperatore et papa die ad causam inter eos discernendam, cum pace, dissimulante papa desistunt: qui fugiens ad Northmannos se contulit.

De exordio Haffligemensis cenobii. Cap. XIV.

Haffligemense cenobium tale, auxiliante Deo, sumpsit exordium. Predicante Wetherico servo Dei, qui, quasi stella matutina in medio nebule, effugandis obscuritatibus erroris apparuit, conversi quinque milites suis integre renunciant, inter quos Gerardus Niger, qui ceteris excellentior videbatur, doctoris sui consilio animatus, cum sociis locum Haffligem dictum, sicut nomine sic omni barbarie incultum, quippe qui latrocinancium tantum conventiculis aptus erat, edificare et claustrum in eo exstruere aggreditur.

1085. Anno M° LXXXV° Romani imperatorem Heinricum urbe recipiunt[1], et eorum judicio Gregorius papatu abdicatur, et Wibertus[2] Ravennarum archiepiscopus in sedem apostolicam intronizatus, Clemens nominatur: hiis, qui pro imperatore erant, contendentibus juste Gregorium esse depositum, tamquam majestatis reum, qui contra imperatorem alium regem ordinaverit, et rebellandi audaciam assumpserit[3]; hiis autem, qui contra sentiebant, reclamantibus, universalem papam, nonnisi universali concilio, paucorum judicio, laicali censura, imperiali potencia, non posse a pontificatu amoveri, et, quod gravius est, in loco viventis episcopi aliquem suffectum contra canonicam auctoritatem agere, et cetera id est genus. Heinricus rex patricius Romanorum constituitur, et a Clemente papa in imperatorem benedicitur. Rex Heinricus mortuo Rodulpho Ytaliam ascendens multa et diversa ibidem perpetravit, de quibus omnibus Theoderico Virdunensi episcopo, qui ei summa familiaritate adherebat, epistolas misit in hunc modum.

[1] Vid. Sigebert. ad an. 1084.

[2] Seu *Guicbertus*. Nominatus fuerat 9 augusti an. 1081, et Clementis III nomine sedem apostolicam invaserat.

[3] Alibi : *absumpserit*.

Tenor epistole imperatoris Heinrici misse episcopo Virdunensi[1], *et de controversia inter predictum Heiricum et Gregorium papam.* CAP. XV.

« HEINRICUS Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Theoderico episcopo dilectionem nulli majorem. In primis te scire volumus quod nulli melius quam tibi confidimus[2] : siquidem hoc, quod in margine epistole tue de Romano negotio nobis mandasti, in primis dicimus tibi, Romam in die sancti Benedicti intravimus; qualiter autem a Romanis recepti simus[3], ab aliis multis te audisse credimus, tum eciam literis nostris tibi indicamus, quas te nondum vidisse putamus : sed et mallemus alio quam nostro ore te rescisse, que nobis fecit Dominus. Incredibile enim videtur, quod verissimum probatur, quod factum est in Roma, ut ita dicamus, cum decem hominibus in nobis operatus est Dominus, quod, antecessores nostri si fecissent cum decem millibus, miraculum esset omnibus. Nam cum in Theutonicas partes, de acquirenda Roma jam desperantes, redire vellemus, ecce Romani legatis missis, ut Romam intraremus, rogaverunt, seque[4] in omnibus nobis obedituros promiserunt : quod et fecerunt. Summo namque gaudio nos intrantes susceperunt, summo studio secum manentes adjuverunt, summo triumpho et fide ab eis recedentes prosecuti nos sunt in tantum, ut in Domino fiducialiter dicamus, quia tota Roma in manu nostra est, excepto illo castello, in quo inclusus est ille Hildebrandus[5], scilicet in domo Crescentii. Quem Hildebrandum legali omnium cardinalium ac tocius populi Romani judicio scias abjectum, et electum papam nostrum Clementem in sede apostolica sublimatum omnium Romanorum acclamatione, nosque a papa Clemente ordinatum et consensu omnium Romanorum consecratum, in die sancto Pasche, in

[1] Exstat illa epistola in *Historia Trevirensi*, apud d'Achery, *Spicilegii* t. II, p. 217; et scripta videtur anno 1081 vel 1082. Cfr. *Gallia christ. nov.*, t. XIII, p. 1189.

[2] In cit. *Historia Trevirensi* post *confidimus* additur : *nec episcopum Trajectensem fidei monitorem, sed ad honorem regni tractandum tibi misisse cooperatorem : deinde ad singula quae mandasti negotia, singula damus responsa, sed brevissima, quia infinita tibi reservamus ore ad os dicenda : si quidem hoc, etc.*

[3] Loc. cit. additur : *qualiter cum Romanis steterimus, qualiter a Romanis recesserimus.*

[4] Pro *seque* alias legitur *se quoque.*

[5] Alias legitur : *in quo reclusus habitat Hildebrant.*

imperatorem, tocius populi Romani exultatione. Hiis ita factis, cum benedictione Dei et sancti Petri, omnium gaudio a Roma recessimus, et, quanto citius poterimus[1], ad has partes properamus[2]; gaudeant qui velint, doleant qui velint, nos, Deo propicio, omnia negocia nostra feliciter terminabimus cum effectu[3]. »

Hoc tempore quidam potens, dum sederet in convivio, repente a muribus circumvallatus est, et, cum essent innumerabiles, multitudo murium de nullo captabant nisi de illo solo; sed cum a suis in pelagus maris deductus esset, nichil ei profuit, quia mures navim ipsam sequentes usque ad aque introitum corrodebant. In terra ergo positus, a muribus totus dilaceratur et comeditur. Invenitur etiam de quodam principe de Austria, quod nulla arte poterat juvari quin a pediculis consumeretur, quia pro certo dicitur, quod in quibusdam terris, si leopardus momorderit hominem, confestim murium copiam advenire, ut vulneratum commingant, immundumque urine diluvium communicari hominis exercicium[4].

1086. Anno M° LXXXVI° Heinricus imperator, Maguncie regali et synodali conventu coacto, exigit ab omnibus, ut Gregorii depositionem et Wiberti ordinationem sub scripto approbent : cui aliqui, manu et ore faventes, corde tamen cum Gregorio adherebant. Hermannus Metensis, sibi absenti abjudicato episcopatu, iterum urbe pellitur. Imperator in urbe Metensi unum et alterum mercenarium sibi supposuit : sed oves Christi non audierunt voces alienorum[5].

[1] Alias : *possumus.*

[2] Loc. cit. ita legitur : *properamus, et in via reditus invenit nos tuus nuncius. Gaudeant, etc.*

[3] Hic plurima desiderantur. En integrum epistolae finem : *Gaudeant qui velint, doleant qui velint, nos Deo propitio assumus, dominus ille quid agat, scire non curamus ; sed (quod tu monuisti) libenter, ne damnum nobis faciat, providebimus. De Saxonibus vero, de Salzburgensi archiepiscopo, de comite Adalberto et de aliis ad nos redire volentibus, tibi id respondemus, quia consiliis tuis liberter acquiescimus, ut tantummodo pax fiat in nostris temporibus, videlicet ut fideles sint, cum ad nos redierint. Tu autem, si non gravaris facere quod volumus, Augustam ad nos venire post festum Petri et Pauli te rogamus, quia Deo favente in festo eorum Radisbonae erimus. Studeas ergo ad nos venire, ut tuo nos adventu possis laetificare. Insuper tibi mandat apostolicus Clemens, et Henricus imperator, ut, sicut nos diligis, ita archiepiscopum Treverensem velociter consecrare festines. Vale.* Reliquum hujus rei negotium enarratur in cit. *Historia Trevirensi.* Theodoricus ille, Virdunensis episcopus, vir in multis laudabilis, schismatis maculam, qua plures vitae annos dehonestaverat, ante obitum anno 1088 abstersit; namque cum Romano pontifice reconciliari petiit, et pro offensis in apostolicam sedem poenitentiam egit.

[4] Forte legendum : *comminari homini exitium.*

[5] Alias *aliorum.*

Anno M° LXXXVII° Gregorius papa apud Salernum exulans moritur [1]. 1087.
De hoc eciam scriptum repperi [2]: « Volumus vos scire, qui ecclesiastice cure sollicíti estis, quod dominus apostolicus Gregorius nunc in extremis suis ad se vocavit unum de XII cardinalibus, quem multum diligebat pre ceteris; confessus est Deo et sancto Petro et toti ecclesie, se valde peccasse in pastorali cura, que ei ad regendum commissa erat, et suadente dyabolo contra humanum genus odium et iram concitasse; postea vero sentenciam, que in orbe terrarum effusa est, pro augmento christianitatis cepisse dicebat. Tunc demum misit predictum confessorem suum ad imperatorem et ad totam ecclesiam, ut optaret illi indulgenciam, quia vite sue finem conspiciebat. Et tam cito induebat se angelica veste, et dimisit ac dissolvit vincula omnium bannorum suorum imperatori et omni populo christiano, vivis et defunctis, clericis et laycis, et jussit suos abire de domo Theoderici et ad amicos imperatoris ascendere. »

Anno M° LXXXVIII° Saxones urbem Wirziburch obsidentes, ut episco- 1088.
pum ipsius Alberonem a civibus expulsum restituant sedi sue, Heinricus imperator aggreditur, sed exercitus ejus divinitus exterritus cessit, et ceciderunt ex eis plus quam quatuor millia, a parte Saxonum quatuordecim tantum occisis [3]. Nimia aquarum inundacio multis in locis dampno et periculo fuit. In Ytalia tanta diluvies fuit, ut rupes liquore aquarum dissolute plures villas ruina sua exterminarent. Cassinencium abbas Desiderius, qui et Victor, contra Clementem fit papa, sed dissenteria dissolutus non multo post obiit. Domestice aves, pavones, galline et anseres, a domibus se extraneantes, fiunt silvatice. Robertus junior [4] in partem regni a patre suo Roberto asciscitur.

De dedicatione cenobii Haffligemensis. Cap. XVI.

Haffligemensis cenobii fundatores, qui omnibus abjectis ita nudi ad edificandum claustrum convenerant, ut nichil secum preter panes tres,

[1] Obiit S. Gregorius VII die 25 maii an. 1085.

[2] Scriptum scilicet a quodam fautore imperatoris, quod apud Sigebertum legitur ad an. 1085. Falsa illa epistola non tamen ab ipso Sigeberto efficta est, nam et legitur apud Florentium Wigorniensem ad an. 1084. Cfr. Bethmann, apud Pertz, *Monum. Germaniae hist.*, t. VI, p. 365.

[3] Vid. Sigebert. ad an. 1086.

[4] Alias : *minor.*

dimidium caseum et pauca ferramenta detulerint, vix tribus annis exactis a Gerardo Cameracensi episcopo in honore apostolorum Petri et Pauli ecclesiam dedicari faciunt. Comitissa Lovaniensis Adela cum duobus filiis suis Heinrico et Godefrido ad edificandum inibi cenobium eundem locum libertate donavit [1], et predicti fratres monachos, a quibus monachicum ordinem discerent, sibi associaverunt : dominus Fulgencius hujus cenobii primus abbas electus est in festivitate sancti Martini.

1090. Anno M° XC° Odo, ex monacho Cluniacensi episcopus Ostiensis, contra imperatorem et Wibertum Romane ecclesie C^us^ LVI^us^ presidet, et Urbanus [2] nominatur. Godefrido, Godefridi Gibbosi ex sorore nepoti, tandem datur ducatus Lotharingie. Annus pestilencialis, maxime in occidentali parte Lotharingie, ubi multi sacro igne interiora consumente computrescentes, exesis membris instar carbonum nigrescentibus, aut miserabiliter moriuntur, aut manibus et pedibus putrefactis truncati miserabiliori vite reservantur, multi vero nervorum contractione distorti tormentantur [3].

Anno M° XCI° Heinricus imperator ad debellandos adversantes sibi Ytaliam repetit. Hermannus tyrannus a Saxonia Lotharingiam repetens ad concitandos regni motus laborat : qui dum muro castelli cujusdam approximat, jacto de turri saxo in capite percutitur, et moritur. Metis corpus sancti Clementis primi episcopi ab apostolis illuc ordinati, inventum levatur. Hermannus episcopus permissu imperatoris a Metensi urbe [4] receptus, dum post prandium liberaliter celebratum in lecto se reclinasset, mortuus invenitur. In Saxonia Egbertus comes, dum fideles imperatoris bello insequitur, et ipse perimitur. Sterilitas frugum terre augescit, et fames paulatim irrepit [5].

Anno M° XCII° Heinricus imperator in Ytalia castella et munitiones adversariorum sibi expugnat, Mantuam quoque obsidet et capit. Bone memorie Heinricus Leodiensis episcopus, amator pacis et religionis, obiit, eique Otbertus ex clero ejusdem ecclesie succedit [6]. Nobilis vir Heribrandus, divina revelatione ammonitus a sancto Petro, se a dampnatione videns

[1] Vide *Recherches sur l'hist. des comtes de Louvain*, p. 55.
[2] Urbanus II, electus die 12 martii an. 1088.
[3] Vid. Sigebert. ad ann. 1088 et 1089.
[4] Seu *a Metensibus*.
[5] Habet illa Sigebertus sub an. 1090.
[6] Vid. Sigebert. ad an. 1091.

absolutum, apud Hafflígem ad conversionem venit, qui XXX° die mox a Deo vocatur, quem secuti quinque filii ejus, frater quoque magni nominis et potencie, nomine Ingelbertus, omnes tonsurati ad celestes thesauros patrimonia transtulerunt.

Anno M° XCIIII° Conrardus filius imperatoris Heinrici in Ytalia se ad patris sui adversarios contulit, et multis se a patre ad filium vertentibus, hec res priores patris victorias multum offuscat, et vires ejus attenuat. Jaculum ignitum a meridie ad aquilonem per celum ferri visum est kalendis augusti, prima hora noctis [1]. Eclipsis solis facta est IX° kalendas octobris. Eodem anno, III° ydus octobris, obiit Robertus, primus hujus nominis Flandrie comes, marchisus, cognomento Jherosolimitanus; successit filius ejus Robertus.

Anno M° XCVI° Heinricus comes Lovaniensis, quartus[2] hujus nominis, Tornaci perimitur in torneamento. Succedit frater ejus Godefridus, postea dux.

In comitatu Namurcensi panem subcinericium quasi sanguine infectum vidimus. Urbanus per Burgundiam et Galliam habitis conciliis Gregorii decreta renovat et confirmat; Philippum regem Francorum, qui vivente uxore sua superduxerat alterius viventis uxorem, excommunicat [3].

De passadio transmarino, et de sex bellis ibi consertis [4]. CAP. XVII.

Eodem tempore occidentales populi, dolentes loca sancta Jherosolimis a paganis et gentilibus prophanari, et Thurcos eciam terminos Christianorum jam multa ex parte invasisse, innumerabiles, una aspiratione moti et multis signis sibi ostensis alii ab aliis animati, duces, comites, potentes, nobiles et ignobiles, divites et pauperes, liberi et servi, episcopi, clerici, monachi, senes et juvenes, eciam pueri et puelle, omnes uno animo, nullum ullo angariante, undique convenerunt : ab Hispania et Provincia, ab Aquitania et Britannia, a Scocia, ab Anglia, a Normannia et Francia, a Lotharingia et Burgundia, a Lombardia, ab Apulia et ab aliis regnis. Et virtute et signo

[1] Vid. Sigebert. ad an. 1093.

[2] Lege *tertius*. Vid. *Recherches sur l'hist. des comtes de Louvain*, p. 56.

[3] Vid. Sigebert. ad. an. 1095.

[4] Vid. Sigebert. ad. an. 1096, et supra, t. I, p. 538.

sancte crucis signati et armati, ultum ire parant injurias Dei in hostes christiani nominis; et quanto quisque hactenus ad exercendum mundi maliciam erat pronior, tanto nunc ad exercendum ultro Dei miliciam fit promptior, firmissima pace interim ubique composita. Et primo judeos in urbibus, in quibus erant, aggressi, eos ad credendum Christo compellunt; credere nolentes bonis privant, trucidant aut urbibus eliminant. Aliqui judeorum, zelo tenende patrie legis ducti, se mutuo trucidant; alii, ad tempus se credere simulantes, post ad judaïsmum revolvuntur [1]. Eminebant in hoc Dei hostico dux Lotharingie Godefridus, et fratres ejus Eustachius et Balduinus comes Montensis; Robertus comes Flandrensis; Stephanus comes Blesensis; Hugo frater regis Francorum; Robertus comes Northmannie; Raymundus comes sancti Egidii; Boëmundus, dux Apulie.

Soror Godefridi Gibbosi ducis Lotharingie, Yda Boloniensium comitissa, tradidit ecclesie Haffligemensi ecclesiam, que est in villa Genepia, cum decimis et universis ejus redditibus, consentientibus filiis suis Godefrido duce, Eustacio et Balduino. Idem Godefridus dux, filius ejus, in eadem villa quinque mansos terre dicte Haffligemensi ecclesie donavit, ad quos ipsa mater postea quasdam partes circumjacentes, plane unum mansum continentes, in augmentum concessit [2]. Cometes occidente sole [3] apparuit tota prima ebdomade octobris. Nimia aquarum inundatione autumpnalis satio impeditur, et sterilitas frugum terre sequitur.

Exercitus Dei agressus terminos paganorum viriliter agit: primumque eis fuit bellum ad pontem Pharphar fluminis, IX° kalendas marcii, ubi multi Thurcorum occisi sunt [4]. Secundum ex eis fuit bellum apud Nycheam, tercio nonas marcii [5], in quo eciam pagani victi sunt. Capta ergo Nychea, capta eciam Laodicia, cum essent plus quam trecenta millia armatorum in exercitu christianorum, tanta eis omnium rerum suppetebat copia, ut

[1] In editis Sigeberti exemplaribus haec tantum verba leguntur : *Aliqui post ad judaïsmum revolvuntur,* quibus hiulca manet locutio. Quae vero addit Dinterus, non solum hoc loco sed et in aliis ubi Sigebertum describit, nonne ostendunt illum ad manus habuisse Sigeberti codicem bene integrum?

[2] Cfr. *Notice sur un sceau inédit de Godefroid de Bouillon;* BULLETINS DE L'ACADÉMIE ROYALE DE BELGIQUE, t. XIII, part. I, pp. 355-360.

[3] Apud Sigebertum legitur : *Cometes in occidente apparuit, etc.*

[4] Hoc, quod et supra tom. I, p. 539, legitur, falsum esse, monent Cruciatarum historici.

[5] Immo *mense maio.*

aries uno nummo, bos vix XII nummis venderetur. Antequam Antiochia caperetur, sanctus Andreas apostolus apparuit cuidam rustico simplici, Provinciali genere, dicens : « Veni, ostendam tibi lanceam qua perforatus est Christus Jhesus. » Qui rusticus, capta civitate prefata, presente Raymundo comite et capellano suo, in ecclesia sancti Petri fodiens terram in loco de quo revelationem habuit, lanceam invenit. Dubitantibus autem plerisque utrum esset lancea Christi, quidam Bartholomeus nomine, quem Christus sibi apparens de lancea certificaverat, cum ipsa lancea per ignem tredecim pedum, quem sibi fieri jusserat, illesus transivit. Et sic exercitus fiduciam in Christo et in ejus lancea habentes, intrepidi processerunt per Accharon, que tunc Ptholomaida dicebatur. Deinde veniunt Cesaream, ubi cum essent, columbam desuper exercitum volantem accipiter unus graviter plagatam dejecit, circa quam reperte sunt litere quas deferebat, talis sententie : « Rex Accharon duci Cesaree salutem. Generatio canina, gens contenciosa venit, contra quas per te et per alios legem tuam defendas, idemque nunciabis aliis civitatibus. » Obsessa Antiochia in tantum attenuati sunt Christiani, propter omnium rerum penuriam, ut in toto exercitu vix centum boni equi invenirentur; et tamen, quamvis ex desperatione rerum multi se substraxerint, multi eciam repatriaverint, nono obsidionis mense capta Antiochia, Christiani a paganis versa vice obsessi tanta fame afflicti sunt, ut vix aliqui ab humanis carnibus se abstinerent; sed confortati a Deo per inventam ipsius lanceam, a tempore apostolorum non visam, ipsa lancea eos precedente, obsessi obsessoribus concurrerunt, IIII° kalendas julii, et hoc tercio bello victoriam adepti sunt. Supradictus vero Godefridus dux in hujusmodi obsidione Antiochena Thurcum quemdam, singularem pugnam poscentem, medium a lateribus gladio dissecuit, cujus dissecta medietate jam inanimi palpitante, reliquam tulit equus cui insederat, adeo firme Thurcus ille insederat equo suo. Idem Godefridus alterum Thurcum secum congressum vibrante in caput ense a vertice usque ad inguina discidit, et ex eodem ictu sellam et spinam equi penitus discidit. In eadem obsidione militem quemdam pabulatum progressum, a leone invasum, et clipeo se defendentem, tandem occisum indoluit, ut jaculo feram transfoderit, que saucia et dolore acrius seviens in eum irruit, ita quod ex ferro, quod gestabat ex vulnere, tibiam ejus sauciavit, qui mox gladio bestiam evis-

ceravit. Quartum bellum fuit eis in Romania, kalendis julii, et ibi Thurci victi sunt [1]. Commissa Antiochia duci Boëmundo, Christiani, propter vitandum tedium et famem, et maxime propter discordias principum, proficiscuntur in Syriam, et expugnatis Marra et Barra, urbibus Saracenorum, et multis regionum castellis, tanta ibi rursus fame affecti sunt, ut corpora Saracenorum jam fetencia comedere compulsi sint.

Conrardus Ultratrajectensis episcopus, feria quarta Pasche, post missam a se celebratam a quodam suorum in domo sua perimitur. Multis in locis, V° kalendas octobris, celum quasi ardere visum est nocturno tempore, et secuta est gravis animalium pestilencia, et segetes nimio ymbre et aurugine corrupte sunt. Colonie post Hermannum Fredericus ordinatur episcopus [2].

Exercitus Dei, divino monitu in interiora Syrie profectus, larga Dei manu refocillatus est, quia cives et castellani illius regionis legatos cum multis denariis ad eum premittebant, parati eciam urbes et oppida eis tradere. A quibus Christiani securitate accepta et indicto urbibus tributo, interim eciam multis eorum qui se substraxerunt ad eos apud Tyrum recurrentibus, tandem perveniunt Jherusalem, eaque obsessa, cum laborarent pre victus et maxime pre aque penuria, omnes, ex communi decreto, nudis pedibus cotidie orando circuibant urbem. Octavo ergo talis humiliationis die, obsidionis autem XXXIX°, capta est Jherusalem, idibus julii, in sexta feria. In templo Salomonis et in porticu ejus Christiani cum paganis quinto bello conserto, tanta in eis cede debachati sunt, ut in sanguine occisorum equitarent usque ad genua equorum. Cum ordinatum esset qui Jherusalem deberet retinere, principibus jam de repatriando agentibus, ecce rex Saracenorum ad debellandos eos venit Ascaloniam, cum centum millibus equitum et quadringentis millibus peditum; quibus cum occurrisset exercitus Domini, in quo non plus quam V millia equitum et XV millia peditum erant, Deo pro servis ad se clamantibus pugnante, et nube eos ab estu solis defendente, Saraceni, solo Christianorum impetu territi, omnes projectis armis fugerunt : et in hoc sexto bello, quarto kalendas augusti facto, cesi sunt centum millia paganorum : in porta vero Ascalonie

[1] Cfr. epistola Cruciferorum ad Paschalem papam anno 1100 data, apud Dodechinum ad an. 1100.

[2] Die 25 augusti an. 1099 seu 1100.

suffocati sunt ad duo millia; at eorum, qui in mari perierunt, et qui inter spineta silvarum consumpti sunt, numerus nescitur. Duce Godefrido electo ad principandum remanentibus in Jherusalem, ceteri principes repatriant. Capta est autem Jherusalem post annos circiter quadringentos sexaginta, ex quo, sub Eraclio imperatore secunda vice capta, possessa est a Saracenis [1]. Est autem Jherusalem civitas in montibus sita, rivis, fontibus et silvis carens, excepto fonte sylve, ubi quoque aqua sufficiens reperitur. Fuerat autem post Titi et Vespasiani destructionem per Helium Adrianum mirifice reparata, sed non in eodem loco ubi prius. Ibi Godefridus, qui ibi factus fuerat rex, secundo anno mortuus sepelitur. Creduntur transfretasse tunc plus quam ducenta millia Christianorum in subsidium Terre Sancte. Usum campanarum in transmarinis partibus Godefridus dux primus induxit, quas licet Saraceni multum commendant, quia tamen Christiani eos in eis habendis prevenerunt, nolunt eis uti. (Hec Johannes, An de judeis et Saracenis, in glosa.) Sanctus Wibertus, in cenobio Gemmelacensi a se fundato, ad sepulchrum suum magnis clarescit miraculis. Cellam fraccinam dominus Fulgencius abbas Haffligemensis suscepit regendum.

Anno M° C° Urbanus et Wibertus [2], qui de papatu Romano contendebant, moriendo finem faciunt sue contentionis. Raginerus, qui et Paschalis, Romane ecclesie C^us LVIII^us [3] presidet. 1100.

De morte Godefridi regis Jherusalem. Cap. XVIII.

Godefridus dux Lothariensium et princeps Jherosolomitanorum moritur; Balduinus frater ejus in principatu ei succedit. Robertus comes Flandrie, desideratus a multis, acquisita sibi multa laude secularis milicie, redit de via Domini; multi similiter ante eum et post redierunt, plurimis cum rege supradicto Jherosolimis, vel Antiochie et in ceteris civitatibus Deo acquisitis, remanentibus.

Anno M° C° I° Conrardus, filius Heinrici imperatoris, adhuc patri rebel- 1101.

[1] Vid. Sigebert. ad an. 1099.

[2] Seu *Guicbertus.*

[3] Seu *CLVII.*

lis in Ytalia moritur. Heinricus imperator Heinricum Lymburgensem adversantem sibi debellat, et expugnatis ejus castellis eum ad dedicionem cogit. Sed imperator ei, multa summa graciam suam redimenti, eciam ducatum Lotharingie donat.

Anno M° C° II° Roberto Flandrensium comite inquietante urbem Cameracum, Heinricus imperator contra eum proficiscitur, et aliquibus ejus castellis expugnatis, asperitate instantis hyemis redire compellitur.

Anno M° C° III° Heinricus imperator, sedatis Saxonum motibus, pacem in quadriennium constituit. Legie generali conventu habito, Robertus comes Flandrensis in graciam imperatoris recipitur. Jherosolimite Acaron urbem capiunt, sed quam acquisierunt per industriam, perdiderunt per negligenciam [1].

Excerptum epistole directe Heinrico imperatori a Wernero [2] principe Anchonicano [3]. CAP. XIX.

« Quidam Romane ecclesie clerici, qui pro religiosis et sapientibus habebantur, qui eciam Hildebrando pape, Odardo et Raginero [4] familiariter adheserant, relicta illorum secta, quam erroneam esse tandem intellexerant, ad satisfactionem sancte ecclesie venerunt. Hujus rei maxima causa fuit, quia Raginerum papam pollutum esse symoniaca heresi pro certo compertum habebant. Infamabatur enim publice ipse Raginerus, quod, dum fuisset abbas sancti Laurencii, prioratum ejusdem ecclesie vendiderit cuidam monacho XX solidis; quod ipse diffiteri non potuit. Infamabatur eciam quod, post Odardum ambiens papatum, promisit pacto et sacramento Gregorio comiti Tusculanensi, et filio ejus Theodolo, et Petro de Columpna, se daturum eis centum libras denariorum Papiensium, et unciam confessionis, et tres Romane ecclesie curias, scilicet Nympham, Ziberam, Archiam [5], si assentirentur ejus electioni; et ita electus, dederit in hac summa solvenda calicem aureum ecclesie et purpuream planetam.

[1] Ex Sigeberto ad ann. 1100, 1101, 1102, 1103 et 1104.

[2] Seu *Guarnero*. Wernerus ille, partes sectans imperatoris, abbatem Farfensem in antipapam promovit et Silvestrum appellavit.

[3] Seu *Anchonitano*. Vid. Sigebert. ad. an. 1105.

[4] Alias *Rainero*.

[5] Lege *Arithiam*.

reliquum vero summe solveret pro eo Petrus Leonis et Albertus Stephani: libram eciam auri dederit scriniario. Ob hoc Romani se subtrahentes ab ejus communione, factis inter se conciliis cum episcopis et cardinalibus, monebant eum, ut de tanta infamia se sponte purgaret. Quod dum Raginerus ferret indigne, et se magis ad furorem quam ad satisfactionem accenderet, et accusatoribus tormenta et mortem intentaret, Romani, eum vere hereticum et scismaticum protestantes, protulerunt in eum senteneiam juste damnaptionis. Preminebat inter Romanos quidam Maginolfus archipresbyter, qui, quia erat laudabilis vita et utraque sciencia adprime eruditus, longo tempore prelatus Romano clero, diligebatur a cuncto populo Romano, tamquam pater a filiis. Cum eciam hic zelo Dei accensus contestaretur publice Raginerum esse hereticum, tunc fere omnes Romani conclamabant, Raginerum ut symoniacum esse deponendum, Maginolfum vero ut veritatis testem esse substituendum in sede apostolica. At Maginolfus, et insidias hominum et onus apostolici honoris fugiens, in munitissimum locum se contulit. Berto vero, caput et rector Romane milicie, quasi causa audiendi verbi vite ad eum accedens cum expeditione cleri et populi, eum inde extraxit, et ad Warnerum principem Anchone in Tyburtinam urbem adduxit : et sic electus, IIII° nonas novembris in sedem apostolicam promotus, et Silvester quartus appellatus est. »

Paschalis papa interim transiens ad Gallias exercet synodales causas, et non apparente nota symoniace, a Romanis sibi injuste injecta, honoratur apostolica dignitate. At Maginolfus invasionis reus non multo post reprobatur a Romanis, et fama nominis ejus evanuit.

Immunitas Hafflígemensis ecclesie eciam apostolica auctoritate a Paschali papa corroboratur. Anno VI° pontificatus ejus dominus Fulgencius abbas locum qui dicitur Forest [1] suscipit. Quarto nonas februarii [2] stella per diem visa est in celo, ab hora tercia usque ad horam nonam, quasi cubito distans a sole. Secundo ydus februarii apud Barum Ytalie stelle vise sunt celo per diem, nunc quasi inter se concurrentes, nunc quasi in terram cadente. Toto pene mense februarii cometes apparuit.

[1] *Forestum* seu *Vorst*, quondam abbatia faeminarum ordinis S. Benedicti, apud Bruxellas.

[2] An. 1106, apud Sigebertum.

Qualiter Heinricus, filius imperatoris, contra jus nature et fas legum in patrem insurgit. Cap. XX.

1104. Anno M° C° IIII° Heinricus filius imperatoris, contra jus nature et fas legum in patrem insurgens, quam indigne eum tractaverit, declarat epistola ex ore ipsius patris scripta ad Philippum regem Francorum, cujus tenor sequitur [1]:

« Princeps clarissime, et omnium, in quibus post Dominum speramus, amicorum fidelissime, primum et precipuum inter omnes vos excepi, cui conqueri et deplorare calamitates et omnes miserias meas necessarium duxi: eciam genibus vestris advolvi, si liceret salva majestate imperii. Primum quidem est, quod non solum nobis sed etiam tocius christiane professionis omnibus gravissimum et intolerabile arbitramur, quod de illa apostolica sede, unde usque ad memoriam nostri temporis salutifer fructus consolationis, dulcedinis et salvationis animarum oriebatur, modo persecutionis, excommunicationis et omne perditionis flagellum in nos immittitur, nec ponunt illum modum sentencie, tantum ut satisfiat voluntati indiscrete. Hujus voluntatis sue intemperancia adeo usque nunc abusi sunt in me, ut nec Deum, nec quid aut quantum mali inde proveniat, pensantes, per se et per suos omnimodis invehuntur in me, cum obedienciam et omnem debitam subjectionem sepe obtulerim apostolice sedi, si tamen reverencia et honor debitus, sicut antecessoribus meis, ab apostolica sede exhiberetur et michi. Quid autem intendant, oportunius ipse significabo vobis, siquidem optati colloquii copiam Deus dederit nobis. In hac igitur persecutionis et odii inflammatione, cum parum viderent se proficere, contra ipsum jus nature laborantes (quod sine maximo cordis dolore sive multis lacrimis dicere non valeo, et, quia dico, vehementer contremisco), filium meum, meum inquam Absalon dilectissimum, non solum contra me animaverunt, sed eciam tanto furore armaverunt, ut in primis contra fidem et sacramentum, quod ut miles domino juraverat, regnum meum

[1] Vide supra, t. I, p. 541, et Sigebertum ad an. 1106, apud Pertz, *op. cit.*, t. VI, p. 371-373, ubi exstant Cl. Bethmanni notae et variae lectiones ad hanc Henrici imperatoris epistolam, anno 1106 scriptam.

invaderet, episcopos et abbates meos deponeret, inimicos et persecutores meos substitueret; ad ultimum, quod maxime vellem taceri, aut, si taceri non potest, vellem non credi, omnem nature affectum abjiciens, in salutem et animam meam intenderet, nec pensi quidquam haberet, quocumque modo, vel vi vel fraude, ad hanc periculi et ignominie sue summam aspiraret.

» In hac tanta mali sui machinatione, cum essem in pace et in aliqua salutis mee securitate, in ipsis dominici adventus sanctissimis diebus, in locum, qui Confluencia dicitur, ad colloquium evocavit me, quasi de communi salute et honore filius tractaturus cum patre. Quem ut vidi, ilico ex paterno affectu tactus intrinsecus dolore cordis mei, ad pedes suos procidi, ammonens et obtestans per Deum, per fidem, per salutem anime, ut, si pro peccatis meis flagellandus eram a Deo, ipse de me nullam maculam conquireret anime, honori et nomini suo, quia culpe patris vindictam filium esse, nulla legis divine unquam constituit sanxio. At ille jam pulchre, ymmo miserrime institutus ad maliciam, quasi abhominabile et execrabile scelus cepit detestari; procidens et ipse ad pedes meos, de preteritis veniam cepit precari, in reliquum, ut miles domino, ut patri filius, cum fide et veritate per omnia se michi obauditurum cum lacrimis promittere, si solummodo sedi apostolice vellem reconciliari. Quod cum promptissime annuissem, et deliberationi sue et consilio principum in hoc totum me mancipandum me promisissem, in presenti Nativitate se producturum me Magunciam, et ibi de honore et reconciliatione mea, quam fidelius posset, se acturum, et inde in pacem et securitatem me reducendum promisit, in ea veritate et fide, qua patrem a filio honorari, et filium a patre precipit Deus diligi. Hac promissione, que etiam gentili observanda est, securus illorsum ibam, et filius meus aliquantulum precesserat me, cum quidam fideles mei occurrentes verissime affirmabant, me deceptum et proditum sub falsa pacis et fidei sponsione. Revocatus autem filius meus, et iterum instantissime a me ammonitus, sub ejusdem fidei et sacramenti obtestatione, animam suam pro anima mea fore promisit, jam secunda vice.

» Cum ad locum ergo, qui Binga dicitur, pervenissemus, jam existente die Veneris ante Nativitatem, numerus armatorum suorum jam satis augebatur: jam fraus ipsa detegi videbatur. Et filius ad me : « Pater, inquit,

nobis cedendum est in vicinum castellum, quia nec episcopus Maguntinus in civitatem suam admittet nos, quamdiu in banno eritis, nec vos impacatum et irreconciliatum audeo ingerere inimicis vestris. Illic Nativitatem cum honore et pace agetis, quoscunque placuerit vobis, vobiscum habeatis : ego interim, quanto instancius et quanto fidelius potero, pro nobis utrisque laborabo, quia causam vestram esse meam estimo. » At ego : « Mi, inquam, fili, testis et judex sermonum et fidei assit inter nos hodie Deus, qui, quomodo te in virum perfectum et heredem meum produxerim, quantis laboribus meis honori tuo inservierim, quot et quantas inimicicias pro te habuerim et habeam, solus est conscius. » Ille autem iterum, jam tercio, sub ejusdem fidei et sacramenti obtestatione, si ingrueret occasio periculi, caput suum pro capite meo fore promisit michi.

» Sed postquam clausit me in eodem castello, quod omnia animo et corde erat locutus, manifeste ostendit rei eventus. Ex omnibus meis ego quartus sum inclusus, nec admitti potuit quilibet alius. Custodes deputati, qui vite mee erant atrociores inimici. Benedictus per omnia Deus, exaltandi et humiliandi, quemcunque voluerit, rex potentissimus! Cum igitur ipse, sacratissimo die nativitatis sue, omnibus redemptis suis ille sanctus sanctorum puer fuisset, michi soli filius ille non est datus. Nam, ut taceam obprobria, injurias, minas, gladios in cervicem meam exertos, nisi omnia imperata facerem; famem etiam et sitim, quam ferebam, et ab illis, quos injuria erat videre et audire : ut eciam taceam, quod est gravius, me olim satis felicem fuisse ; illud nunquam obliviscar, nunquam desinam omnibus christianis conqueri, quod illis sanctissimis diebus sine omni christiana communione in illo carcere fui.

» In illis penitencie et tribulationis mee diebus, a filio meo missus venit ad me quidam principum Wicbertus, dicens nullum vite mee esse consilium, nisi sine ulla contradictione eciam regni insignia redderem, ex voluntate et imperio principum. At ego, etsi omnis terra, quantum inhabitatur, regni mei esset terminus, volens vitam meam regno commutare, quia vellem nollem sic agendum, et sic diffinitum intelligebam, coronam, crucem, lanceam [1], gladium misi Maguncіam. Tunc, communicato consilio cum inimicis meis, filius meus egrediens, relictis ibidem fidelibus

[1] Alibi *sceptrum*, vel *chlamydem*.

et amicis nostris, quasi me eo adducturus, sub multa frequencia et custodia armatorum me eductum ad villam, que Ingelhem vocatur, fecit me ad se adduci, ubi maximam multitudinem inimicorum collectam inveni, nec ipsum filium ceteris meliorem michi repperi. Et quia firmius et stabilius eis videbatur esse, si propria manu cogerent me regnum et omnia regalia exfestucare, simili modo et ipsi omnes minabantur, nisi omnia imperata facerem, nullum vite mee consilium fieri posse. Tum ego : « Quia, inquam, de sola vita agitur, qua nichil preciosius habeo, ut saltem vivens penitentiam exhibeam Deo, quidquid imperatis, ecce facio. » Cumque inquirerem, si saltem sic de vita certus et securus esse deberem, ejusdem apostolice sedis legatus, qui ibidem aderat, nec dico qui hec omnia ordinaverat, respondit, me nullo modo eripi posse, nisi publice confiterer, me injuste Hildebrandum persecutum esse, Wicbertum injuste ei superposuisse, et injustam persecutionem in apostolicam sedem et omnem ecclesiam hactenus exercuisse.

» Tunc cum maxima animi contritione humi prostratus, cepi per Deum, per ipsam justiciam orare, ut locus et tempus michi daretur, ubi in presencia omnium principum, unde innocens essem, et judicio me purgarem, et inde de principibus regni, de fidelibus meis, quoscunque obsides vellent, darem [1]. At ille idem legatus diem et locum michi abnegavit, dicens, aut ibi totum debere determinari, aut nulla spes michi esset evadendi. In tante tribulationis articulo cum interrogarem, si confiterer omnia, que imperabantur, an confessio mea, ut justum est, veniam et absolutionem consequeretur, idem legatus respondit, non esse juris sui me absolvere. Et cum ego ad hoc dicerem : « Quicunque confitentem audet recipere, confessum debet absolvere; » — « Si vellem, inquit, absolvi, Romam irem satisfacere apostolice sedi. » Sic desolatum et spoliatum (nam et castella et patrimonia, et quidquid in regno conquisieram, eadem vi et arte sua extorserant a me) in eadem villa reliquerunt me. In qua cum aliquo tempore moratus essem, et filius meus, ex eodem fraudis sue consilio, demandasset ut eum exspectarem, superveniens quorun-

[1] In aliis codd. post verba *omnium principum* sic legitur : *cum innocens essem, vellem ex judicio omnium me expurgare; et in quo culpabilem me recognoscerent, ex consilio omnium sanioris sententiae, poenitentiam et satisfactionem, quo ordine juberent, quaerere; et in principibus regni de fidelibus nostris, quoscumque obsides vellent, dare.*

dam fidelium meorum legatio premonuit, ut, siquidem ad momentum ibidem remanerem, aut inde in perpetuam captivitatem raperer, aut in eodem loco decollarer. Quo nuncio satis eciam tunc vite diffisus, ilico aufugiens, fugiendo veni Coloniam, et inibi aliquot diebus commoratus, postea Leodium veni, in quibus locis viros fideles inveni [1]. »

1105. Anno M° C° V°, Heinrico imperatore Leodii commorante, filius ejus Aquisgrani venit, et volens venire Leodium contra patrem suum, quinta feria dominice cene, premisit suos preoccupare pontem apud Wisatum, ne quis sibi venienti obstaret; sed militibus patris concurrentibus ad exoccupandum pontem, milites filii a ponte repelluntur, aliis eorum captis, aliis in Mosam dimersis, aliis occisis, inter quos etiam Bruno comes occisus est. Sic filius contra patrem veniens rediit inglorius. Coloniensibus fidem imperatori servantibus, at eorum archiepiscopo filium imperatoris contra patrem suum animante, Colonia obsessa oppugnatur, nec tamen expugnatur. Anno M° C° V° [2] Heinricus imperator Leodii moritur [3], eique succedit filius equivocus.

De Heinrico rege quinto hujus nominis et imperatore quarto; et qualiter Heinricus dux Lymburgensis per imperatorem privatur ducatu Lotharingie, qui datur Godefrido cum Barba comiti Lovaniensi. Cap. XXI.

1106. Anno dominice incarnationis M° C° VI°, mortuo Heinrico imperatore tercio et rege quarto, Heinricus quintus, filius suus, ei succedit. Hic Heinricus quintus, attendens multiplices infidelitates nephandosque excessus Heinrici ducis Lymburgensis et Lotharingie, qui, ab imperatore quondam suo patre ad suum filium transiens, ipsum contra eundem suum patrem consilio animando, et a suo filio ad patrem suum redeundo, partes ipsius

[1] Nonnulli codices MSS. Sigeberti, illudque epistolae exemplar quod Baronius ad annum 1106 descripsit, addunt : « *Horum caeterorumque fidelium regni consilio usus, vobis fiducialius et honestius habeo deplorare has omnes miserias meas : fiducialius quidem propter mutuae consanguinitatis vel antiquae amicitiae debitum, honestius autem propter tanti regni nomen gloriosum. Vos autem per fidem, per amicitiam rogo, in tantis tribulationibus meis ac injuriis propinquo ac amico consulatis. Quae fidei et amicitiae vincula etsi inter nos non essent, vestrum tamen et omnium regum terrae est injuriam et contemptum nostrum vindicare, et tam nefariae proditionis et violentiae exemplum de superficie terrae extirpare, cooperante Domino Nostro Jhesu Christo, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.* »

[2] Immo anno 1106, die 7 augusti.

[3] Vid. apud Pertz, op. cit., t. VI, p. 371, not. *d*, quae de morte et sepultura Henrici IV leguntur in Sigeberti MS. codice S. Pauli Virdunensis.

sui filii debellavit, quapropter ipse Heinricus rex prefatum Heinricum ducem, tamquam lese majestatis reum, capi faciens, ipsum carcerali custodie mancipari mandavit, de qua ipse per industriam suam evasit. Deinde eodem Heinrico duce, predictis et aliis suis demeritis exigentibus, per dictum regem ducali dignitate et honore privato et destituto, idem rex, attendens multiplicia merita, probitatis et preclare devotionis insignia, necnon ex parte legalitatis et fidelitatis fideique constanciam, quibus spectabilis Godefridus, dictus cum Barba, comes Lovaniensis et marchio, de propagine sancti Karoli Magni exortus, frater Heinrici comitis, qui Tornaci in armis interiit, et clare memorie progenitores sue domus sive prosapie Brabancie et Lotharingie, vetusto jam tempore, sacrum honorarunt imperium; illum eciam fervidum sue mentis ardorem, quem ad imperii promovendos honores habere dinoscebatur, attencius regie considerationis intuitu limpidius intuens; considerans eciam placida, fructuosa et grata servicia, que per eum sibi et imperio in posterum possent exhiberi : animo deliberato, sanoque suorum principum et fidelium accedente consilio, memoratum Godefridum, premissorum suorum meritorum intuitu originisque sue nobilitate poscente, de potestatis sue plenitudine, in Dei nomine, a quo omnis principatus et honor provenire cognoscitur, illustravit, et, in verum principem ac ducem Lotharingie et Brabancie sublimando et erigendo, sibi, heredibus et successoribus suis ducatum Lotharingie et Brabancie contulit et donavit; decernens expresse quod ipse et successores sui, duces Lotharingie et Brabancie, eodem ducatu, in antea perpetuo, cum omni dignitate et nobilitate, jure, potestate, privilegio, libertate, honore et consuetudine gaudere deberent atque frui continue, quibus sui progenitores sue prosapie, et alii sui antecessores, duces Lotharingie, ipso ducatu, cum urbibus et pertinentiis suis, fruiti fuerant et gavisi, de consuetudine vel de jure.

Hic siquidem Godefridus dux, dictus cum Barba, genuit Godefridum ducem Lotharingie secundum, qui sibi in ducatu successit, et Heinricum comitem Lovaniensem et militem, tandem monachum Haffligemensem; et Aleidem Anglorum reginam, et Idam comitissam Clevensem, ac Clarissam, que virgo permansit. Hic, ducatus sui anno XXXIII°, comitatus vero anno XLV°, obiit, anno M° C° XL°, et est sepultus in ecclesia monasterii Haffligemensis. Hic Godefridus dux, de propagine Pipini et Karlentium, hujus nominis dux *primus*, toto tempore vite sue habuit magnas

guerras contra Heinricum Lymburgensem et dominos Grimbergenses: que quidem guerre duraverunt usque ad mortem ducis Godefridi secundi, sui filii, inclusive, et fuerunt renovate, post obitum ejusdem Godefridi ducis secundi, cum Godefrido tercio, prout inferius patebit.

Mense februario in Occidente oritur cometa admodum gracilis sed ignea, cujus radii miro modo lactei visi sunt diutim crescere, atque sub Orione ad Orientem protendere. Visus est eciam globus igneus, media quidem nocte, ab eadem stella in terram cadere. Mense autem septembri Robertus comes Northmannie fratrem Heinricum regem Anglie bello aggreditur: multis utrinque interfectis, idem Robertus, a suis traditus et captus, in Angliam ducitur et carceri includitur.

Qualiter Heinricus Lymburgensis exdux occupat oppidum Aquisgrani, quod Godefridus dux expugnat. Cap. XXII.

1107. Anno M° C° VII° Heinricus Lymburgensis exdux, affectans repetere ducatum Lotharingie, occupat oppidum Aquisgrani contra Godefridum cum Barba ducem. Sed hoc non ferens dux Godefridus, oppidum Aquense violenter irrupit, oppidanos a favore Heinrici exterruit, aliquos comites et multos potentes et nobiles cepit. Ipse Heinricus cum filiis suis vix fuga evasit: uxorem ejus capere indignum duxit; comites et multos potentes, eorum quos ceperat, per conditionem sub se militandi sibi conciliatos, ad fidelitatem suam adduxit. Hoc tempore Hugo de sancto Victore Parisiis floret. Ordo Templariorum ex militibus aggregatis in Jherusalem ortum cepit, et dicti sunt milites Templi, quia in porticu Templi sedem sui ordinis statuerunt. Hoc tempore Fredericus archiepiscopus Coloniensis, post Hermannum divitem, magis instancia Heinrici quarti imperatoris supradicti quam priorum [1] electione, ordinatus est : nam usque ad illud tempus imperatores annulum et baculum tradebant. Hic Fredericus contra innumeram multitudinem Suevorum et Bavariorum, parva manu Andernaci confligens, triumphavit, et sedit annis XXXII, sub Heinrico quarto et quinto imperatoribus, paucos Lotharii imperatoris attingens, quem ipse Colonie unxit in regem, una cum uxore sua Ritza [2]. Cujus eciam industria

[1] Seu potius : *parum*.

[2] Seu *Richildi*.

cenobium sanctimonialium, quod vulgariter dicitur Rolantswerde, et Cella Remagensis construuntur, et provisioni Cunonis, Sybergensis abbatis quarti, atque suorum successorum committuntur.

Anno M° C° VIII° Heinricus imperator contra Robertum secundum Flandrensium comitem vadit, et, pacto pacis magis utrinque simulato quam composito, pene inefficax redit. Boëmundus dux Apulie contracto undique exercitu accingitur ad invadendum Constantinopolitanum imperium. Incendii plaga in christianos iterum suscitatur. In parochia Legiensi porca enixa est porcellum habentem faciem hominis; natus est eciam pullus galline quadrupes. Imperator Heinricus contra Ungaros vadit, sed facto pacto redit.

Anno M° C° IX° Philippus rex Francorum obiit, Ludovicus filius ejus post eum regnat annis XXVII. Anno M° C° X° Heinricus quintus regis Anglorum filiam Mechtildem admodum parvulam in matrimonium sortitur. In mense junio cometes apparuit, radios dirigens ad Austrum, multis conjicientibus hoc signo portendi futuram regis Heinrici quinti expeditionem versus Ytaliam. Sanctus Wibertus, fundator Gemmelacensis cenobii, ubi et sepultus requiescit, quem Deus multis miraculis et magnis miraculorum signis per annos XII longue lateque clarificaverat, auctoritate venerabilis Frederici Coloniensis archiepiscopi, et assensu generalis synodi, a domino Otberto Legiensi episcopo elevatur : que elevatio innumerabili concursu et mirabili gaudio populorum celebrata est IX° kalendas octobris [1].

De discordia sedanda et postea sedata inter regnum et sacerdocium [2].
Cap. XXIII.

Anno M° C° XI° Henricus V^us hujus nominis rex Romam vadit propter 1111
sedandam discordiam, que erat inter regnum et sacerdocium, que cepta est a Gregorio VII° hujus nominis papa, qui Hildebrandus nominatus est, exagitata a successoribus Gregorii Victore et Urbano, et pre omnibus a Pas-

[1] Cfr. Sigebert. ab an. 1107 ad 1110.

[2] Desumptum est hoc capitulum ex Sigeberto ad an. 1111. Res vero a Sigeberto vel forsitan ab ignoto aliquo ejus continuatore ita enarratur, ut in multis non sedis apostolicae et ecclesiae potestatis amicum et defensorem, sed potius auctoritatis regiae et caesareae adulatorem prodat. Cfr. Baronius ad an. 1111, et Gueranger, *De l'élection et de la nomination des évêques*, chap. VIII, IX et X.

chali, magno scandalo erat toti mundo. Rex uti volens auctoritate et consuetudine, et auctoralibus privilegiis imperatorum, qui a Karolo Magno, qui primus de regibus Francorum imperavit Romanis, jam per trecentos et eo amplius annos imperaverant, sub sexaginta tribus apostolicis, dabat licite episcopatus et abbatias et per annulum et per virgam. Contra hanc majorum auctoritatem censebant pape synodali judicio, nec posse nec debere dari per virgam vel per annulum episcopatum vel aliquam ecclesiasticam investituram a laycali manu, et quicunque ita episcopatus aut aliam ecclesiastici juris investituram accipiebant, excommunicabantur. Propter hanc precipue causam rex Romam tendebat, et, si qui Longobardorum quoquo modo ei resistere volebant, potenter eos proterebat.

Robertus secundus, in expeditione Ludovici regis Francorum mortuus, Atrebati sepelitur; succedit filius ejus Balduinus.

Quid vel quomodo inter papam et regem convenerit, cum multa a multis dicantur, hoc tantum a nobis dicetur, quod in epistola ab ipso rege scripta legimus. Instabat omnimodis papa, ut averteret regem a potestate dandi episcopatus vel abbacias, nec per annulum nec per virgam. Regi querenti per internuncios a papa, hiis omnibus sibi ablatis, quomodo constaret regnum, quoniam fere omnia regalia antecessores sui concesserant et tradiderant ecclesiis, respondit : « Sacerdotes decimis ecclesie et oblationibus contenti sint; rex vero omnia predia et regalia, que a regibus collata sunt ecclesiis, recipiat et detineat sibi et successoribus suis. » Rege per internuncios respondente, se nolle violenciam et injusticiam inferre ecclesiis, promisit papa et, suis pro se jurantibus, affirmavit, se dominica instantis quadragesime omnia regalia, cum justicia et auctoritate apostolica, ab episcopis et ecclesiis auferre, et regno reddere, id est : civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, thelonea, advocacias, omnia jura centurionum vel villicorum, curtes et villas, cum omnibus pertinentiis suis, que regni erant, miliciam et castra. Hanc conventionem in carta descriptam regi dedit, hoc addens quod ipse regem et regnum ulterius non inquietaret, et privilegio sub anathemate confirmaret, ne postea sui eum inquietare presumant: regem benigne et honorifice susciperet eumque in imperatorem coronaret, et ad tenendum imperium auxilio officii sui adjuvaret. Pro his omnibus implendis papa regi obsides dedit. Internuncii regis, quamvis scirent hoc nullo modo posse fieri, affirmaverunt, si papa hec compleret, regem quoque investituras ecclesiarum, uti querebat, refutaturum.

Hac spe promissionum regi Romam tendenti Paschalis papa, primo per suos, postea ipse cum prioribus Romanorum extra urbem occurrit, nullamque causam resistendi ostenderunt. Vix civitatis portas ingressus erat, cum militibus ejus infra civitatis menia secure vagantibus, alii vulnerati, alii occisi, omnes vero pene capti aut spoliati sunt. Rex tamen, quasi pro levi causa non motus, tranquilla mente usque ad januas ecclesie beati Petri cum processione pervenit : ubi volens ostendere, nullam ecclesiarum Dei disturbationem ex suo velle procedere, in oculis et auribus omnium astantium hoc decretum promulgavit: « Ego Heinricus imperator augustus affirmo Deo et sancto Petro et omnibus episcopis et abbatibus, et omnibus ecclesiis, quod omnia, que antecessores mei reges vel imperatores concesserunt, vel quoquo modo tradiderunt Deo, ego nullo modo subtrahere volo. »

Hoc decreto lecto et subscripto petiit a papa, ut adimpleret ei quod in charta conventionis scriptum erat. Ipse eciam rex conventionem suam ad papam firmavit, jurantibus quatuor comitibus, quod proxima quarta vel sexta feria rex principes suos amiciciam jurare faceret, obsides daret, eo tenore, si papa proximo dominico die adimpleret regi per omnia, quod in charta conventionis scriptum erat. Cum ergo rex insisteret, ut papa, cum justicia et auctoritate, promissam sibi conventionem de reddendis sibi regalibus confirmaret, universis, tam suis quam nostris, scilicet episcopis, abbatibus et universis ecclesie filiis in faciem ei resistentibus, et decreto suo plenam heresim inclamantibus, voluit papa, si salva pace ecclesie potuisset hoc privilegium proferre, ne sacerdotes, abbates aut clerici secularibus occupentur, neve ad comitatum accedant, nisi pro dampnatis eruendis, neve miliciam exerceant, que vix, aut nullomodo, sine rapinis, sacrilegiis, incendiis et homicidiis exhibentur, neve ministri altaris fiant ministri curie, neve accipiant a regibus ad regnum pertinencia. Regi autem sive imperatori censuit esse dimittenda omnia ad regnum pertinencia, a tempore Karoli Magni et ceterorum imperatorum, interdicens sub anathemate ne quisquam episcoporum invadat ad regnum pertinencia. Interdixit eciam sub anathemate, ne illi, qui post eum in apostolica sede sessuri sunt, audeant regem aut regnum inquietare sub hoc negocio.

In reconciliatione autem, que facta est inter papam et imperatorem, qui ipsum papam cum episcopis et cardinalibus ceperat, hoc fuit juramentum regis :

« Ego Heinricus rex, quarta vel sexta feria proxima, liberos dimittam dominum papam et episcopos et cardinales, et omnes captivos et obsides: et pape et fidelibus ejus et Romanis pacem et securitatem servabo, tam per me quam per meos, in personis et in rebus, eique obediam, salvo honore regni vel imperii. »

Hoc juramentum juraverunt eciam episcopi et principes circiter quatuordecim. Juramentum ex parte pape hoc fuit: « Dominus papa Paschalis in nullo inquietabit dominum regem nec regnum ejus de investitura episcopatuum vel abbaciarum, neque de injuria sibi et suis illata, in personis, in bonis, nec aliquod malum reddet sibi vel alicui persone pro hac causa: et penitus in personam regis Heinrici nunquam anathema mittet; nec remanebit in domino papa, quin coronet eum; et regnum et imperium auxilio officii sui eum tenere adjuvabit pro posse suo. Et hec adimplebit papa sine fraude et malo ingenio. »

Hoc juramentum pape confirmaverunt jurando episcopi et cardinales numero quindecim.

Heinrico rege in imperatorem coronato, post lectum evangelium tradidit ei papa ante altare apostolorum Petri et Pauli, in oculis omnium principum, hoc privilegium de investitura episcopatuum et abbaciarum, tam per annulum quam per virgam:

« Paschalis episcopus, servus servorum Dei, karissimo in Christo filio Heinrico, Theutonicorum regi, et per Dei omnipotentis gratiam Romanorum imperatori augusto, salutem et apostolicam benedictionem. Regnum vestrum sancte Romane ecclesie singulariter coherere dispositio divina constituit. Predecessores vestri, probitatis et prudencie amplioris gratia, Romane urbis coronam ad imperium consecuti sunt. Ad cujus videlicet corone et imperii dignitatem tuam quoque personam, fili karissime Henrice, per nostrum ministerium sacerdocii majestas divina provexit. Illam igitur dignitatis prerogativam, quam predecessores nostri vestris predecessoribus catholicis imperatoribus concesserunt, et privilegiorum paginis confirmaverunt, nos quoque dilectioni tue concedimus et presentis privilegii pagina confirmamus, ut regni tui episcopis vel abbatibus, libere, preter violenciam et symoniam, electis, investituram virge vel annuli conferas: post institutionem vero, canonice factam, consecrationem accipiant ab episcopo ad quem pertinuerit. Si quis autem a clero et populo preter tuum assensum

electus fuerit, nisi a te investiatur, a nemine consecretur. Hanc episcopi et archiepiscopi libertatem habeant a te investitos episcopos vel abbates canonice consecrandi. Predecessores enim vestri ecclesias regni sui tantis regalium suorum beneficiis ampliaverunt, ut regnum ipsum episcoporum vel abbatum maxime presidiis oporteat communiri, et populares dissensiones, que in electionibus sepe contingunt, regali oporteat majestate compesci. Quamobrem prudencie et potestati tue cura debet sollicitius imminere, ut Romane ecclesie magnitudo et ceterarum salus, prestante Domino, beneficiis tuis et serviciis conservetur. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre concessionis paginam sciens, contra eam temerario ausu venire temptaverit, anathematis vinculo, nisi resipuerit, innodetur, honorisque ac dignitatis sue periculum patiatur; observantes autem misericordia divina custodiat, et personam potestatemque tuam ad honorem suum et gloriam feliciter imperare concedat. »

Confirmata pace inter apostolicum et imperatorem, dum in celebratione misse papa traderet ei corpus et sanguinem Domini Nostri Jhesu Christi, dixit : « Domine imperator, hoc corpus Domini, natum ex Maria virgine, passum in cruce pro nobis, sicut et catholica tenet ecclesia, damus tibi in confirmationem vere pacis et concordie inter me et te. » Datum est idibus aprilis, indictione IIII[a] [1].

Qualiter multa mala venerunt propter peccata hominum [2]. Cap. XXIV.

Anno M° C° XIII°, Deo peccatis hominum offenso, multa eveniunt hoc 1113
anno. In monte Castriloco ecclesia sancte Waldetrudis cum aliis duabus ecclesiis minoribus et cum toto pene oppido arsit. Ecclesia sancti Mychaëlis de periculo maris fulgurata divinitus comburitur, cum edificiis sibi appendentibus. Waldricus episcopus Laudunensis cives ipsius urbis a sacramento perperam jurate communitatis revocare nisus, a sediciosis ad arma concurrentibus, quod dictu nephas est, gladio confossus interiit, feria sexta, ebdomade paschalis, VII° kalendas maii, in letania majori. Tumultuante eciam impetu confuse multitudinis domus episcopi succenditur, unde

[1] Vide Baronium ad an. 1111, ubi fuse narrat quae hoc anno Romae, quo illuc Henricus imperator adventavit, contigerunt.

[2] Ex Anselmo Gemblacensi ad an. 1112. Vide supra, t. I, p. 542.

eciam ipsa mater ecclesia sancte Marie, et ecclesia sancti Johannis Baptiste in abbacia monialium, cum aliis ecclesiis omnibus vicinio appendentibus, concremantur. In auctores sedicionis a rege Francorum tam severe est vindicatum, ut tam presentes quam futuros a simili scelere deterrere possit exemplum. Mense mayo siligines et arbores sacro igne aduste fructus sui spem sunt mentite, et quedam silve insuper arefacte. Subsecuta est hominum egritudo gravis et diuturna, cum profluvio ventris et mortalitate. Dominus Sigebertus, venerabilis monachus Gemblacensis cenobii, vir in omni sciencia literarum incomparabilis ingenii, descriptor precedencium in hoc libro temporum, tercio nonas octobris obiit; qui eciam librum illustrium virorum et multa utilia doctrine sue et librorum monumenta suis reliquit. Feria tercia ebdomade paschalis, VI° ydus aprilis, monasterium Prumie arsit cum officinis suis, thesauro et bibliotheca ecclesie per Dei providentiam durantibus illesis. In pago Bracbatensi, IV° kalendas maii, circa Tornacum nix tanta cecidit, ut eciam silvas fregerit.

1114 Anno M° C° XIIII°, mense augusto, Balduinus rex Jherusalem cum Rogero Antiochie comite contra Thurcos vadit, sed dum Rogerus cum exercitu suo juxta quemdam fluvium resedisset, rex cum suis processit, ut adventum Thurcorum exploraret. Thurci vero montem quemdam occupaverunt, in quo insidias per quatuor loca collocaverant, et in singulis insidiis quatuor millia equitum deputaverant, a quibus ex insperato rex undique interceptus, mille quingentis suorum interfectis, miserabili fuga est liberatus. Ascalonite, cognoscentes abesse regem Balduinum, cum gravi multitudine Jherusalem assiliunt; sed non prevalentes adversus eam partem ecclesie sancti Stephani extra civitatem, ubi lapidatus est, site, diruunt, segetes incendunt, et ita inefficaces redeunt. Tunc cenobium monachorum in monte Thabor situm funditus evertunt, et monachis cum reliquis omnibus interfectis omnia sibi diripiunt.

1115 Anno M° C° XV° rex Jherusalem Balduinus uxorem ducit relictam Rogeri ducis Sicilie. Apud Ravennam et Parmam civitates Ytalie in agris et infra menia sanguis pluit junio mense. Eodem anno Heinricus imperator, cum magna optimatum suorum et tocius regni gloria, natale Domini celebrat Maguncie, ibique uxorem ducit filiam Heinrici regis Anglorum, ydibus novembris. In suburbio Antiochie terra noctu dehiscens turres multas et adjacentes domus cum habitatoribus absorbuit. Quidam autem, ut est

illud hominum genus, cum uxore et filiis de locis illis migraverat, sed in redeundo positum idem terremotus absorbuit in loco quo erat.

Anno M° C° XVI° Heinricus imperator, dum quidquid libet licere puta- 1116
vit, magnas regni pene tocius inimicicias comparavit. Etenim quia superioribus annis Albertum cancellarium et quosdam alios regni principes insidiose ceperat, et sine audiencia et judicio custodie mancipaverat, aliis similia timentibus male suspectus erat, unde eciam Fredericus Coloniensis archiepiscopus ab eo aversus totis viribus insequitur eum et fautores ejus, oppida et castella contra se posita impugnat, et omnia ad eum pertinencia ferro et igne vastat. Heinricus imperator promiserat Aquis se pascha celebraturum, ideoque inter alios regni principes dominus Otbertus Leodiensis episcopus ibi prestolabatur ejus adventum. Unus igitur eorum, Arnulphus de Arscot[1], dum manus suas confricaret, magno omnium miraculo, sine aliqua vulneris aut ulceris lesione, sanguis ab ejus digitis fluere visus est : que res pro magno portento habita significabat humani sanguinis effusionem pro indigna regni et principum discordia.

Anno M° C° XVII° Heinricus imperator in Ytaliam secedit propter as- 1117
peros motus regni, et maxime propter marchise Mathildis cognate sue, que recens obierat[2], hereditatem, que sibi jure competebat, obtinendam.

Anno M° C° XVIII°, mense januario, tercio nonas ipsius, quarta feria, in 1118.
aliquibus locis sed non usquequaque terremotus accidit, alias clemencior, alias validior, adeo ut quarundam urbium partes cum ecclesiis subruisse dicantur. Mosa eciam fluvius juxta abbaciam, que dicitur Sustula, quasi pendens in aëre, fundum suum visus est deseruisse. Hoc quoque anno Leodium civitas multis plagis attrita est. Mense enim mayo, nocte inventionis sancte crucis, que tunc erat vigilia ascensionis, dum in majori ecclesia vesperas celebrant, et illum psalmi versiculum : *Quis sicut Dominus Deus noster* cantant, subito tonitrus cum terremotu omnes ad terram stravit, et fulmen a leva templi ingressum non modicas crustas de muro hac illac disjecit, deinde turrim ingrediens multas trabum partes diffidit : subsecutus est fetor intolerabilis, adeo ut multo aromatum odore vix potuerit expelli. Item in junio mense, VII° ydus ipsius mensis, circa horam nonam, nubes pluvie subito rupta[3] a monte, qui dicitur Roberti, subjectam sibi

[1] Alibi legitur *Arslot*, seu *Arsloch*.

[2] Scilicet 24 julii an. 1115.

[3] Alias *rapta*.

partem civitatis penitus oppressam pessumdedit, adeo ut multas domos dirueret, et universam annonam perderet, et matrem duos infantes altrinsecus in brachiis amplexam necaret, et alios octo homines diversis in locis opprimeret. Pulsantibus vesperis sabbato, quedam femina caput dum lavat, puero manus rubent sanguine fluido. Eciam kalendis julii, circa horam sextam, turbo nimis vehemens et obscurus civitatem operuit, et nubes ex abrupto scissa ita omne tectum majoris ecclesie devicit, ut et ymbribus pateret, et totum pavimentum perfunderet; ilico fulmen a parte aquilonari ingrediens quemdam clericum retro altare sanctorum Cosme et Damiani in pulpito legentem, et alterum ante crucifixum orantem, tercium de scriptorio ecclesie proximo egredientem in ipso ecclesie ingressu extinxit. Ante fores quoque ecclesie domum episcopi versus quemdam laicum extinxit. Septimo ydus julii, ab hora tercia usque ad nonam, quatuor turbines a quatuor plagis celi urbem circulaverunt; ventus eciam cum magna vi insonuit et urbem multo ymbre alluit. Tertio nonas augusti, primo noctis conticinio, quaquam terrarum cum tonitrus audiretur, et fulgura sepius micarent, et iterum atque tercio id fieret, usque mane in urbem Leodium amplius ipse turbo deseviit, ita ut homines a stratis exilientes templa et ecclesias tristi cetu complerent, et tota nocte supplicationibus intenderent. Summo vero aurore diluculo a parte Orientis ignis cum ingenti flamma civitatem circulavit tantus, ut omnes divinitus cremari extimuerint. Posthec magnus turbo erumpens ab Occidente ipsum ignem visus est aliquantulum obscurasse; iterum autem victor ignis cum flamma recaluit, et iterum turbine revertente paululum delituit; tercio eciam ignis cum flamma recaluit, et tercio nichilominus victus turbine cecidit. Hoc spectaculum a summo mane usque ad horam terciam civitatem vehementer terruit. Tercio ydus decembris, ad mediam noctem, lucentibus stellis celo sereno, XIII° luna eclipsim passa est, et contracto orbe multis coloribus, sed maxime sanguineo, pene integra hora suffusa est. XVII° kalendas januarii, prima hora noctis, ignee acies a Septentrione in Orientem in celo apparuerunt; deinde per totum sparse plurima noctis parte videntibus stupori et miraculo fuerunt. Monstrum quoddam Namurci natum est, cui par nunquam vel raro visum est, videlicet byceps infantulus : qui hoc vidit testis est populus. Hic tam sexu duplex quam ceteris membris simplex erat compage corporis.

De variis incidentiis illius temporis, et presertim de investituris [1]
CAP. XXV.

Hoc anno M° C° XVIII° Paschalis papa moritur: succedit Johannes Gaita- 1118
nus C^{us} $LVIII^{us}$, et Gelasium se nominat [2]. Cum vero Heinricus imperator tunc temporis agens in Ytalia Romam tenderet ad eligendum papam, Johannes presenciam ejus veritus, jam electus et ordinatus, secessit Capuam. At imperator, quia electioni non interfuerat, nec ordinationi consensit, sed aliquibus Romanorum annitentibus, Hispanum quemdam, Burdinum nomine, satis clericum, ei superordinari fecit. Johannes, qui et Gelasius, interim transiens ad Gallias per Burgundiam et Gothiam, que provincia sancti Egidii dicitur, agit synodales causas. Anno M° C° XIX° Gelasius papa obiit, cui Wido Viennensis archiepiscopus, qui et Calixtus [3], succedens, Romane ecclesie C^{us} LIX^{us} presidet. Balduinus comes, Roberti junioris et Clemencie filius, XXVI° etatis sue anno monachus effectus, absque herede moritur, et apud sancti Bertini monasterium sepelitur, cui succedit consobrinus ejus Karolus, filius scilicet amite illius, Achite nomine, quem suscepit de Canuto rege Dacie.

Anno M° C° XX° Balduinus secundus Jherusalem moritur, frater Go- 1120
defridi ducis Lotharingorum et pater regis Jherosolomitarum. Fuerunt autem filii Eustachii secundi comitis de Bolonia et Yda, sorore Godefridi Gibbosi ducis Lotharingorum. Cujus quidem Estachii secundi mater fuit mulier Mathildis nomine, que fuit filia Heinrici comitis Lovaniensis, qui fundavit collegia canonicorum in Lovanio et Bruxella [4]. Que quidem Mathildis ex Eustachio primo comite de Bolonia genuit Eustachium secundum predictum. Quibus scilicet Godefrido et Balduino de medio sublatis, tercius regnat Balduinus, filius Hugonis comitis de Retesta.

Heinricus imperator ab Ytalia in Lotharingiam repatriat, et secundum illud : *Qui a multis timetur, necessarium est ut multos timeat,* conjuratos in se regni principes modo minis, modo blandiciis, modo vi, modo satisfactione ad pacem invitat. Heinricus imperator Ivosium venit, et dum pro

[1] Ex eodem Anselmo Gemblacensi ad an. 1119 et seqq.

[2] Paschali II Gelasius II successit die 25 januarii 1118.

[3] Callixtus II, electus die 1 februarii 1119.

[4] Horum collegiorum fundator fuit ipsius frater Lambertus Baldericus.

reconciliatione regni et sacerdocii legacio nunc a rege ad papam vadit, nunc a papa ad regem vicissim redit, dissensu quorundam invidorum lux pacis turbatur, et imperator cum sibi faventibus excommunicatur. Cellam in Bornehem dominus abbas Fulgencius Haffligemensis suscepit regendam, tradente abbate et canonicis ejus monachis factis, quia per eos regi non poterat.

1121. Anno M° C° XXI° dominus papa Calixtus Romam proficiscens ab omni senatu et populari turba gloriose excipitur, et in sede apostolica confirmatur C^{us} LIX^{us}. Burdinus pseudopapa Sutrii positus, dum peregrinos Romam euntes vel redeuntes turbat et depredatur, tandem ut vilissimus apostata capitur, et in monachum attonditur. Major ecclesia episcopii Monasteriensis, eo quod episcopum repudiassent, ab ipso episcopo Theoderico et Leudone duce Saxonie cum tota civitate exuritur.

Heinricus rex Anglorum Godefridi ducis Lotharingie filiam Atheleidam sibi conjugio sociat, et reginam in Anglia constituit : qui rex magna prudencia rexit imperium suum, omnes quoque tyrannorum motus miro ingenio compescuit, et larga manu Dei ecclesias ditavit. Anno M° C° XXII° Fredericus archiepiscopus Coloniensis cum Coloniensibus Carpene castellum imperatoris obsidens capit et diruit. Eodem anno M° C° XXII° obiit dominus Fulgencius primus abbas Haffligemensis; in bono Christi odore sua ornavit tempora usque ad consummationem vite. Succedit dominus Franco, secundo loco abbas constitutus, vere in multis laudabilis. Multa per eum cenobio Haffligemensi collata sunt bona : magnifico opere ibi basilicam fundavit, libris et multis ornamentis eam decoravit, predia ampliavit et religionem confirmavit. Profectus est in Angliam tempore regis Heinrici, qui filiam Godefridi ducis Lotharingie Atheleidam in conjugium duxerat, a quo honorifice susceptus, et magnifice muneribus, ut decebat regiam excellenciam, honoratus, a principibus terre, episcopis et abbatibus ac viris religiosis, quos in capitulis, in publicis conventibus melliflui oris sermone letificabat, in magna reverencia habitus est. Eodem anno M° C° XXII° dominus Fredericus Leodiensis episcopus obiit, ad cujus sepulchrum multa signa visa a plerisque conjiciuntur[1]. Mense octobri Heinricus imperator Quintiliburch[2] venit, et hinc inde optimates regni, legati eciam apo-

[1] Seu *conspiciuntur*.

Anselmum errare monet Cl. Bethmann; Henricus enim tunc Wirziburgi fuit.

stolice sedis, tractaturi de controversia, que erat inter imperatorem et regnum, seu eciam contra dominum apostolicum. Cum autem diu disceptatur de statu regni et de investituris ecclesiarum et de hereditate Siefridi comitis Palatini et de negociis, partim favendo regi, partim differendo causam usque ad presenciam apostolici, dissimulato federe incerciores redeunt quam venerant. Terremotus in secunda ebdomada adventus Domini, sabbato, hora tercia, quarto ydus decembris, alias clemencior, alias inclemencior accidit. Anno M° C° XXIII° optimates regni cum episcopis convenientes Heinricum imperatorem, Deo sibi propicio, id egerunt saluberrimo consultu, ut inter ipsum et apostolicum controversia de investituris ecclesiarum tandem finiretur: legantur inde Romam ex parte imperatoris Bruno Spirensis episcopus et Arnulphus abbas Fuldensis.

Interim Heinricus imperator pascha Domini Aquisgrani celebrat, deinde Leodium contendit. Hic querela apud eum facta de insolenciis cujusdam Gothuini, castrum ejus, quod Mons Falconis dicitur, annuente sibi Godefrido duce, obsidet et capit, incendit et destruit. Ecclesia Hannoniensis cum omnibus appendiciis suis seditione advocati sui cum tota villa crematur, salvo tamen thesauro et bibliotheca. Turonis eciam contencione orta inter clericos et laycos, ecclesia sancti Martini penitus est combusta.

Dominus apostolicus, visa et recepta legatione imperatoris, pertesus et ipse valde dissonancie nimium inter eos diutine, libenter assensit: consultu tam Romani senatus quam omnium eciam episcoporum Ytalicorum mittuntur, ex latere apostolici, Lambertus Ostiensis episcopus et Saxo cardinalis de Monte Celio et Gregorius alter cardinalis, ad ordinandam rem tanti negocii. Mense septembri, in nativitate sancte Marie, Heinricus imperator cum episcopis et optimatibus regni venit Wormacie, ubi occurrerunt ei legati sedis apostolice. Diu, ut fit in tantorum magnatorum consessu, eventilata ratione, tandem gratia antique caritatis reintegratur inter imperatorem et apostolicum, Dei ordinatione, quorum consensus talis est:

« Ego Calixtus, servus servorum Dei, tibi dilecto filio Heinrico, Dei gratia Romanorum imperatori augusto, concedo electiones episcoporum Theutonici regni, qui ad regnum pertinent, in presencia tua fieri, absque symonia et aliqua violencia, ut, si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani et comprovincialum consilio vel judicio, saniori parti assensum et auxilium prebeas: electus autem a te regalia accipiat per sceptrum, exceptis

omnibus que ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur : et que ex hiis jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus imperii consecratus infra sex menses regalia per sceptrum a te recipiat. De quibus vero michi querimoniam feceris et auxilium postulaveris, secundum officii mei debitum auxilium tibi prestabo. Do tibi veram pacem et omnibus, qui in tua parte sunt vel fuerunt tempore hujus discordie. »

« Ego Heinricus Romanorum imperator augustus, pro amore Dei et sancte Romane ecclesie et domini pape Calixti, et pro remedio anime mee dimitto Deo et sanctis apostolis Dei Petro et Paulo, sancteque catholice ecclesie omnem investituram per annulum et baculum, et concedo in omnibus ecclesiis, que in regno et imperio meo sunt, canonicam fieri electionem et liberam fieri consecrationem; possessiones et regalia beati Petri, que a principio hujus discordie usque in hodiernum diem, sive tempore patris mei, sive eciam meo, ablata sunt, que habeo, eidem sancte Romane ecclesie restituo; que autem non habeo, ut reddantur fideliter juvabo, et do veram pacem domino pape Calixto sancteque Romane ecclesie, et omnibus qui in parte ipsius sunt vel fuerunt. Et in quibus sancta Romana ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo. »

Quod Balduinus rex Jherusalem a Saracenis capitur [1]. Cap. XXVI.

1124 Anno Domini M° C° XXIIII° Balduinus rex Jherosolimorum a Saracenis capitur. Qua de re mente excedentes undique versum evocati ad sexaginta millia conglomerantur, ut Christianos a finibus suis exterminent, et apud Ascalon impedimenta sua commendant, scilicet uxores, soboles et victualia. Christiani in arcto positi, nichil spei nisi in Deum habentes, exemplo Ninivitarum utrique sexui jejunium indicunt; pueris eciam, infantibus, lactentibus, universo quoque pecori pabula negantur. Dies pugne indicitur; procedunt Christiani cum militibus et peditibus vix ad tria millia estimati, principes gradiuntur in fronte, scilicet patriarcha, pro vexillo afferens crucem Christi, abbas olim Cluniacensis Poncius, proferens lanceam transfixam in latere Christi, episcopus Bethleemites, ferens in pixide lac sancte Marie perpetue virginis. Saraceni vero quaquaversum effusi ex omni latere in orbem cir-

[1] Ex eodem Anselmo ad an. 1123 et seqq.

cumcingunt Christianos, ne quis possit evadere. Dum ita in procinctu herent Christiani, vident, Deo sibi auspice, splendorem scisso aëre super paganos subito cecidisse, sed non prosperum, sed satis nocivum, quamvis hoc ipsi Saraceni non viderint. Ilico enim omnium virium robore enervati passim fugientes ceduntur, non solum a viris sed eciam a pueris et feminis. Perierunt in bello septem millia, submersi sunt in aquis quinque millia: omnes vero Christiani incolumes reversi, summum et dulce epynichion reboant Deo in excelsis.

Anno M° C° XXV° Heinricus imperator Aquisgrani natale Domini celebrat: hyemps solito acerbior et aggestu nivis sepius decidentis nimis horrida et importuna; multi enim pauperum infantes et mulieres frigore defecerunt: mortalitas quoque animalium maxima: hyemi successit intemperies aëris, nunc nive, nunc pluvia, nunc gelu alternante, satis deterrima usque in medio marcio; postea diutino frigore et pluvia aëris horrente inconstancia vix tandem arbores floruerunt majo mense, vix tandem gratia herbarum et graminum reviguit virore: ymber vero singulis mensibus assidue decidens sata agrorum pene absorpsit. Nam siligo et avene proventum suum satis sunt ementite, multique sacro igne aduruntur. Calixtus papa, qui et Wido, moritur; succedit Lambertus, qui et Honorius, Ostiensis episcopus. Cellam Wiederbeccam dominus Franco abbas suscepit. Hyemps asperrima sex ebdomadibus continua et valde noxia, fames valida, ubique magna multitudine utriusque sexus hominum pereunte. In Hasbania ignobilis muliercula monstrum bis genu corporis est enixa, universis vultibus et corporibus sibi coherens, ante quidem effigies hominis integro corporis membrorum ordine distincta, retro vero facies canis, similiter corporis et membrorum proprietate integra. In Bracbanto, villa Neerisca, alia mulier enixa est quatuor masculos uno partu. 1125.

De morte Heinrici imperatoris, et qualiter eligitur in regem Lotharius dux Saxonum[1]. CAP. XXVII.

Anno M° C° XXVI° Heinricus imperator Leodii Pascha Domini celebrat; 1126. inde Aquis contendens morbo draguneuli, qui sibi erat nativus, molestari

[1] Cfr. Anselmus Gembl. ad. an. 1125 et seqq.

cepit, propter quod et aliquot dies ibi remoratus est. Deinde Noviomagium venit, postea quasi penthecosten celebraturus Ultrajectum venit: sed cum per dies languor regravesceret, tandem feria V^a in penthecoste vitam cum regno amisit. Corpus ejus, exsectis intestinis, sale respersum Spire relatum est. Hic Heinricus imperator, qui patrem suum dehonestaverat, justo Dei judicio creditur sine herede decessisse: nam neque filium neque filiam habens defunctus est. Fuit hic eciam ultimus imperator ex genere Francorum orientalium, qui jam imperaverant annis centum et tribus. Huic successit Lotharius secundus dux Saxonie. Rex Jherusalem Balduinus data redemptione a Saracenis dimittitur.

1126. Anno M° C° XXVI°, mense augusto, in festo sancti Bartholomei apostoli, excellencior dignitas optimatum imperii, sive eminencior gloria ecclesie, Everardus et Romanus, legati apostolice sedis, et archiepiscopi cum episcopis, ex condicto convenientes Maguncie, consultant sibi et toto Romano imperio de substituendo rege. Anno M° C° XXVI° predicto Treveris apud Sanctum Eukarium reperitur corpus sancti Matthei apostoli subtus altare sancti Johannis Baptiste. Lotharius dux Saxonum, vir sapiens et industrius et ecclesiastico juri devotus, prepotens diviciis et victoriis, omnium assensu eligitur. Hic mense septembri cum eisdem legatis et duobus archiepiscopis et octo episcopis et multis abbatibus, et cum eminencioribus aule regalis primatibus, Aquisgrani veniens, dominica die, ydus septembris, a Frederico archipresule Coloniensi in regem benedicitur et inungitur, omni clero et populo festivum epynichion acclamantibus.

1127. Anno M° C° XXVII° rex Lotharius contra Boëmanes [1] vadens, quorundam suorum principum, magnam stragem militum passus est, quingentis videlicet et quadraginta occisis. In Syria hoc anno exercitus Dei bis congressus est Saracenis. In primo prelio de paganis ceciderunt duo millia quingenti, de Christianis solummodo quindecim; in secundo prelio non incruentam victoriam habuerunt Christiani, sed quamvis plurima pars eorum perierit, cum auxilio Dei revigorati absque numero hostes contriverunt et vicerunt.

Balduinus Gandensis, primus inter primos Flandrie ac Brabancie principum quoque princeps, seculo renuncians tonsuratur, defunctus quoque in templo Haffligemensi sepelitur. Rex Lotharius natalem Domini Colonie

[1] Seu *Bohemones*.

celebrat: seu archiepiscopus preventus infirmitate, seu simulata, Sigeberge se contulerat, inde Aquisgrani venit in Theophania. Rex Lotharius Babenberghen penthecosten celebrat, ubi dux Boëmie cum multis millibus equitum adveniens domino regi de superiori traditione satisfecit, et omnes, quorum parentes vel amicos occiderat, multa insignium donorum exhibitione reconciliavit sibi. Guilhelmus comes Flandrie cum Godefrido duce Lotharingie castellum Alost obsidione premit, ibique levissimo vulnere, ymmo non vulnere sed inscissura in manu accepta, male, ut putatur, a medico pocionatus, repente moritur, sed unde nescitur[1]: Theodericus ei succedit. Rex Lotharius longa obsidione urbem Spiram cingit, sed ineflicax redit.

De bello apud Duracium inter ducem Brabancie et episcopum Leodiensem.
Cap. XXVIII.

Prelium apud Duracium inter Alexandrum Leodiensem episcopum et Godefridum Lovaniensem ducem, in quo tanta strages fuit, ut peditum utrimque octingenti et XXIIII numero insimul experierint, exceptis hiis qui fugientes in segetibus vel in spinis vel silvis vulnerati perierunt, et hiis qui in aquis prefocati sunt, et hiis qui ad sua regressi incertis horis et diebus mortui sunt, horum summa non potuit colligi: actum VII° ydus augusti, quarta feria, anno Domini M° C° XXIX°. Remis hoc anno in pascha Lodovicus rex Francorum elevavit in regem filium suum post se, in presencia omnium episcoporum et optimatum regni sui. Hoc anno plaga ignis divini Carnotum, Parisios, Suessionem, Cameracum et Atrebatum et alia multa loca mirabiliter pervadit, sed mirabilius per sanctam Dei genitricem Mariam extinguitur. 1129.

Balduinus rex Jherusalem moritur. Anno M° C° XXX° Lotharius rex urbem Spiram alternis annis vicissim obsessam, tandem capit, tercio nonas januarii, feria VI^a, ecclesiis immunitate concessa. Lambertus, qui et Honorius, papa moritur. Romane ecclesie pax interpolatur alternantibus duobus seditiosis de sede apostolica, quodam Gregorio et altero Petro Leonis, genere Romano, monacho Cluniacensi. Gregorius privilegium electionis ab Honorio papa adhuc vivente consensu quorundam cardinalium sibi usur-

[1] Vide supra, t. I, p. 545.

pat; Petrus altitudine sanguinis glorians domum Crescentis invadit, cedibus hominum, rapinis, incendiis grassatur. Gregorius veritus potenciam Petri, profugus a sancto Paulo in Spoleta emerso mari tandem apud Sanctum Egidium appulit, postea venit in Burgundiam, et a Cluniaco accipitur, et favore omnium Francorum celebratur. Deinde Lotharius rex Alemannie quorundam suorum ambitione delinitus, legationem a Francis de Gregorio benigne honorat et in ejus electione conjurat. Fulco comes Andegavensis fit rex Jherusalem. Ecclesia sancti Petri in Lovanio crematur cum toto oppido. Gregorius, qui et Innocencius, multo comitatu episcoporum et abbatum a Francia exiens, in Lotharingiam transit, et dominica tercia quadragesime, que est XI^a kalendas aprilis, Leodium venit. Ibi a Lothario rege Alemannie et multis episcopis et abbatibus tam Lotharingis quam Transrenensibus veneratur, muneribus honoratur; tota civitas in obsequio fervet, salutationibus et epulis vacat. Dominica in medio quadragesime Gregorius cum curribus et redis ab ecclesia sancti Martini in Publico Monte, quasi Rome via triumphali, ut ad capitolium sancti Lamberti ascendit, missam celebrat, regem et reginam coronat, conjugatos presbyteros excommunicat. Estimati sunt a quibusdam XXXII episcopi affuisse et abbates LIII[1]. Civitas Ultratrajectum ex maxima parte concrematur, scilicet palacium episcopi, et major ecclesia sancti Martini et altera sancti Bonifacii et tercia sancte Marie[2].

Approbatio fundationis abbacie Parchensis, et de aliis quibusdam donationibus factis per ducem Godefridum ecclesiis sive abbaciis Gemblacensi, de Bigardis, Sancti Petri Lovaniensis, et Parchensi. Cap. XXIX.

Alexander, gratia Dei sancte Leodiensis ecclesie episcopus, per suam patentem literam notum fecit tam presentibus quam futuris, quod Godefridus dux Lotharingie, idem et marchio et comes, tam pro salute sua quam suorum, silvulam in australi parte Lovanii sitam, quam fossato et

[1] In iis quae hoc loco Dinterus describit ex Anselmo Gemblacensi ad. an. 1131 de Innocentio II, nulla occurrit earum locutionum quas Miraeus expurgandas et censura dignas censebat. Cfr. Cl. Bethmann, apud Pertz, *op. cit.*, t. VI, p. 383.

[2] In MS. cod. Johannis Miræi additur : *Hoc tempore cepit abbatia Parcensis, cujus confirmatio sequitur.*

vallo clausam ferali lustro deputaverat. Deo inspirante in usus meliores volens convertere, annuentibus filiis suis Godefrido et Heinrico, fratri Waltero, abbati ecclesie beati Martini de suburbio Laudunensis civitatis, ad fundandum et edificandum ibidem ecclesiam in honore beate Marie donavit [1]. Et postea, nube seditionis discordie inter ipsum episcopum et ducem non habite in beate pacis serenitatem Deo propiciante conversa, episcopus predictum locum, in conspectu plurimorum qui pro reformanda pace convenerunt, liberum fecit ad petitionem ducis predicti, liberavitque predictus episcopus predictum locum ab omni parochiali jure. Preterea vero predictam ecclesiam et abbatem tam sua quam ministrorum suorum qualicunque exactione prorsus absolvit, generali tamen synodo, si ab episcopo monitus fuerit, nequaquam interesse negligat. Et ordinavit de decimis et aliis multis punctis in litera desuper confecta contentis, data Leodii, anno Domini M° C° XXXI° [2].

Anno M° C° XXXI°, Lothario regnante, domino Alexandro episcopo Leo- 1131.
diensi, Anselmo abbate Gemblacensi regente, Gregorio papa apostolicam sedem gubernante [3], Godefrido duce advocato eorum partes ejus adjuvante, notum sit omnibus diligentibus veritatem, que est Deus, ducem Godefridum seniorem, ejusque filium equivocum Godefridum juniorem, pro salute animarum suarum, tradidisse Deo et sancto Petro ecclesie Gemblacensis quoddam predium, dictum Dusenvert [4], in heremo juxta metas parochie de Brania, cum suo dominio.

Item Godefridus divina miseratione dux et marchio Lotharingie et 1133.
comes Lovaniensis, per suas literas patentes datas anno dominice incarnationis M° C° XXXIII°, indictione nona, locum quemdam desertum in allodio suo situm, qui Bigarden dicitur, ancillis Dei Wivine et Emware libera donatione contradidit. Et quia idem locus et sororum numero et possessionum augmento cepit increscere, eum ipsum cum omnibus suis pertinenciis cenobio Hafflıgemensi subjecit, et abbati regendum commisit: quecunque vero vel ex suo allodio eis concessit, vel ab aliis acquisita, ut

[1] Vide Godefridi Barbati diploma, quo Parcum, seu vivarium ferarum, prope Lovanium, in abbatiam ordinis Praemonstratensis anno 1129 convertit, apud Miræum, *Op. dip.*, t. I, p. 90. Vid. infra, p. 78.

[2] Exstant Alexandri Leodiensis episcopi literae apud Miræum, *op. cit.*, t. I, p. 92.

[3] Ita designatur Innocentius II.

[4] Lege *Dudinsart*, et vide Godefridi Barbati diploma apud Miræum, *op. cit.*, t, I, p. 383.

liber advocatus suscepit, Deo et sancte ejus genitrici ad usum sororum libera donatione contradidit, prout in supradictis literis plenius continetur[1].

1140 Supradictus Godefridus dux primus cum Barba, in ecclesia sancti Petri Lovaniensis predicta, preter illa que ad decorem domus Dei exterius respiciunt, scilicet de palliis, cortinis, cappis, casulis et dalmaticis et subdyaconorum tunicis, ultra illa que quondam Lambertus cum Barba, alias dictus Baldricus, comes Lovaniensis, VII prebendas contulerit, adjecit prebendam, de qua dependet molendinum quod dicebatur Wisselyn[2], et solidos XX, quos persolvunt de Bynswyck[3] mansuarii, et singulis diebus unum nummum, unum de theloneo Lovaniensi et certis aliis redditibus, quam quidem prebendam donavit esse liberam, ut nullus eam obtineret nisi sacerdos. Dedit eciam ecclesiam de Rode ad communem refectionem canonicorum. Quod quidem considerans Godefridus vir illustris, proles ejus generosa, cui post patrem cum comitatu et ducatu tota terra serviebat subdita, hec scribi fecit suis temporibus et suo sigillo muniri, anno M° C° XL°.

Memoratus Godefridus, dux Lotharingie, marchio et comes, tam pro salute sua quam suorum, silvulam in australi parte Lovanie sitam, quam fossato et vallo clausam ferali lustro deputaverat, Deo inspirante in usus meliores volens convertere, annuentibus filiis suis Godefrido et Heinrico, fratri Waltero, abbati ecclesie beati Martini de suburbio Laudunensis civitatis, et fratribus suis secundum regulam beati Augustini viventibus, ad construendum in ea ecclesiam in honore beate Dei genitricis Marie perpetuo possidendam donavit, ut in literis desuper confectis plenius continetur[4]. Deinde vero per alias suas literas[5], postquam monasterium in Parcho fundasset, more et lege illustrium virorum, quasdam libertates ac eciam bona fratribus in dicto monasterio deservientibus donavit. Ipsum itaque Parchum eisdem fratribus contulit cum pertinenciis, hoc est cum hiis que infra ipsius clausuram sunt, cum villula et mansionariis de Vinckenbosch[6], ab

[1] Vide apud Miræum, *op. cit.*, t. I, p. 388, Godefridi Barbati literas, quibus anno 1133 fundavit Bigardiam Majorem, abbatiam monialium Benedictinarum prope Bruxellas.

[2] In Godefridi II diplomate, apud Miræum, t. I, p. 388, legitur *Wisseune*.

[3] Ibid. legitur *Bunwsse*.

[4] Vid. supra, p. 77, nota 1.

[5] Literae quibus Godefridus Barbatus an. 1140 abbatiae Parcensi varia privilegia et villulam cum mansionariis de Vinckenbosch concessit, exstant apud Miræum, t. II, p. 821.

[6] Appendix parochiae de Corbeek-over-Loo, in vicinia abbatiae Parcensis.

utraque parte rivi usque ad molendinum quod dicitur Bruke [1], prout tunc fuit et in futurum esse poterit, cum ea parte ejusdem villule et mansionariorum apud Langhendale, nichil sibi juris in predictis reservatis preter altam justiciam; in ceteris autem dicti fratres tamquam in suo allodio libere omnia jura recipient. Insuper dedit eisdem fratribus partem silve de sua foresta de Zonia, prout sita est inter villam de Voshem et de Fura, usque ad medium rivorum qui ab utroque latere hinc et inde decurrunt, cum parte silve Mosberch versus meridiem, ut et ipsi habeant plenam libertatem in usus suos sive necessitates quascunque, sine contradictione convertendi silvam predictam cum fundo, tamquam suum verum allodium. Habeant insuper dicti fratres in silva de Loe juxta Lovanium, et in omnibus pascuis per totam terram ducis, ubi bona ipsorum seu curtes sita sunt, usuagium et plenam libertatem pascendi, minandi greges et animalia sua; liberosque ipsos decrevit ab omni onere, angaria, parangaria, theloneo, winagio, justicia transitus per terram suam et aquam universam, rebus suis emendis vel vendendis, nec quidquam exigatur ex eis occasione stratarum publicarum, quas cauchidas vocant, vel eciam pontium reparandorum, nisi quod sponte et voluntarie voluerint. Asini, muli et cetera animalia molendinorum dictorum fratrum, licet seculares pro annuo pacto in eis resideant, liberum habeant introitum et exitum in omnibus oppidis et in villis et in terra sua constitutis, ad portandum et reportandum bladum seu farinam, nec quisquam, qui ad eadem molendina molere voluerit, aliquatenus prohibeatur.

Item quidam liber homo Gerardus de Weluwe [2] dedit in eleëmosinam predictis fratribus per manum ducis duas mansiunculas et dimidium mansum apud Gotsenhove, et molendinum ibidem, et apud Landen quatuor mansus terre et tria jurnalia, et sex mansiunculas. Que quidem bona, que tunc possidebant et in posterum acquirere poterunt, dux sub sua protectione et successorum suorum ducum dumtaxat recepit, prout literis desuper confectis plenius continetur. Actum anno Domini M° C° XL°, concurrente prima, epacta nulla, indictione tercia.

Quam quidem literam, et omnia bona contenta in eadem, cum molendinis Robrechtsvorde et Heverle, curtibus quoque de Corrail, de Stoele, de Egenho-

[1] Alias *Broecke*.

[2] Apud Miræum legitur *Wolue*.

ven. de Scheurebueken, de Rode prope Leuwis. de Tumberio, de Landen, de Velderic, de Fossen, cum terris, pratis, etc., et singulis annexis ad ecclesiam de Parcho spectantibus. illustris princeps quondam Godefridus tercius, dux Lotharingie et Brabancie, confirmavit, universas insuper gratias et libertates dictis fatribus ab antecessoribus suis collatas eisdem innovavit. prout in literis inde confectis plenius continetur. Datum anno M° C° LXXXIII°, nonis aprilis.

Qualiter Lotharius coronatur in imperatorem ab Innocencio papa, quem in sedem recollocaverat. CAP. XXX.

1131. Anno Domini M° C° XXXI° Gregorius, qui et Innocencius, papa Remis, post festum sancti Luce evangeliste, concilium habuit cum episcopis et abbatibus ecclesiasticis, mediante Francorum rege Ludovico cum filio qui secundus erat natu. Nam primus antea coronatus tunc forte Parisios venerat. et, ut fertur, a demone in specie porci ludificatus, dum hac illac equum girat. subito corruit exanimis; unde pater valde mestus, Remis adveniens secundum natu filium secum adduxit, et a papa inungi et benedici et coronari in regem impetravit. Fredericus Coloniensis archiepiscopus obiit [1].

1132. Anno M° C° XXXII° Lotharius rex natalem Domini Colonie celebrat; hic. tumultuante multorum dissidentium seditione, electio ecclesie Coloniensis diu multumque cassata est [2]. Iterum tercia hebdomada quadragesime Coloniam veniens. nichil dignum regali serenitate egit. Deinde Aquas veniens in pascha. nichil de statu regni ordinare voluit: ymmo omnium rerum querelas in respectu distulit. Dominus Bruno ex clero sancti Petri Colonie fit archiepiscopus. Ratispona civitas tota pene est combusta. Rex Lotharius collectis viribus Romam vadit cum Innocencio papa. sed vario eventu rerum multas difficultates in eundo patitur [3].

1133. Anno M° C° XXXIII° rex Lotharius veterem Romam ingressus Innocencium papam in patriarchio Lateranensi relocat. et ab ipso in imperatorem

[1] Ex Anselmo Gemblacensi ad. an. 1131.

[2] Monet Cl. Bethmann correctorem quemdam hoc superscripsisse; Anselmum vero, post vocem *celebrat*, scripsisse: *qui avaritiae veneno infectus, electionem sanctae ecclesiae Coloniensis sua calliditate cassavit.*

[3] Ex Anselmo Gemblacensi ad an. 1132.

benedicitur: sed Romanorum avariciam a discidio partium nequiens revocare, dissimulato negocio inefficax rediit. Petrus vero alter pseudopapa in domo Crescentis regnat, et alter in alterum predis, rapinis, incendiis, homicidiis desevit [1]. Dompnus Franco secundo loco abbas Haffligemensis cenobii diem ultimum claudit, vir scientie mirabilis, castitatis integerrime, gravitatis honestissime: in cujus loco constituitur dompnus Albertus, summa vi attractus et omnino nolens coactus.

Anno Domini M° C° XXXIII° predicto, quarto nonas augusti, in meridie, 1133.
obscuratus est sol et tenebre facte sunt; stelle quoque apparuerunt et terra rore madavit. Anno M° C° XXXIIII° in civitate Tornaco natus est agnus unius corporis, duorum capitum, quatuor aurium, quatuor oculorum, octo pedum. In villa, que dicitur Brania, mense aprili natus est infantulus carens collo et capite, ocellos habens in spatulis. Anno M° C° XXXV° Lotharius rex et Fredericus dux Suevorum paciscuntur.

De guerra inter ducem Brabancie et comitem Namurcensem. Cap. XXXI.

Anno M° C° XXXVI° Godefridus dux Lovaniensis et comes Namurcensis 1136.
rupto pacis federe hostiliter inter se concertarunt multo tempore. Erat autem cernere miseriam et omnium rerum depredationem violentissimam, homicidia sepissime fieri, villas cum habitatoribus concremari, in tantum ut Gemblacensi oppido cum parochiana ecclesia combusto, cum maximo inhabitantium periculo, Dei clemencia majus monasterium, quod est contiguum, undique grassante incendio, jam succensum miro restrinxerunt modo; vicini enim fluminis alveus, in stagnum collectus, rivo suo magna ex parte subito est evacuatus, ita ut arene ejus cernerentur circumstantibus et hiis qui resistebant hostibus, ejusque aqua superfusa monasterio in modum pluvie incendium omne restrinxit Dei virtute. Ne cui autem hoc videatur incredibile, multe hoc hodie attestantur, non solum laycales, sed eciam ecclesiastice persone [2].

Rex Lotharius, multo regni sui congregato exercitu, Romam secundo proficiscitur, duorum de sede apostolica contendencium discordiam ad

[1] Ex eodem ad. an. 1133.

[2] Ex Gemblacensi continuatione ad Sigebertum, apud Pertz, *op. cit.*, t. VI, p. 385.

pacis et unitatis cupiens revocare concordiam. Mons Castrilocus cum templo sancte Waldetrudis et toto pene oppido concrematur. Rex Lotharius, anno uno et mensibus V cum expeditione militari in Ytalia commoratus, ab ingressu abstinuit urbis Rome, quia duorum de sede apostolica contendentium prelia et seditiones nequiret compescere [1].

1137. Anno M° C° XXXVII° Rogerium *Siciliae* ducem sibi resistentem bellica congressione frequenter attrivit, provinciam ejus cede et incendio devastavit, sed tamen eum ad dedicionem non compulit. Anno M° C° XXXVIII°, dum varius eventus belli esset, et nunc hos nunc illos gladius consumeret, rex Lotharius morte preventus bellum cum vita finivit; et propter incursus undique imminentium hostium non manifeste, sed quasi occulte a suis relatus, in Saxonia est tumulatus [2]. Ecclesie Dei et Gregorio pape pax est reddita, et cessaverunt seditiones et prelia. Iste Lotharius vir egregius et digne pater patrie appellandus, quo decedente pax et tranquillitas et rerum copia, que eo imperante vigebant, hactenus cessaverunt. Hujus regis tempora jucunda fuere; nam bona aëris temperies, omnigena terre fertilitas, cunctarum rerum copia, non solum per regnum sed pene per totum mundum exuberabat; hic pace affluebat, concordia regnabat, tranquillitate imperabat, moderatione fulgebat; pace belloque clarissimus erat, merito a nobis nostrisque posteris pater patrie appellatur, quia erat egregius defensor et fortissimus propugnator, vilipendens vitam suam contra omnia adversa propter justiciam opponere. Et, ut magnificentius de eo dicamus, in diebus ejus populus terre principem terre non pertimuit, nec violentorum manibus subjacuit, unusquisque enim suam libertatem pacifice possidebat.

Post mortem Lotharii Conrardus Suevus eligitur in regem; et sequitur incidens quod tangit prepposituram de Mersen. Cap. XXXII.

1138. Anno M° C° XXXVIII° predicto, post mortem regis Lotharii, non ferentes principes Teutonici regni aliquem extraneum a stirpe regia sibi dominari, regem constituunt sibi Conrardum ducem Suevie, virum regii generis;

[1] Ex Gemblacensi continuatione ad Sigebertum, apud Pertz, *op. cit.*, t. VI, p. 385-386.

[2] Ibid. ad. an. 1137.

erat quippe ex sorore nepos Heinrici quinti regis, quarti imperatoris hujus nominis [1].

Contigit hujus Conrardi tempore quod Godefridus de Lovanio, dux Lotharingie, qui villam Littam ad Mersanam pertinentem, quam inter multas alias possessiones, quondam a gloriosa regina Francorum Gerberga abbati cenobii sancti Remigii, confessoris et Francorum apostoli, in urbe Remorum constituti, pro fundatione prepositure Mersane, que nunc Mersen dicitur, legitime contraditas, a dive memorie primo Ottone et secundo, Romanorum imperatoribus, per privilegii donationem imperpetuum confirmatas, multis annis invaserat, et omnem ipsius fructum fratribus dicti cenobii violenter abstulerat, donec, Dei timore et predicti regis commonitione perterritus, eandem villam abbati et fratribus in presencia ejusdem regis refutavit et reddidit, et firmis securitatibus a se et suis filiis Godefrido atque Heinrico datis, se aut heredes suos nullam deinceps invasionem aut injusticiam illaturos repromisit, et proprio scripto confirmavit, prout hoc clare habetur in literis confirmatoriis Frederici primi Romanorum regis dicto abbati sancti Remigii concessis [2].

Heinricus dux Bavarorum, quia filia Lotharii regis ei nupserat, et jam liberos ex ea susceperat, Conrardum regno sublimatum et a se alienatum graviter ferebat, et quoscunque poterat, ab ejus amicicia et fidelitate avertebat.

Moritur dux Godefridus primus cum Barba, cui succedit Godefridus filius suus. CAP. XXXIII.

Anno M° C° XL° Godefridus Lovaniensis, dux Lothariensium cum Barba, 1140.
magnum patrie sue decus, vir suo tempore et tempori et honori sciens se decenter conformare, moritur, et Haffligemensis templi sepultura honoratur. Conrardus secundus Romanorum rex hujus nominis Godefridum, filium Godefridi ducis, facit paterni honoris successorem, ea maxima pro causa quia sue conjugis sororem ei dederat uxorem, que Lutgardis nomine fuit, filia ducis de Zalsenbach.

[1] Vide Sigeberti continuationem Gemblacensem ad. an. 1138.

[2] Vide nostram disquisitionem : *Notice sur des chartes relatives à la prévôté de Mersen et sur un sceau de l'empereur Frédéric-Barberousse* ; BULLETINS DE L'ACADÉMIE, t. XIX, part. 2.

Anno M° C° XL° predicto, exorta discordia inter Alberonem episcopum Leodiensem et Heinricum comitem Namurcensem, multa hinc inde contigerunt mala, prede et incendia, cedes et homicidia. Causa hujus discordie : Comes Namurcensis ex improviso aggressus oppidum, quod Fossis dicitur, quia nomen tale sibi dat situs ipsius loci, multis captis et occisis, multa preda abducta, oppidum totum cum monasterio beati Foillani combussit, edificia lapidea, quecunque eminenciora erant, destruxit [1].

De rebellione ducis Lymburgie contra ducem Lotharingie Godefridum secundum. Cap. XXXIV.

Heinricus comes Lymburgensis, dolens se privatum honore ducatus, quem pater suus et avus habuerant, Godefrido duci rebellis erat, contiguos sibi possessionum ejus redditus invadebat, et, sicuti prevalebat, nulli amicorum ejus parcebat. Godefridus dux graviter ferens insolenciam ejus, oppidum Sancti Trudonis cum multo equitum peditumque exercitu obsedit, cives ad deditionem coëgit, obsides promisse sibi fidelitatis accepit. Deinde cum eodem exercitu progressus, in oppidum Aquisgrani ingressus, cum multo potentatu per byduum in sede judiciaria resedit, exactiones, quas ducem Lotharingie exigere decebat, exegit, oppidanos sue fidelitati astrinxit, et, ne Heinrici comitis fautores essent, ostentatione potentie sue deterruit [2]. Hic eciam Godefridus secundus toto tempore vite sue habuit magnam guerram contra dominos Grymbergenses, prout infra clare patebit, circa finem gestorum Godefridi tercii sui filii. Heinricus, filius ducis Godefridi in superiori anno defuncti, milicie cingulo deposito, Haffligemensis monachus factus, celestis milicie signaculum accepit, et cito vocatus a Deo migravit [3].

De castro Bullionensi. Cap. XXXV.

1141. Anno M° C° XLI° Adelbertus [4] hujus nominis secundus Leodiensis episcopus, dolens fraudulenta invasione comitis Raginaldi [5] jam per septem annos

[1] Ex Sigeberti continuatore Gemblacensi ad. an. 1140.

[2] Ex cit. continuatione Gemblacensi.

[3] In aliis MSS. *sed cito obiit.*

[4] *Albero II*, qui et *Adalbero* dicitur.

[5] Rainaldus, Barri comes.

violenter retineri castrum Bullionum, quod cum omnibus appendiciis suis Otbertus episcopus multa summa argenti acquisierat episcopio Leodiensi: nec ferens tantum honoris et commodi ad presens sibi in posterum auferri et ecclesie Dei, oportunitatem exspectabat, qua juste repeteret, quod ecclesia injuste amiserat. Deus autem, qui ei ad hoc dederat affectum, bone voluntati ejus dedit effectum : inspecta enim oportunitate castrum obsedit cum multa equitum peditumque multitudine : plus tamen de divino quam de humano confidens auxilio, corpus beati Lamberti ad locum obsidionis jussit deferri, sic sperans quod inchoaverat, prosperari et accelerari. Nec frustratus est spe sua; in paucis enim diebus castrum recepit, cum Dei et sancti Lamberti auxilio, quod multo tempore multorum labore nimio vix longa reddidisset obsidio. Quanta ibi contigerunt, quanta eciam nunc contingunt ad corpus sancti Lamberti miraculorum insignia, quia non est hujus operis, prudencioribus relinquimus estimanda, vel, si eis placuerit, describenda [1].

Hic rex Conrardus tercio regni sui anno urbem Wynesberch dictam obsedit, et in dedicionem accepit; matronis et ceteris feminis ibi repertis hac regali libertate licencia concessa, ut quecunque valerent humeris deportarent : que, tam fidei maritorum quam sospitati ceterorum consulentes, obmissa suppellectili descendebant viros humeris portantes. Duce vero Frederico, ne talia fierent, contradicente, rex favens subdolositati feminarum dixit, regium verbum non decere immutare.

Moritur dux Godefridus; succedit filius ejus equivocus. Cap. XXXVI.

Anno M° C° XLIIII° Godefridus Junior dux Lotharingie, quarto anno 1144
sui ducatus, immatura morte preripitur, epatica passione consumptus, et Lovanii in templo tumulatur [2]; succedit filius ejus equivocus, primum adhuc agens sue etatis annum. Conrardus rex concessit filio Godefridi ducis Minoris, adhuc puerulo, quidquid beneficii vel honoris antecessores ejus habuerant de manu imperatoris.

[1] Haec omnia fuse refert auctor *Triumphi S. Lamberti de castro Bullonio*, apud Chapeaville. Quae vero Dynterus hoc loco refert, descripsit ex cit. continuatione Gemblacensi ad. an. 1141.

[2] Obiit Godefridus II in quadragesima an. 1143 (styl. nov.). Vide *Recherches sur les sépultures des ducs de Brabant à Louvain*, p. 6.

Bellum gravissimum ortum erat ante annos circiter XX inter ducem Lovanii Godefridum primum et Walterum cognomento Bertold; puer quidem Godefridus adhuc in cunis jacebat. Turba autem sediciosorum utriusque partis pacem turbabat, unde magnum malum processit, et quasi quoddam contagium terras utriusque invasit. Agricole enim bonis suis spoliati, miseri et exules de finibus suis sunt egressi; terra deserta habitatoribus inculta remansit. Erat cernere miseriam, incendia, homicidia, rerum omnium depredationes violenter fieri fere per annos XX, donec hoc anno, quarto bello Grymbergensi, urbs antiqua ruit, multos dominata per annos, castrumque magnum et famosum, quod humana virtute vix capi poterat, justo Dei judicio combustum et ad solum usque dirutum est: ita quod omni auxilio destitutus, a comite Flandrie derelictus, cui soli innitebatur, cum duce, sero tamen, in pacem rediit. Et hoc accidit in festo sancti Remigii.

114 Anno Domini M° C° XLV° Gregorius papa, qui et Innocencius, obiit [1]: Wido, qui et Celestinus, papa succedit C^us LXII^us. Cui successit Gerardus, qui et Lucius, C^us LXIII^us. Gerardus, qui et Lucius, papa obiit; Bernardus, qui et Eugenius, C^us LXIV^us ei successit. Hoc tempore quidam magister Arnoldus nomine predicavit in urbe Romana, reprehendens divicias et superfluitates, quem multi magnates Romanorum secuti sunt, qui et in odium clericorum suspensus est [2].

Confirmacio Conrardi regis pro abbate sancti Remigii Remensis, que concernit prepositaram de Mersen[3]. Cap. XXXVII.

1145. Conrardus, divina favente clemencia Romanorum rex secundus, per suas patentes literas datas apud Ultrajectum, anno dominice incarnationis M° C° XLV°, indictione VIII^a, anno regni sui VIII°, confirmavit venerabili Odoni abbati sancti Remigii possessiones ecclesie sue, que in regno suo adjacent, Mersnam, cum omnibus appendiciis suis, Hartam, Clumam, Littam, Angleduram, Beccam, prebendas quoque Marsnenses iu usus monachorum, decedentibus clericis, transmutatas. Stabilitum equidem et ordine

[1] Innocentius II obiit die 24 septemb. an. 1143.

[2] In MS. cod. Johannis Miræi ita legitur : *sed postea propter clericorum in eum odium suspensus est. Hoc etiam anno fuit adventus fratrum in Tongerlo ex monasterio sancti Michaëlis Antwerpiensis.*

[3] Vid. supra, t. I, p. 308, et hoc. vol., p. 83.

judiciario in curia sua erat judicatum, quod advocatus in tribus placitis generalibus [1] in anno pro suo servicio habebit terciam partem pecunie acquisite; prepositus Marsnensis sine advocato poterit ponere vel deponere villicos, ministeriales et scabinos; de redditibus sancti Remigii per villicos et scabinos placitabit prepositus sine advocato. Si effusio sanguinis, seu banni infractio, seu latrocinium in allodio emerserint, placitare non poterit prepositus sine advocato, et exinde terciam partem habebit advocatus. Exactiones, tallias precarias et peticiones regia censura penitus interdixit advocato. Si infra allodium terra culta vel inculta, molendina ab heredibus emancipata fuerint, monachi in usus suos libere sibi vendicabunt sine advocato; silvas, fruteta et domos sub censu annuali prepositus ad commodum ecclesie quibuscunque tradere poterit sine advocato : prout hec et alia in supradictis literis plenius continentur [2].

Qualiter dux Lotharingie, pro tempore dominus Lovanie existens, constituitur advocatus ecclesiarum, etc., per Conrardum Romanorum regem secundum. Cap. XXXVIII.

Conrardus Romanorum rex secundus, tamquam advocatus primus et defensor Romane ecclesie et omnium ecclesiarum ecclesiasticarumque personarum et bonorum earundem sub sacro Romano imperio existentium, attendens nemini licitum esse alicujus ecclesie advocaciam usurpare, nisi banno regio ad hoc esset institutus, quandoque personis ecclesiasticis nimis grave esset, propter longinquitatem terrarum, presenciam regis adire, propter indigenciam earundem, quapropter illustrem Godefridum, ducem Lotharingie et marchionem atque comitem Lovaniensem, omnium ecclesiarum ecclesiasticarumque personarum et bonorum earundem sub principatu Lotharingie constitutorum, et successores ipsius, dominos Lovanienses seu Brabancie dominatum obtinentes, pro tempore existentes, ut vice

[1] *Placita generalia*, seu *Voegt-gedingen* vel *Jaergedingen*, ter in anno celebrabantur in praepositura Marsanensi. Indicebantur illa placita ab advocato, et tenebatur ex singulis familiis caput comparere, sub certa poena; de mulcta praepositus Marsanensis vel abbas S. Remigii Remensis semissem, advocatus vero trientem recipiebat, juxta Bruschium.

[2] Exstat Conrardi III imperatoris diploma apud Miræum, *op. cit.*, t. I, p. 105. Cfr. nostra disquisitio cit. supra, p. 83.

imperii contra omnem inquietationem ecclesiasticas personas et earum bona tueantur et defendant, ita quod ab ipsis nichil per potestatem recipiant aut exigant preter jus advocacie, quia advocati non debent esse depredatores sed defensores ecclesiarum [1]. Qua quidem advocacia dominus dux modernus et ejus antecessores, duces Lotharingie et Brabancie, tam concessione imperiali quam ex successione hereditaria, pacifice gavisi fuerunt usque ad hec tempora [2].

Privilegium Eugenii pape, quod sic incipit : « Eugenius, servus servorum Dei, dilectis filiis Henrico, abbati ecclesie beate Marie de Tongerloo, » etc. In quo habetur talis clausula : « Prohibemus autem [3] ut ipsius loci advocaciam nullus usurpet, sed dominus Lovanie qui pro tempore fuerit, sicut a karissimo filio meo Conrardo Romanorum rege rationabiliter statutum est, absque aliqua exactione vobis patrocinia prebeat, etc. »

Privilegium Victoris pape, quod sic incipit : « Victor, servus servorum Dei, dilectis filiis Huberto, abbati ecclesie beate Marie de Tongerloo, » etc. In quo habetur talis clausula : « Prohibemus autem ut ipsius loci advocaciam nullus usurpet, sed dux Lotharingie qui pro tempore fuerit, sicut a bone memorie Conrardo quondam Romanorum rege rationabiliter statutum est, absque aliqua exactione vobis et rebus vestris patrocinium prebeat. »

Privilegium Urbani pape, quod sic incipit : « Urbanus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Hermanno abbati ecclesie beate Marie a Tongerloo, » etc. In quo habetur talis clausula : « Insuper autem apostolica auctoritate duximus inhibendum, ne ipsius loci advocaciam nullus usurpet, sed dux Lotharingie qui pro tempore fuerit, sicut a bone memorie Conrardo quondam Romanorum rege rationabiliter est statutum, absque aliqua exactione vobis et rebus vestris, pro Deo et anime sue remedio, patrocinium tuitionis impendat. » Datum Verone, VIII° ydus septembris, indictione quarta, incarnationis dominice anno M° C° LXXXVI°, pontificatus vero domini Urbani pape tercii anno primo [4].

[1] Exstat apud Miræum, *op. cit.*, tom. I, p. 536, diploma e quo liquet a Conrardo III imperatore circa annum 1150 Godefridum III, ducem Brabantiae, constitutum fuisse advocatum abbatiae Tongerloënsis.

[2] In MS. cod. Johannis Miræi additur : *Sequentia tangunt advocatiam duci Lotharingiae concessam per privilegium ab Eugenio papa.*

[3] Cfr. Sanderi Brabantia illustr. t. I, p. 317 et seqq.

[4] Exstant apud Miræum, *op. cit.*, t. I, p. 550, illae Urbani III literae, quibus possessiones ab-

Privilegium Alexandri pape, quod sic incipit : « ALEXANDER, servus servorum Dei, dilectis filiis, abbati ecclesie de Tongerloo ejusque fratribus. » etc. In quo habetur talis clausula : « Insuper autem apostolica auctoritate duximus inhibendum, ne ipsius loci advocaciam ullus usurpet, sed dux Lotharingie, qui pro tempore fuerit, sicut a bone memorie Conrardo quondam Romanorum rege rationabiliter est statutum, absque aliqua exactione vobis et rebus vestris, pro Deo et anime sue remedio, patrocinium tuitionis impendat, » etc. Datum Anagnie, VIII° kalendas octobris, indictione XV^{a}, incarnationis dominice anno M° CCC° LVI° [1], pontificatus vero domini Alexandri pape quarti anno secundo.

Item dictus Godefridus dux tercius, per suas literas patentes datas anno 1145
Domini M° C° XLV°, indictione VIII^{a}, quidquid immunitatis seu libertatis fratribus et sororibus Forestensis abbatie avus et pater suus jam ante donaverant, coram hominibus suis renovando iteravit : quidquid eciam ex suo allodio vel emptione vel hominum suorum collatione acquisierant, cum omni usu, jure et servicio, ad ipsam ecclesiam pertinente in silvis, pratis, aquis, et pascuis, libere tradidit [2]. Contra malefactores vero Christo ibi famulancium advocatum, judicem et vindicem, acsi pro anima sua, se pro eis apponendum recognovit. Nec fas sit in posterum ulli successorum, quicunque dominatum tocius terre Brabantensis obtinuerit [3], ipse enim sicut honore et potestate, ita benivolencia et affectu, ad defensionem ecclesie succedere se noverit, prout in dictis literis plenius continetur.

Item idem Godefridus dux et marchio Lotharingie, per suas literas datas anno M° C° LXXIII° [4], indictione VI^{a}, tamquam liber ecclesie advocatus, confirmavit ecclesie Forestensi allodium Goeswini de Erpe apud Anderlecht positum, et similiter XX terre bonaria, que Arnulphus de Ascha, cujus terram apud Hersenbeke concambio et emptione acquisierat, liberaliter ecclesie contulerat, ac terram quinque bonariorum Goeswini de Ascha. Et insuper idem dux homines omnes ad ecclesiam pertinentes a thelo-

tiae Tungerloënsis, ab ejusdem fundatore Giselberto ejusque cohaerede Engelberto de Casterloo et aliis donatas confirmat. Cfr. Sanderi *op. cit.*, t. I, p. 321, ubi non recte an. 1286 pro an. 1186 legitur.

[1] Lege 1256, nam Alexander IV sedem apostolicam tenuit ab anno 1254 ad annum 1261.

[2] Cfr. Miraei *op. cit.*, t. I, p. 697, ubi exstat diplomatis fragmentum. Integrum vero legitur t. III, p. 45.

[3] Verba quaedam deesse videntur, forte : *eos inquietare*, vel quid simile.

[4] In MS. cod. Johannis Gevartii designatur annus 1163.

nio liberos esse in omni terra potestatis sue concessit; indigenas terre vel de aliis provinciis venientes, apud claustrum vel in curtis servorum et ancillarum Dei servientes, ab hominibus suis nullatenus inquietari voluit, ymmo eciam ab omni exactione liberos esse, sub districta gladii ferientis animadversione, precepit, prout in dictis literis plenius continetur.

1146. Anno M° C° XLVI° Conrardus rex apud Andernacum in vicinia Treverorum penthecosten celebravit, et quosdam sibi rebelles oppugnando et expugnando ad deditionem compulit. Hujus temporis anno Domini M° C° XXXIX°, Johannes de Temporibus, qui annis trecentis XLI vixerat, a tempore Karoli Magni, cujus armiger erat, defunctus est.

Conrardus rex a sancto Bernardo crucis caractere insignitur; ubi de passadio cum Ludovico rege Francorum, et de aliis incidentiis. Cap. XXXIX.

Hic Conrardus rex in Franckenvort, ad instanciam Eugenii pape, a sancto Bernardo cum cunctis pene principibus crucis caractere est insignitus, et illis temporibus socii peregrinationis super numerum multiplicantur : nam de Lotharingia, Flandria et Anglia cum ducentis pene navibus proficiscuntur. Conrardus rex Heinricum filium suum Aquisgrani in regem sublimat, ne post decessum regnum suum absque principe remaneret, et aliqua rerum perturbatio moveretur [1].

1147. Anno M° C° XLVII° Conrardus rex Germanorum et Ludovicus rex Francorum, qui superiori anno cum infinito exercitu profecti fuerant trans mare, ut paganos debellarent, nichil prospere fecerunt, sed tantis exercitus eorum attritus est infortuniis, tum fame, tum mortalitate, tum ferro hostium, ut de tot millibus tam copiose multitudinis vix pauci repatriaverint [2]. Exercitus enim Conrardi Germanorum et Ludovici Francorum regum predictorum ibi propter dolum Saracenorum, qui calcem farine miscuerunt, multum sunt passi in hominibus detrimentum; tamen ad Terram Sanctam pervenientes multa gloriose gesserunt.

1151. Anno M° C° LI° Gracianus, monachus sancti Felicis in Bononia de Clusa civitate genitus, Decretum composuit; quod opus cum ipse Eugenio pape

[1] Ex Sigeberti continuatore Gemblacensi ad an. 1147, apud Pertz, *op. cit.*, t. VI, p. 389.

[2] Ibid. ad an. 1148.

obtulisset, papa id gratum habens et opus comprobans, Gracianum in episcopum ecclesie Clusine prefecit. Et Petrus Comestor, alias Lombardus dictus, frater ejus [1], eodem tempore librum Sentenciarum compilavit; hic fuit episcopus Parisiensis. Floruit eciam hoc tempore Richardus de sancto Victore Parisiis. Hoc eciam tempore translatus est liber Johannis Damasceni in latinum.

Eugenius papa Remis concilium celebravit, ubi, congregatis ex Gallia et Germania catholicis patribus, multa correcta sunt. Arnoldus Coloniensis archiepiscopus, successor Hugonis, quia dicto concilio non interfuit, et de symonia accusatus fuit, ab eodem papa deponitur. Qui cum Maguntino archiepiscopo causa reconciliationis Romam adiit; sed Maguntino gratia gratis data est, et Coloniensis sine reconciliatione rediit. Argentum eorum reputatum est fenum, sommarii eorum onusti repatriant inviti, et hoc ideo, quia papa pecuniam tamquam paleam habere dicebatur. Et hoc Romanorum consilio usurpatum non est, nec creditur, quia non multum curant quo fine res terminentur, quia valde diligunt munera, sequuntur retributiones, et quia nemo nisi ambiciosus venire Romam potest. Arnoldus Coloniensis archiepiscopus eodem anno moritur, cui Arnoldus prepositus Coloniensis et imperatoris cancellarius successit. Hic sub imperatore Frederico primo quinque annis sedens, in ecclesia sancti Clementis in Ryndorp [2], quam ipse multis ornamentis decoravit, sepultus est. Rex Conrardus, postquam de transmarinis partibus rediret, apud Babenberch infirmitate decumbens vita decessit, XI° kalendas marcii, anno regni sui XV° [3], et sepultus est in eadem civitate. Hic, licet benedictionem imperialem non habuerit, tamen vir virtute militari strenuus, et, quod regem decuit, valde animosus et preclarus; cui successit Fredericus, consobrinus Conrardi, principum sentencia electus, ut infra patebit. Tempore hujus Conrardi secundi Romanorum regis claruit in Germania sancta Hildegardis, vene-

[1] Petrus, Lombardus natione, patria Novariensis, seu ex loco vicino, qui Lumen-Omnium dicitur, canonicus primum Carnotensis, deinde scholasticus et episcopus Parisiensis, obiit an. 1164. Alius ab eo plane diversus, qui frater ipsius dici non potest, est Petrus Comestor, Trecensis presbyter, canonicus et decanus, deinde anno 1164 cancellarius ecclesiae Parisiensis, auctor *Historiae Scholasticae* seu Historiae sacrae, admixtis profanis. Neque Lombardus Gratiani *frater* dicendus est. Textus ergo ita restituendus : *Et Petrus Comestor hoc tempore floruit; alius Petrus, Lombardus dictus, eodem tempore, etc.*

[2] *Ryndorp* prope Bonnam, ubi monasterium foeminarum fundaverat. Obiit anno 1156.

[3] Obiit Conrardus III die 15 februarii 1152.

rabilis sibilla sive prophetissa, domina et magistra sororum sive monialium sancti Ruperti in Bingia, Treverensis dyocesis: cujus libri prophecie ejusdem recepti et canonizati sunt a papa Eugenio tercio in concilio Treverensi, presentibus multis episcopis tam Francorum quam Theutonicorum, et sancto Bernardo abbate Clarevallis.

In ecclesia sancti Nycholai, que constructa est in oppido Bruxellensi, sancta Maria, mater Jhesu Christi, operata est tanta miracula, quanta a temporibus apostolorum adeo magna et frequencia in tam brevi tempore nusquam sunt audita. Dum enim, consensu Hafíligemensis abbatis et consilio fratrum, feretrum illud in honore sancte Marie, auro et argento operiendum, ab ecclesia Waverensi cum ceteris reliquiis, que in eadem continentur, fuisset allatum in ecclesiam sancti Nycholai et reverenter locatum, statim, operante virtute per merita gloriose Virginis, ceci visum, surdi auditum, claudi gressum ceperunt, et tot infirmi, variis languoribus oppressi, a paschali ebdomada usque ad diem nativitatis sancti Johannis Baptiste sanitatem optatam consecuti sunt, ut, si fratres supradicte ecclesie hec per singula stili officio fidelium memorie commendassent, non parvum volumen posteris profuturum conscripsissent. Hoc bono odore tota provincia in brevi respersa, non solum ex nostris sed etiam ex valde remotis partibus factus est concursus divitum et pauperum; diverse etatis et utriusque sexus fideles cum oblationibus suis convenerunt, et tantam pecuniam, que non facile estimari potest, hac ratione dividendam obtulerunt, partim scilicet in sustentationem pauperum, partim in restaurationem ecclesiarum, partim in usus fratrum in ecclesia Haffligemensi vel Waverensi Deo servientium. Abbas enim Haffligemensis et fratres ejus pedites usque ad ipsum oppidum convenerunt, ubi albis vestiti et cappis induti processionem multitudine monachorum composite et honeste ordinaverunt; et sic cantando Deum et ejus genitricem collaudando, cum magna gloria et applausu tocius populi, qui ea die dicuntur fere ad XXX millia convenisse, in ecclesiam sancti Nycholai intraverunt [1].

Anno Domini M° C° LII° Eugenius papa moritur [2], cui successit Conrardus, qui et Anastasius, C^us LXV^us. Deinde Anastasius decessit [3], et successit Adrianus C^us LXVI^us.

[1] Ex Sigeberti auctario Affligemensi ad an. 1152, apud Pertz, *op. cit*, t. VI, p. 401.

[2] Eugenius III obiit anno 1153.

[3] Anastasius IV obiit die 2 decembris 1154.

De electione et imperio Frederici primi. Cap. XL.

Anno M° C° LII°, mortuo Conrardo hujus nominis Romanorum rege 1152
secundo, Fredericus primus, filius Frederici ducis Alemannie sive Suevie, fratris Conrardi regis secundi, summo favore cunctorum principum ad Francfordiam in regem eligitur, et, in medio quadragesime immediate sequentis, ab Arnoldo Coloniensi archiepiscopo unctus est Aquisgrani in regem, et regnavit annis XXXVIII[1]. Hic largus, strenuus et facundus atque nobilis, in omnibus gloriosus fuit[2].

Confirmacio abbacie santi Remigii Remensis ad opus prepositure de Mersen[3]. Cap. XLI.

Fredericus primus divina favente clemencia Romanorum rex per suas literas patentes, datas in palacio suo Aquisgrani, anno dominice incarnationis M° C° LII°, indictione XV^{a}, regni sui anno primo, ad humilem petitionem venerabilis Hugonis abbatis sancti Remigii[4], confessoris et Francorum apostoli, in palacio suo Aquisgrani, die secunda postquam unctionem sacram in Romanorum regem accepit, quasdam possessiones quondam a gloriosa regina Francorum Gerberga predicto cenobio legitime contraditas, et a dive memorie primo Ottone, item quoque Ottone secundo per privilegii donationem imperpetuum confirmatas, confirmavit, et presentis auctoritate privilegii suo regio banno corroboravit, scilicet Mersnam cum fisco et omnibus appendiciis, scilicet Hartha, Cluma, Litta, Angledura, Stuma et Becca, que ad eam pertinent, necnon et in pago Mosago Coslam cum omnibus appendiciis suis, id est Beethem, Glana, Capella, Peffemlibach atque Mons sancti Remigii, ut ipse abbas et monachi per omnia succedencia

[1] Fredericus I, electus Francofordiae die 4 martii 1152, die 9 ejusdem mensis Aquisgrani coronam et unctionem regiam accepit.

[2] In MS. cod. Johannis Miræi additur : *Confirmavit etiam abbatiam sancti Remigii Remensis ad opus prepositure de Mersen, ut ex ejus literis patet.*

[3] Vid. supra, t. I, p. 308, et hoc t. II, p. 83 et 87.

[4] Hugo ille, tertius hujus nominis abbas, Remigiano monasterio praefuit ab anno 1151 usque ad annum 1162, quo obiit. Cfr. *Gallia Christ. nov.* t. IX, p. 233.

tempora liberam potestatem habeant prescriptas villas cum omni integritate et appendiciis ipsarum ordinandi, fruendi et disponendi, sine ullius persone contradictione. Hoc quoque non vult latere quod dux Godefridus de Lovanio multis annis Littam, que ad Mersnam pertinet, invaserat, et omnem ipsius fructum fratribus dicti monasterii violenter abstulerat, donec Dei timore et beate recordationis patrui sui, gloriosi Romanorum regis Conrardi, commonitione perterritus, eandem villam abbati et fratribus, in presencia ejusdem incliti principis, refutavit et reddidit, et firmis securitatibus a se et a filiis suis Godefrido atque Heinrico datis, se aut heredes suos nullam deinceps invasionem vel injusticiam illaturos firmiter repromisit et proprio scripto confirmavit [1]. Et insuper inter multa alia dictus Fredericus per suam pragmatice sanxionis paginam declaravit, decernens ut talis in eisdem possessionibus advocatus et idem solus sine subadvocatis ordinetur, ut velit et posset pocius prodesse quam obesse. Qui advocatus ea que subscripta sunt, pro beneficio advocacie sue sine ullo additamento in perpetuum accipiet : in tribus scilicet placitis generalibus terciam partem pecunie acquisite recipiet advocatus, etc., cum aliis clericis [2] in litera regis Conrardi contentis [3]. Et fuerunt presentes, tamquam testes, Arnoldus Coloniensis, Hillinus Treverensis archiepiscopus; Heinricus Leodiensis, Fredericus Monasteriensis, Otto Frisingensis, Orchlenus Basiliensis, Heinricus Constanciensis episcopi; Albertus marchio de Brandenburch, Heinricus dux Saxonie, Matheus dux superioris Lotharingie, Godefridus dux Lovaniensis, Heinricus comes Namurcensis, Heinricus comes de Lymborch et frater ejus Gerardus, Conrardus de Daelhem, et alii quamplures, prout in supradictis literis plenius continetur.

Idem Fredericus divina clemencia Romanorum rex primus per suas literas patentes, datas anno Domini M° C° LII°, indictione XVI^a^, anno regni ejus primo, in Aquisgrani confratres Leodienses, pro necessitate ecclesie sue ad ipsum directos, debita misericordie pietate et respectu gratie sue suscepit, et jus advocatorum et termini juris eorum, ex sentencia et judicio

[1] De allodio Litta, seu *Lithoyen*, in territorio Buscoducensi, a Godefrido Barbato abbatiae Remigianae restituto, vide ipsius diploma apud Miræum, t. I, p. 525. Ibid., p. 185, exstat ducis Godefridi III diploma, quo illud allodium, a suis ministerialibus rursus anno 1158 occupatum, anno 1160 Remigianis denuo reddit.

[2] Lege *clausulis*.

[3] De Conrardi III decreto vid. supra, p. 87.

principum predecessorum suorum decretum tempore gloriosi regis felicis memorie Conrardi patrui sui, renovato judicio confirmatum, auctoritate sua ratum et inconvulsum conservari precepit. Ne autem ultra jus statutum advocatorum aliquis temerario ausu progrederetur, de jure eorum hoc decernere curavit, neminem advocatum esse debere vel advocaciam exercere, nisi quem constaret bannum regie auctoritatis habere, nichilque ultra debere exigere, quam quod auctoritas privilegiorum et testimonium scabinorum fidelium perhiberet veritati. Si quis autem exactiones vel pecunias in advocacia sua ultra usurpaverit, jam judicio curie sue reatus sui sentenciam excepit. Preterea confirmavit ipsis omnia eorum privilegia per predecessores suos Romanorum imperatores sive per ipsos indulta, et per predictum patruum suum innovata, ipsis clementer concessit et roboravit, prout in predictis literis plenius continetur.

Fredericus Romam vadit[1]. Cap. XLII.

Anno M° C° LV° Fredericus imperator, preterito anno profectus, hoc anno Romam pervenit, multis in itinere laboribus attritus, et diversis hostiliter obsistentibus, quos omnes tam sagacitate quam virtute superavit, et ad dedicionem atque subjectionem compulsit. Romanis principibus mandavit, ut eum cum pace susciperent, et debitam subjectionem non negarent. Quod illi pecunie inhiantes contumaciter renuerunt, dicentes quod, nisi ad quas vellent conditiones acquiesceret, ipsos non subjectos sed hostes sentiret. Imperator semper eorum inexpletam avariciam respuens, Romam armata manu ingreditur, papam Adrianum amicum et aptum sibi inveniens, in ecclesia sancti Petri benedictione confirmatur et coronatur, et imperator victor ingreditur; floret imperium, et dominus rerum gloria sublimis attollitur. Hic cum pro coronatione Romam venisset, et pacifice cum magno gaudio ab Adriano papa coronatus fuisset, et peractis omnibus ante Romam stacionem suam, que erat in prato Neronis, exivisset, Romani armata manu familiam sequentem in porta sancti An-

1155.

[1] Vide cit. Sigeberti auctarium Affligemense ad an. 1155, et Chronicon Alberici Trium Fontium ad an. 1155, edit. Leibnitzii, p. 326.

geli crudeliter invaserunt, usque ad tentorium imperatoris persequendo: sed invalescente clamore Theutonici adunati Romanos reppulerunt, crudeliter a Deo prostratis multis et captivatis: cum magnis precibus pape vix captivi fuerunt restituti.

De matrimonio Godefridi, hujus nominis Lotharingie ducis tercii, et de pace facta inter ipsum et Heinricum Lymburgensem. Cap. XLIII.

Godefridus junior dux Lotharingie, anno ducatus sui XVII°[1], filiam Heinrici comitis Lymburgensis in conjugio sortitus est, per quod tandem rebus omnibus in pace compositis contencio longo tempore protrata ea tradicione finita est, ut Godefridus confirmatum sibi ducatum sine ulla contradictione, advocaciam Sancti Trudonis, castellum Rode obtineat, atque omnium que possidet idem comes post decessum ejus medietatem accipiens hereditario jure successor fiat[2]. Hic Godefridus dux, comes et marchio genuit ex Margareta filia Heinrici comitis Lymburgensis predicti Heinricum hujus nominis ducem primum, qui sibi successit, et Albertum episcopum Leodiensem, qui martirizatus fuit per Heinricum VI^{um} imperatorem, prope civitatem Remensem, ubi jacet sepultus in ecclesia Nostre Domine. Qui quidem Godefridus rexit annis XLVI, et obiit anno Domini M° C° LXXXIII°, XII° kalendas septembris[3], et est sepultus in ecclesia sancti Petri Lovaniensis, ubi Margareta uxor ejus eciam jacet sepulta[4]. Hic Godefridus, mortua prima uxore duxit filiam comitis Lossensis, Ymanam nomine, ex qua genuit unum filium nomine Wilhelmum de Parweis[5].

[1] Godefridus III, adhuc puerulus, patri successit anno 1143; quum ipsius matrimonium, seu potius pactum de matrimonio incundo cum Margareta Limburgensi, referri debeat ad annum 1155, non annus decimus septimus ducatus, sed annus vix decimus tertius dici debet.

[2] Ex Alberico Trium-Fontium ad an. 1155, et ex Sigeberti auctario Affligemensi ad cit. an. Apud illos non leguntur verba : *anno ducatus sui XVII.*

[3] Errat auctor; obiit Godefridus III die 10 augusti anni 1190.

[4] Vide *Recherches sur les sépultures des ducs de Brabant à Louvain*, pp. 7 et 8.

[5] Vide *op. cit.*, p. 8.

De bello Grymbergensi, et de causa originis istius belli, et quid inde secutum est [1]. CAP. XLIV.

Quia supra dictum est de bello Grymbergensi exorto per et inter Godefridum dictum cum Barba, hujus nominis de propagine sancti Karoli Magni primum Lotharingie et Brabancie ducem comitemque Lovaniensem et marchionem, ex una, et Arnoldum dominum Grymbergensem ejusque filios Walterum et Gerardum milites, partibus ex altera, quod per Godefridum secundum ducem continuatum, atque per Godefridum tercium consummatum extitit et finitum; et quia de causa inchoationis belli hujusmodi, que pluribus est ignota, diversi diversimode loquuntur : hinc est, quod rem gestam veritati consonam, prout ex libris antiquis recolligere potui, hic inserere curavi, sub correctione cujuslibet melius sentientis.

Pro elucidatione autem rei hujusmodi est sciendum, quod, postquam Heinricus dux Lymburgie et Lotharingie, suis exigentibus demeritis, per Heinricum Romanorum imperatorem hujus nominis quartum et regem quintum ducatu Lotharingie privatus et exdux effectus fuerat, et supradictus Godefridus cum Barba per eunden imperatorem Heinricum, anno Domini M° C° VI°, in ducem Lotharingie et Brabancie sublimatus, erectus et institutus extiterat, qui dictum ducatum de Romanorum regis plenitudine potestatis sibi, heredibus et successoribus suis contulit et donavit, decernens expresse quod heredes et successores sui duces Lotharingie et Brabancie dicto ducatu, ex tunc in antea, cum omni dignitate, jure, potestate, privilegio, libertate et honore gaudere deberent, quibus sui progenitores et alii sui antecessores duces Lotharingie eodem ducatu cum juribus et pertinenciis suis universis hactenus fruiti fuerunt et gavisi. Idem Godefridus

[1] Cfr. David, *Sur la valeur historique de la chronique rimée de la guerre de Grimbergen*, in collect. *Mémoires de la Société litt. de l'université cath. de Louvain*, t. I, p. 226; it. *Bulletins de la Commission royale d'histoire*, t. III, p. 88, et De Smet, *Examen critique des anciens monuments sur lesquels les historiens ont fondé le récit de la guerre de Grimbergen*, in tom. XV Comment. Academiae regiae Belgii. Metricum de Grimbergensi bello chronicon typis jam parat clar. Bormans, regii collegii historici socius. Habemus metrici illius chronici versionem soluta oratione exaratam : *Dit es de Chronycke van Brabant ende van Grimberghen, daerinne gestelt worden de orloghen die de herthogen van Brabant hadden tegen de heeren van Grimberghen, ende es uyt een Cronycke in ryme in prose verandert*, cod. MS. cum scutis gentilitiis.

dux, prelibato Heinrico Lymburgensi ex oppido Aquensi, quod occupaverat, et a limitibus Lotharingie violenter expulso, desiderans distracta et alienata possetenus recuperare, ac magnates et nobiles, quorum progenitores informatione prehabita repperit fuisse homines feudales, subditos et vasallos suorum progenitorum, ducum Lotharingie et Brabancie predictorum, antequam illustris domina Gerberga comitissa Lovaniensis et Bruxellensis, filia Karoli Lotharingie ducis, et soror Ottonis eciam Lotharingie ducis, una cum Lamberto comite suo viro, post mortem ejusdem Ottonis sui fratris, cujus heres extitit, per Heinricum Romanorum hujus nominis regem secundum et imperatorem primum, anno Domini M° VI° fuerat spoliata, ad suam obedienciam et fidelitatem revocare, primo moneri fecit et requiri dominum de Hoerne [1], quatenus coram ipso compareret in suo castro Lovaniensi, homagii et fidelitatis juramentum de bonis et terris suis in Brabancia situatis facturus et prestaturus. Qui suis monitis parere cupiens, absque longa mora coram ipso in dicto suo Lovaniensi castro applicans, terras suas infra limites Brabancie constitutas ab ipso in feudum relevavit, faciendo sibi homagium et debitum fidelitatis et obediencie juramentum. Deinde comparuerunt coram ipso, in curia sua apud Bruxellam, ad hoc moniti et requisiti, domini de Gaesbeke et de Angya [2], qui pari modo terras et bona sua ab ipso in feudum relevarunt, sibi homagium et debitum fidelitatis et obedientie juramentum facientes et prestantes.

Subsequenter vero idem Godefridus dux moneri et requiri fecit dominum Arnoldum, tunc temporis dominum Grymbergensem, quatenus ad certam diem coram ipso, in dicta sua Bruxellensi curia, compareret, suum castrum et oppidum cum tota terra sua Grymbergensi, suis cum pertinenciis, ab ipso in feudum relevaturus, sibique de eisdem debitum fidelitatis juramentum prestaturus, quemadmodum sui predecessores domini Grymbergenses fecerant hactenus ducibus Lotharingie et Brabancie progenitoribus suis. Hic vero dominus Arnoldus, qui opulentus et multum potens, habebat sub dicione sua castrum magnum et famosum, quod humana virtute vix capi posset et inexpugnabile dicebatur, et urbem antiquam Grymbergensem vallo et fossatis satis munitam, magnamque terram longe lateque se protendentem, ad quam tunc indivise spectabant terra et dominium Mechliniensis et

[1] Seu *Horne*.

[2] In aliis MSS. legitur *de Angya l'Edingen*.

dominia de Rumpst, de Duffle, de Waelhem, de Heist, de Herlaer, de Assche et oppidum Mechliniense, in quibus multa fortalicia, multe ville multique strenui milites et valentes scutiferi et nobiles sui vasalli et homines feudales sunt constituti; in quibus confisus, et signanter in tres suos filios, quorum junior erat minor annis, alii vero duo erant milites bellicosi et strenui, videlicet Walterus, dictus Berthout, et Gerardus Drakenbaert[1]: confidebat eciam in suorum proximorum et consanguineorum assistencia in tempore necessitatis: quare primo et secundo debite submonitus et requisitus ob causam predictam dictum ducem adire recusavit. Tandem ad terciam monitionem suos notabiles nuncios apud Lovanium ad prelibatum ducem destinavit, eidem duci sua ex parte significantes, quod de ipsius monitione et requisitione multum admirabatur, attento quod predictam terram suam a nullo teneret in feudum preterquam a Deo, salvo quod a Romanorum rege sive imperatore tenet stratam publicam et semitam regalem: quapropter terram suam in feudum relevare a duce prefato omnino contradixit, viso quod ipse et predecessores domini Grymbergenses de sua terra, a centum annis citra, ducibus Brabancie nunquam homagium fecissent: pretendens quod per centum annorum spacium jus, quod duces Brabancie ad dictam terram pretendunt habere, legitima prescriptione fuit sublatum; concludentes finaliter quod dominus Grymbergensis dictum ducem pro domino suo feudali directo et superiori recognoscere minime intendebat. Ob quam causam, premissa diffidacione, dux Godefridus et dominus Grymbergensis hostiliter inter se concurrrerunt multo tempore: erat autem cernere miseriam et omnium rerum depredationem violentissimam, homicidia sepissime fieri, villas et horrea hinc inde concremari. Sed dux Godefridus, licet maximam guerram tenebat cum Heinrico Lymburgensi, nichilominus insolenciis domini Grymbergensis resistendo, contiguos possessionum ejus redditus cum nonnullis villis et castellis invadebat et usui suo applicabat, et, quamdiu vixit, manu violenta retinuit.

Quo quidem Godefrido defuncto, ejusque filio Godefrido in ducem recepto, guerra, que inter patrem ipsius et dominos Grymbergenses tenta fuerat, ab utraque parte renovatur atque continuatur, et alter alterius terram, hinc inde pervagantes, diversa clade vastavit. Sed ipso duce Gode-

[1] Alias *Draeckenbloet*.

frido, quarto ipsius ducatus anno, cum expeditione sua in terram suam Lymburgie profecto, ut ipsam invaderet et vastaret, Grymbergenses arma arripiunt, fines Brabancie invadunt rapinis et incendiis, ac castellis, villis et redditibus amissis, et per primum Godefridum ducem acquisitis et detentis, recuperatis, oneratique ingenti preda ad propria redeunt.

Pauco post hoc tempore elapso, Godefridus secundus moritur [1]. Quo mortuo, et filio ejus equivoco adhuc primum etatis sue annum agente ac per Conrardum secundum Romanorum regem in ducatu confirmato, Arnoldus dominus Grymbergensis et filii sui Walterus Berthout et Gerardus Drakenbaert, milites supradicti, contra eundem Godefridum puerum in cunis jacentem, guerram, quam contra patrem et avum dicti pueri per annos circiter viginti tenuerant, innovarunt, terram ejus invadentes, incendiis, cedibus et rapinis omnia depopulantes; castrumque ducis Nedelaer prope Stroembeke, ac curiam et aulam ducis de Vilvordia capientes et demolientes, atque villam Vilvordie concremantes. Sed fideles barones, milites, nobiles, vasalli, burgenses et subditi patrie Brabancie predicte, insolenciam Grymbergensium graviter ferentes, inito consilio strenuos et bellicosos viros, dominos Heinricum dominum de Diest, Gerardum dominum de Wesemale, Johannem dominum de Bierbeke, et Arnoldum dominum de Wemmele unanimiter et concorditer constituerunt et ordinarunt in dicti Godefridi ducis pupulli, ipsorum principis et ducis, mamburnos, tutores et gubernatores. Qui incunctanter indixerunt expedicionem generalem per totam terram Brabancie, certaque die in unum coadunati, cum exercitu hominum armatorum valido et copioso et magno bellorum apparatu terram Grymbergensem intrantes, urbem antiquam Grymbergensem, satis munitam vallo et fossatis ac staketis [2] sive plancketis firmatam, in qua erat hostium fiducia non modica, obsederunt : castra sua in circuitu statuerunt, tentoria fixerunt, machinas applicarunt : quam die noctuque adeo et in tantum insultarunt, quod ipsam suis viribus expugnarunt et ceperunt; captamque destruxerunt, combusserunt, et quoscunque arripere poterant, gladio perierunt [3]. Dominus vero Grymbergensis subtiliter

[1] Tempore quadragesimae, an. 1143, stylo novo.

[2] Alibi legitur : *stamketis*.

[3] Hic ad marginem adscribitur ex Æneide versus :

Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos.

Cfr. Sigeberti auctarium Affligemense ad. an. 1139.

cum suis, quos gladius necdum consumpserat, aufugiendo ad magnum suum castrum vix se poterat salvare.

In crastinum vero mamburni et gubernatores prelibati, castrum magnum et famosum Grymbergense, quod fortissimum erat et inexpugnabile videbatur, oppugnare minime curantes, aciem suam direxerunt versus oppidum Mechliniense. Quod obsidentes castra sua circumcirca metarunt, totamque terram hostium suorum devastando et depopulando, ipsum oppidum suis machinis cum diris insultibus oppugnarunt. Interim dominus Grymbergensis, copiis atque viribus congregatis, tam stipendiariis quam consanguineis, confederatis et amicis, proponit exercitum Brabancie inopinate debellare : quod mamburni et gubernatores sentientes, ab obsidione Mechliniensi recedentes, versus Grymbergam cum exercitu suo proficiscentes, prope castrum Grymbergense se collocarunt, animo predictos hostes suos debellandi; dieque sequenti, quia hostes ad campum non venerunt, de consilio domini de Hoerne, supradicti mamburni et gubernatores cum heraldo ducis, suorum insigniis armorum decorato, domino Grymbergensi mandarunt, quod graciam eorum juvenis ducis et domini imploraret, seque de suis forefactis submitteret in dictum et arbitrium baronum patrie Brabancie, quos utique in arbitrio ipsorum pronunciando erga ipsum propicios et benevolos reperiret : sin autem, quod ipse se prepararet ad prelium, in quo si succumberet, fieret sibi retribucio secundum ipsius exigenciam demeritorum. Quibus auditis, dominus Grymbergensis cum eodem heraldo renunciari et dici fecit, quod dictorum baronum sentenciam arbitralem non desideraret exspectare, sed pocius vellet eos in campis debellare, quodque de ipso in crastinum percipere deberent. Qua habita responsione, dixit dominus Godefridus de Gaesbeke, quod sibi utile videretur, quod eorum juvenis dominus dux ad exercitum afferretur, quia utique omnibus, et signanter timidis, preberet audaciam, et pro jure et honore tam juvenis principis quisquis virilius pugnaret. Tunc gubernatores, parum inter se deliberantes, miserunt Bruxellam dominum Arnoldum de Craynhem militem pro juvene ipsorum domino : qui illico recedens eundem juvenem de sero adduxit in exercitum. Altera vero die, exercitibus utriusque partis in campum congregatis aciebusque ordinatis, juvenis dux, jacens in cunabulo, suspenditur ad arborem, et vexillum ejus prope ipsum affigitur, tam alte quod per adversarios bene poterat

videri, firmaque fortium bellatorum custodia penes ipsum ordinatur. Quibus congressis, tubis clangentibus, bellum ab utraque parte summis viribus instauratur, clamor in celo attollitur, pugna summa virtute conseritur : quod duravit usque ad solis occasum, multis utrimque in conflictu captis, vulneratis et occisis: et propter tenebras noctis Grymbergenses se ad castrum eorum, et Brabantini sua ad castra et tentoria se retraxerunt [1]. Tercia autem die ambe partes iterum ad bellandum congregate acriter pugnaverunt: sed tandem Brabantini victoriam reportarunt, non sine parva strage hominum partis utriusque.

Quo bello finito predictum magnum et famosum Grymbergense castrum fuit datum in manibus Brabantinorum, qui ipsum dirui et ad solum frangi fecerunt.

In quibus siquidem duobus bellis interierunt, de parte Brabantinorum : domini de Diest, de Rotselaer, de Wesemale, de Bierbeke, de Renez, de Hoysden, de Trazengis, de Dongelberghe, de Campenhout, de Wavre, de Huldenbergen: dominus Philippus de Wavra, dominus Thomas de Wynegem, dominus Gerardus de Vile, dominus Wilhelmus de Wanghe et dominus Wilhelmus Vander Molen, omnes incole Brabancie, exceptis hiis qui ab aliis partibus duci in auxilium venerant. Et de parte Grymbergensi fuerunt in eisdem duobus bellis occisi : dominus Gerardus Drakenbaert, filius domini Grymbergensis, comes de Vierson [2], dominus de Couchy, dominus de Castilone [3], dominus de Arkele, dominus de Bronchorst, dominus de Keppele, dominus de Yselsteyn [4], dominus Johannes et dominus Sigerus, filii domini de Breda, dominus de Iettere, dominus Scondenbroeck, et dominus de Bardeghem, dominus Heinricus de Oyenbrugge, dominus Wilhelmus de Massenhoven et dominus Heinricus de Hombeke.

Dominus vero Arnoldus de Grymbergen et dominus Walterus Berthout, filius ejus, et omnes eorum auxiliatores, quos gladius non consumpserat et vivi permanserant, fuerunt captivati. Dominus de Grymbergis Arnoldus fuit adeo graviter vulneratus, quod tribus septimanis non supervixit: dominus Walterus vero mansit captivatus. Processu vero tem-

[1] In MS. cod. Johannis Miræi legitur ad marginem Auberti Miræi manu adscriptum : *Aliter MS. chronicon Ureni.*

[2] Alias *Viersem.*

[3] Alias *de Chatillon.*

[4] Alias *Yselsteim.*

poris dictus dominus Walterus Berthout, percipiens rumores de passagio ultramarino, pro defensione Terre Sancte, tantum procuravit apud consiliarios ducis, quod sibi dederunt sue captivitatis dilationem et libertatem transfretandi ad Terram Sanctam, duraturam usque ad certum tempus, infra quod revenire et in captivitatem reintrare deberet : de quo posuit in obsidem fratrem suum juniorem. Et quia dominus Walterus, qui una cum domino Paradino de Massenhoven in Terra Sancta militaverat bellicose, et magnum honorem fuerat assecutus, ad statutum sibi tempus non fuerat reversus, junior frater suus, sicut promiserat, loco fratris sui se reddidit captivum in manus ducis, et tamdiu stetit captivus, quod ab hoc seculo migravit. Dominus autem Walterus, ad liberandum fratrem suum de captivitate ducis, ad has partes declinavit : sed dum percepit fratrem suum jam fore defunctum, ad Terram Sanctam remeavit, ubi tam diu in exerciciis [1] permansit, quod finaliter ante Damiatum mortuus est et sepultus.

Filii domini Walteri Berthout petunt remissionem de commissis et terre Grymbergensis restitutionem. Cap. XLV.

Walterus autem Berthout miles, filius senior domini Arnoldi de Grymbergis, qui in partibus transmarinis decessit, ut premittitur, reliquit post se duos filios legitimos, quorum senior Walterus, junior vero Gerardus vocabatur. Dum vero Godefridus, Lotharingie et Brabancie hujus nominis de genere Karlentium dux tercius, ad annos puberes pervenerat, Walterus et Gerardus fratres supradicti apud predictum ducem per intermedios amicos gratiam et benevolenciam implorantes, institerunt supplicantes humiliter et devote, quatenus ex innata sibi clemencia suorum parentum culpam et iniquitatem, contra serenitatem suam proch dolor perpetratam, ipsis misericorditer indulgeret et remitteret, necnon eorundem parentum suorum terras et dominia Grymbergensia, sibi confiscata et commissa, plenarie restituere et de illis infeudare et beneficiare dignaretur.

[1] Seu *exercitibus*.

Qualiter filii domini Walteri Berthout se submittunt ordinationi domini ducis; et pronunciacio domini ducis. Cap. XLVI.

Denique matura deliberatione et consilio desuper prehabitis, fuit in tantum tractatum et concordatum, quod prelibati duo fratres Walterus et Gerardus super premissis se submiserunt ordinationi dicti domini ducis, promittentes et, mediis eorum juramentis solempniter ad sancta Dei evangelia, tactis sacrosanctis scripturis, corporaliter prestitis, affirmantes, pro seipsis et heredibus et successoribus suis, firmiter et inviolabiliter cunctis futuris temporibus tenere, facere, conservare et adimplere, quidquid memoratus dux super premissis ordinandum duxerit et pronunciandum.

Qua quidem submissione sic, ut premittitur, facta, memoratus dominus dux, sub frequencia nobilium militum, scutiferorum hominumque suorum, vasallorum et ministerialium, burgensium et aliorum, numero copioso astantium, necnon Waltero Berthout et Gerardo ejus fratre presentibus et audientibus, de sano suorum procerum, magnatum, baronum et nobilium consilio et assensu, pronunciavit, ordinavit et declaravit per modum sequentem : Et primo, quod in loco et in fundo, in quo castrum Grymbergense stare solebat, nullo unquam tempore castrum, fortalicium, municio nec domus quecunque seu spelunca aut habitaculum edificaretur: Item, secundo, quod ipsi duo fratres, heredes et successores eorum deinceps duci Brabancie pro tempore existenti erunt obedientes et fideles, terrasque et dominia ipsorum infra limites patrie Brabancie et Sacri Imperii marchionatus constitutas ab ipso in feudum relevabunt, facientes sibi de ipsis homagium et debitum fidelitatis juramentum; Item, tercio, quia dominus Walterus Berthout, quondam genitor ipsorum, juniorem fratrem suum, quem in obsidem posuerat, tempore debito et statuto non liberavit neque relevavit, sed ipsum miserabiliter et dolorose mori permisit in captivitate, ideo idem dominus dux voluit, statuit et ordinavit, quod ex tunc in antea ubique per totam terram Grymbergensem in feudalibus junior frater succedat parentibus suis, et habebit altam jurisdictionem et dominium principale; senior vero frater et alii intermedii habebunt partem illius juxta partificationis moderationem inter ipsos faciendam, sed partem ipsis attingentem tenebunt et relevabunt a fratre eorum juniore in feudum, et erunt proinde homines sui et vasalli.

De divisione partificationeque facta inter fratres Walterum seniorem et Gerardum juniorem. Cap. XLVII.

Supradicta autem pronunciatione sic, ut premittitur, facta, suprascriptus Gerardus junior frater vigore ejusdem totam terram Grymbergensem, cum juribus et pertinenciis suis universis, in presencia plurimorum hominum feudalium, a dicto domino duce in feudum relevavit, homagium et debitum fidelitatis et obediencie juramentum faciendo et stipulando, promittens insuper quod sibi bonus erit et fidelis, sibique serviret, et faceret omnia et singula, que bonus et fidelis homo feudalis et vasallus suo domino supremo naturali et directo facere teneatur. Quibus sic peractis Walterus frater antiquior, inita partificatione cum Gerardo domino Grymbergensi, fratre suo juniore, qui de consilio utriusque ipsorum consanguineorum et amicorum sibi pro parte sua assignavit medietatem oppidi Mechliniensis, ad terram Grymbergensem tunc spectantem, cum alia pars secunda ecclesie Leodiensi tunc pertinebat, necnon certas villas, jurisdictiones, redditus et proventus, tam in ducatu Brabancie quam marchionatu Sacri Imperii situatas, prout sibi tunc fuerunt assignate, ad dictam terram Grymbergensem tunc eciam spectantes et pertinentes, quas idem Gerardus frater junior juxta continenciam, ordinationem et pronunciationem domini ducis integraliter et indivisim in feudum relevaverat, prout superius est expressum, de manu ejusdem Gerardi domini Grymbergensis, fratris sui junioris, recepit ab ipso in feudum et homagium tenendas et possidendas, faciendo sibi de hiis debitum fidelitatis et obediencie juramentum : que quidem terra Mechliniensis fuit et est appellata.

Que quidem ordinacio fuit per plures annos inviolabiliter observata: sed, quia postmodum terra Grymbergensis, propter multiplicationem liberorum per cantractus matrimoniales, fuit divisa in partes et liberis collata, accidit per succedencia tempora quod dominus Mechliniensis nomine Walterus Berthout, filius Walteri Berthout, fratris Gerardi domini Grymbergensis predicti, rennuit et recusavit terram suam Mechliniensem a domino Grymbergensi amplius in feudum relevare. Et quia feudum ducis per hoc censebatur diminutum atque minoratum, ideo Heinricus hujus nominis dux secundus, qui dicebatur Magnanimus, in cujus parte ista acciderunt,

pro suo interesse se de hujusmodi controversia intromisit, volens dictum dominum terre Mechliniensis ad hoc violenter astringere, ut juxta ordinationem per dominum Godefridum ducem tercium, avum suum, desuper pronunciatam terram suam Mechliniensem a dicto domino Grymbergensi in feudum relevare et tenere, deberet sibi de eisdem homagium et debitum fidelitatis juramentum facere et prestare. Quod percipiens Otto comes Gelrie, dicti Heinrici ducis secundi nepos, filius sororis sue, ad obviandum dissentionibus et discriminibus, que inde verisimiliter oriri et invalescere potuissent, tantum laboravit inter partes predictas, quod suum per medium, de consensu tam ducis quam dominorum Grymbergensis et Mechliniensis talis inter ipsos fuit facta compositio : videlicet quod dominus Walterus Berthout, atque sui heredes et successores, integram terram Mechliniensem, quam habebat, possidebat, et alii sui homines et vasalli in homagium ab ipso tenent, a modo ex tunc deinceps a dicto domino duce in feudum et homagium tenere deberent. Cujus compositionis virtute idem dominus Walterus Berthout memoratam terram suam Mechliniensem. cum juribus et pertinenciis suis universis, in manibus dicti ducis supportavit. qui eandem sibi contulit et donavit in feudum et homagium, a se, heredibus et successoribus suis, ducibus Brabancie, a modo tenendam, recepto ab eodem domino Waltero de eisdem debito fidelitatis et obediencie juramento.

Eodem vero tempore fuit tractatum matrimonium inter prefatum Walterum Berthout, dominum Mechliniensem, et Sophiam [1], filiam comitis Alvernie, quam genuerat ex Margareta sua uxore, comitissa Alvernie, sorore dicti Heinrici ducis secundi, ac eciam sorore Sophie comitisse Gelrie, eciam sorore ejusdem ducis et matre Ottonis comitis Gelrie sepefati. Acta fuerunt hec Lovanii, anno Domini M° CC° XXXVIII°, mensis decembris die prima [2]. Et sic, ex tunc in antea usque ad presens tempus, domini Grymbergenses manserunt privati et destituti de homagio et feudo Mechliniensi supradicto. Nichilominus feuda, territoria et dominia remanserunt et sunt ejusdem nature sicut prius fuerunt, ante et post divisionem et partificationem fraternalem factam; nam frater junior in eodem Mechliniensi

[1] Hic ab alia manu superscriptum legitur : *Mariam.*

[2] Exstant apud Miræum, t. I, p. 311, *Pactio inter Henricum II et Walterum Bertholdum inita anno* 1238; et ibid, p. 313, diploma quo Walterus dat Henrico duci fidejussores super dicta pactione.

dominio succedit in feudis et dominiis principalibus, quemadmodum succedunt in dominio Grymbergensi.

Fredericus imperator repudiata uxore duxit aliam. Cap. XLVIII.

Fredericus imperator, judicio et consilio archiepiscoporum et episcoporum relicta uxore sua, duxit filiam comitis Burgundionum Reginaldi nomine, de Ultra-Saonna, quam patruus suus, comes Guilhelmus, arcta turris custodia diu clausam tenuerat, ut eam perderet, et hereditatem ejus fraudulenter preriperet; sed, Deo miserante, de manibus ejus liberata, imperatori in conjugium copulata est [1].

Heinricus Junior rex Anglorum exercitum copiosum et magnum belli apparatum, quem proposuerat ducere in Hyberniam, ut eam suo dominio subjugaret, fratremque suum, consilio episcoporum et religiosorum virorum, illi insule regem constitueret, convertit contra regem Francorum, hac scilicet de causa, quia uxorem ejus ab eo relictam in matrimonium duxerat, cujus patrimonium satis magnum et amplum, ducatum scilicet Aquitanie, et omnia sibi subjacencia, rege contradicente, possidere contendebat. Unde gravis et longa contencio inter eos exorta est, ita ut in partibus utriusque regni viderentur urbes destrui, ville et oppida cremari, homicidia, depredationes rerum omnium violenter fieri, et, a Pyrreneis montibus pene usque ad fines Flandrie, hoc malum, quasi pestis gravissima, intolerabiliter grassari [2].

De prima obsidione Mediolani, et quomodo Fredericus imperator Mediolanum iterum obsedit, vicit et destruxit. Cap. XLIX.

Fredericus imperator secundo in Ytaliam, plenius eam subjugaturus, movit exercitum cum duce Bohemie et ceteris regni sui principibus [3]. Frederico itaque imperatore in Ytalia posito, civitatibus et urbibus ejus

[1] Ex Sigeberti auctario Affligemensi ad an. 1156.

[2] Ex cit. auctario.

[3] Hoc factum demum anno 1158, mense junio.

dominio subjectis, duces, comites et principes terre ad eum partim timore partim amore convenerunt, debitam ei subjectionem et reverenciam exhibuerunt, exceptis Mediolanensibus, qui sicut predecessoribus ejus ita ipsi quoque rebelles extiterunt. Ipse absque ulla dilatione sua usus constancia civitatem obsedit, et quamvis interius haberent, ut dicitur, LX millia armatorum, primo tamen et secundo congressu multa strage humiliatos ad dedicionem compulit, ut ducentos de nobilioribus civitatis pacis obsides darent, et quamcunque conditionem sibi ab eo impositam susciperent. Quibus acceptis, et conditionibus sacramento firmatis, quasi securus, exercitum, quosdam in propria, quosdam in hiberna dimisit; ipse in Ytalia se retinens, pius et justus ab omnibus appellatus, et secundus post Karolum Magnum justicia et pietate est habitus. Interim tamen sua ocia, piis reipublice perornans negociis, Laudam civitatem, quam Mediolanenses destruxerant, in tutiori loco translatam restruxit. Cumam quoque, quam iidem Dei et sui hostes pene destruxerant, renovavit et munivit [1].

Cenobium Gemblacense, quod ante annos circiter XX succensum, sed Dei clemencia et suffragiis sanctorum, quorum reliquie in illa continentur ecclesia, aquis de alveo vicini fluminis in altum elevatis et monasterio superfusis restrinctum, montali presidio destitutum, occulto Dei judicio, cum claustro et ceteris officinis totoque oppido combustum est [2]. Adrianus papa diem ultimum claudit. Rolandus cancellarius et Octavianus presbyter cardinalis de papatu contendunt.

Mediolanenses, violatis sacramentis, castrum, in quo imperator thesauros suos reposuerat, invadunt : milites ejus custodes castelli capiunt, thesauros diripiunt, ulteriusque progredientes amicos ejus et confederatos impugnant. Ipse, hoc audito, ultra quam credi potest ammirans et exhorrens eorum perfidiam, decrevit Dei et suam injuriam de crimine infidelitatis debito talione vindicandam. Obsedit itaque Criminum castrum satis munitum, in quo erat maxima fiducia et fortitudo eorum; obsessum cepit, captum destruxit; milites, qui in eo inventi sunt, vita donatos abire permisit, sed et quecunque Mediolanensium erant, circumquaque vastari precepit [3].

[1] Ex eodem auctario Affligemensi ad an. 1157 et 1158.

[2] Ibid. ad an. 1157.

[3] Ibid. ad an. 1159.

Anno Domini M° C° LII° Arnoldus archiepiscopus Coloniensis Seyne fortissimum presidium comitis Everhardi combussit et solo coëquavit. 1152.
Heinricus rex Anglorum filiam Stephani, neptem suam, sanctimonialem et abbatissam in claustro consecratam, contra fas legum Matheo filio comitis Flandrie dedit uxorem, ut per eam comitatum retineret Boloniensem. Et quia sponsa Deo dicata non sponsum sed adulterum summo regi superduxit, bella et sediciones inimicus inter patrem et filium, inter fratrem et fratrem concitavit[1].

Fredericus imperator, cum videret propter paucitatem exercitus Mediolanenses contra se insolencius agere, misit per omnes fines regni sui, ut venirent ei in auxilium, et juravit se non recessurum a civitate donec caperet eam. Ut autem hoc juramentum maneret ratum, designavit, si forte vita decederet, duos imperatores : filium Conrardi predecessoris sui, et post eum Heinricum ducem Saxonie. Convenerat exercitus magnus ex omnibus partibus regni sui, preterito anno ab imperatore convocatus, quorum adventu oppido letatus, consilio principum statim obsedit ex omni parte Mediolanum, et ita coarctavit eos, ut non haberent potestatem libere egrediendi vel ingrediendi, emendi vel vendendi. Timuit enim, propter reverenciam ecclesiarum, manu armata congredi, et, ut parceret militibus, qui in congressione, ut assolet fieri, occidi possent, maluit fame cruciatos ad dedicionem compelli. Ipse interim cotidie eleëmosinis pauperum insistebat, decimam partem omnium reddituum suorum pauperibus erogabat, estimans se melius eleëmosinis pauperum quam armis militum posse vincere. Ipse adeo pius et dilectus omnibus habitus est, ut duces et comites Guillelmi regis Sicilie dominum suum desererent et ad ipsum se conferrent. Balduinus quintus rex Jherusalem decessit; Amelricus frater ejus ei successit. Mediolanenses, obsidione, fame et inopia, et, quod est gravius, sedicione coarctati, per internuncios petunt misericordiam; tantum ut vita donentur, omnem condicionem ab ipso propositam promittunt se sustinere.
Kalendis itaque martii anno M° C° LXII°, omnes per turmas suas exeunt, 1162.
prius principes, post eos nobiles et milites, manibus gladios tenentes, quasi rei lese majestatis et proditores, deinde promiscuum vulgus, funibus collo innexis, in ciliciis, cinere capitibus aspersis; ad pedes imperatoris

[1] Ex eodem auctario ad an. 1160.

ad modum crucis se prosternunt. Ille, ut pius et misericors, lacrimis perfusus, qui proposuerat eos, ad terrorem aliorum, diversis suppliciis interimere, vita donatos, rebusque necessariis, quantum secum ferre poterant, concessis, per regiones dispersit, ita ut non haberent licenciam amplius revertendi. Deinde jussit suos ingredi civitatem, muros, turres altaque superba fastigia et edificia destrui. Tribus tantum pepercit ecclesiis, sancte Marie, sancti Mauricii et sancti Ambrosii, cum officinis clericorum, officialibus ipsorum, domibus et indempnitate rerum concessa; erarium publicum sibi reservavit. Placentini, Bononienses, Brixienses, cum Mediolanensibus contra imperatorem confederati, exemplo eorum territi, eandem humilitatis subjectionem, quasi rei majestatis, substrati imperatoris pedibus exhibuerunt, ipsiusque indulgencia veniam obtinuerunt [1].

Anno Domini M° C° LXII° Mediolanenses, ut premittitur, longa obsidione totis jam viribus fracti, interventu quorundam principum adjuti, imperatorie potestati se et civitatem tradiderunt, unde versus:

Circulus annorum post sexaginta duorum
Mille cum centum fit M. digammate victum.

Hos versus olim sibilla in capitolio Mediolani conscripserat. Per se nunc primo cives consideraverunt, numerum illorum ab anno dominice incarnationis esse completum devicta civitate: digamma esse F. primam litteram Frederici imperatoris.

De tribus Magis Colonie translatis, de magna caristia, et de miraculo quod accidit monachis Haffligemensibus. Cap. L.

Corpora trium Magorum a Reginaldo Coloniensi electo de ecclesia quadam civitati Mediolanensi contigua translata sunt, et cum magno gaudio et exultacione tocius provincie, processione mirabiliter ordinata nec simili omnibus retro seculis visa vel audita, civitati Coloniensi illata et in ecclesia sancti Petri reposita sunt [2].

[1] Ex eodem auctario ad an. 1162.

[2] Ibid. ad an. 1163.

Fames gravissima in tantum prevaluit, ut modius tritici venderetur XXX et eo amplius solidorum Lovaniensis monete, multaque millia hominum fame periissent, nisi Dominus pauperis populi afflictionem inspexisset. Ipse enim, qui percutit et medetur, dedit spiritum bonum in cordibus fidelium suorum, cujus instinctu largam manum ad pauperes extenderunt, eorumque inopiam sua habundancia suppleverunt, et largius quam nostris temporibus vidimus, sua eos liberalitate sustentaverunt.

Multis annis sterilitate terre et necessariorum penuria monachis Haffligemensis cenobii laborantibus, hoc anno tritico omnino deficiente, in ultimo discrimine, quid agendum esset, vix anxiis potuit occurrere. In hoc tamen ad ultimum stetit sentencia, ut pecunia mutuo amicorum fide sumpta emerent victui necessaria. Miserunt ergo fratres suos in aliam regionem, qui sollicite injunctum negocium exequuntur, et reversi de itinere, onerata nave iter carpentes, ad oppidum Aldenarda dictum pervenerunt. Est ibi locus, in quo molendina et cataracte, que aquarum transitum suscipiunt et reddunt, iter angustum et periculosum efficiunt; ipsum, inquam, locum ut navis transitura firmissimis funis ligaturis posti astricta tenetur, donec ipsam caribdim evaderet et pertransierit, ergo tanta cautela, tanto conamine navis ad illam voraginem et precipitem cursum aque frementis adducta, ymmo impulsa, in medio fervore insani estus suis presidiis destituitur, solvuntur retinacula, rumpuntur funes, omnisque conatus frustratur : navis precipiti cursu violenti amnis rapta, nunc sursum erecta, nunc in ymo precipitata, tandem ad pontem, qui proximus erat, undarum concursione et violenta concussione propulsa, impegit ad postem firmum et fortem, qui sustentabat pontem, quem postem confregit, ipsa nullum dispendium passa libero et securo cursu pertransiit.

De concilio generali Dolensi; de dissentione inter papam et imperatorem, et de aliis incidentiis. Cap. LI.

Imperator Fredericus a rege Francorum invitatus, ut sublato scismate Romane ecclesie pax firma redderetur, concilium in territorio Bysuncionum, Dolo villa super Sonnam fluvium, in decollatione sancti Johannis Baptiste convocavit. Sed in tanto conventu regum, ducum, comitum,

archiepiscoporum et abbatum Clarevallensium concilio et instinctu regis Francie ab imperatore averso, quique sine effectu, eadem et adhuc graviore permanente discordia, in sua redierunt. Desponsata filia regis Francorum filio regis Anglorum, contencio quievit et pax plena inter eos convenit.

Gravis eciam dissencio inter papam Adrianum et dominum imperatorem Fredericum oritur; nam quondam Innocencius secundus Rome in muro pingi fecerat se quasi in throno sedentem pontificali, imperatorem vero Lotharium complicatis manibus coram se inclinatum coronam imperii suscipientem. Fuit et aliud incentivum et fomes discordie. Imperatore curam habente cum primoribus regni apud Bysuncium, affuerunt ex parte domini pape duo cardinales literas apostolicas ad eum deferentes, in quibus inter alia hoc continebatur : « Beneficium corone tibi contulimus, neque penitencia movemur, sed excellencia tua majora a nobis beneficia suscepisset. » Hoc verbum [1] interpres pro feudo Cesaris interpretatus est. Hoc audito imperator in iram nimiam accenditur; sed et cuncti principes et amici imperatoris, predictum verbum ventilantes nimium, in tantam iram exarserunt, ut eosdem cardinales acerrima morte peremissent, nisi auxilio et conductu imperatoris liberati cicius migrassent. Ait ergo imperator: « Quod a solo Deo habemus, hoc ipse pro feudo et beneficio computavit? Nunquam in hoc consentientes erimus; sed primam vocem regie electionis archiepiscopo Maguntinensi recognoscimus, regales consecrationes archiepiscopo Coloniensi, regales consecrationes [2] Romano pontifici: coronam vero imperii soli Deo attribuimus. Picture deleantur, scripture corrigantur; alioquin inter me et eum nunquam erit pax. » Audita itaque Rome ira et causa ire imperatoris, magno timore papa, cardinales et omnes Romani percussi sunt, et crebris epistolis, quas ad eum et ad proceres dirigebant, mitigare furorem animi ejus nitebantur, dicentes quod non recte verbum illud, scilicet beneficium, interpretatum esset, eo quod apud eos beneficium non feudum, sed quasi beneficium haberetur. Istud ergo seminarium discordie inter Romanos et imperatorem erat.

Per idem tempus dum Conrardus palatinus, frater imperatoris, Ludovicus lantgravius Thuringie, Fredericus dux Alemannie, filius Conrardi regis, Coloniensem archiepiscopatum pro libito transire vellent ac pre-

[1] Scilicet *beneficium*.

[2] Seu *confirmationes*.

dari, et montem, qui Ryneeke dicitur, occupare intenderent, Reynaldus Coloniensis archiepiscopus, qui in Ytalia tunc cum imperatore erat, hoc Philippo, majoris ecclesie sancti Petri decano, et fidelibus Coloniensis ecclesie per legatos intimans, predictum montem occupari fecit et munivit. Cum autem palatinus et supradicti principes se preventos cernerent, bellum Coloniensibus, posito termino feria secunda in rogationibus, indixerunt in campo Andernacensi : industria vero Philippi decani ac prelatorum Coloniensium tantus equestris et pedestris insuper et navalis occurrit exercitus, qualem nostra memoria ex Theutonicis, cum tot fortibus, tot preclaris, tot nobilibus viris, nunquam in acie constitisse percepimus. Plures enim erant, qui bellorum numero computati sunt, quam centum viginti quinque millia, unde nec palatinus, nec aliquis suorum apparere ausus est, cum diebus duodecim ejus exspectassent adventum [1].

Interea dominus Reynaldus archiepiscopus Coloniensis, cum imperatore in Ytalia degens, super eos qui aderant principes fidelius et devocius servivit. Auditoque hujus leticie ac victorie nuncio, impetrata ab imperatore licencia, cum integritate gracie ejus rediit, acceptis ab eo preciosissimis muneribus, trium scilicet Magorum corporibus, qui infanciam Domini Salvatoris misticis muneribus, auro, thure et mirra, venerati sunt, duobusque martiribus Felice et Nabore, qui cum predictis Magis apud Mediolanum venerabiliter reconditi erant. Itaque cum prefatis et illustrissimis donis, in vigilia beati Jacobi apostoli, anno M° C° LXII°, Coloniam ingressus, cum magno gaudio et exultacione tocius provincie, processione mirabiliter ordinata, nec simili omnibus retro seculis visa vel audita, civitati Coloniensi illata et in ecclesia sancti Petri reposita sunt. Et fuit dictus archiepiscopus magnifice receptus, maxime pro reliquiis, quas ad perpetuam Germanie gloriam Colonie intulit. Si quis scire voluerit, quomodo de partibus suis translata sint Constantinopolim, et de Constantinopoli Mediolanum, et de Mediolano in ecclesiam sancti Petri Coloniensis, inveniet in historia ipsorum Regum [2].

Dehinc imperator natalem Domini Aquisgrani celebrat, ubi IIII° kalendas januarii, cum frequencia pontificum et principum, tripudio cleri ac

[1] Cfr. *Magnum chron. belg.* apud Pistorium, t. III, pp. 204 et 205.

[2] Cfr. *op. cit.*, p. 205.

populi, extulit de sacrophago ossa beati Karoli Magni imperatoris, ubi sepultus quieverat annis trecentis quinquaginta duobus. Et quedam regalia euxenia in vasis aureis et palliis sericis tam imperator quam regina eidem contulerunt ecclesie, additis decem marcis annuatim. Anno Domini M° C° LXXI° murata est civitas Aquensis, ubi imperator diu mansit, et montem qui dicitur Berensteyn infra octavas assumpcionis beate Marie occupavit.

Fredericus imperator, obsidens Alexandriam, ibi quoddam dignum laude gessit. Tres enim ante faciem suam ex captivis cum essent adducti, mox oculos eorum erui precepit. Duobus primum cecatis. tercium juniorem aliis, cur contra imperium rebellis esset, inquisivit. At ille inquit : « Non contra te, o Cesar, vel imperium tuum bellum gessi, sed habens dominum in civitate, ejus jussis parui et ei fideliter servivi; qui si tecum contra cives tuos pugnare voluerit, equa vice ei fideliter serviam. Et si oculos michi erui preceperis, iterum domino meo, ut potero, serviam. » Quibus verbis illectus imperator, luminibus ei permissis, alios cecatos in urbem reduci precepit.

Eodem anno Raynaldus archiepiscopus Coloniensis et Gerardus prepositus Bonnensis beatissimos martires Cassium et Florencium et Mauritium, VI° nonas maii, cum inenarrabili cleri devotione et multitudine populi, translulerant, invento sicco quidem sed evidenti sanguine ipsorum, cum annis nongentis LXIII passio eorum transacta fuisset.

Tempore occisionis sancti Thome episcopi Canthuariensis, Ludovicus rex Francie, et filius regis Anglie, et comes Flandrensis Heinricum Seniorem regem Anglie bello petiverunt; sed rex Anglorum, primo penitenciam agens de occisione sancti martiris Thome, victoriam adeptus est, pluribus de Flandria captis et fugatis.

Adriano pape quarto successit Alexander tertius. Hic habuit quatuor adversarios: scilicet Octavianum, qui se fecit vocari Victorem; 2° Guidonem-Paschalem; 3° Johannem-Calixtum; 4° Landonem-Innocencium : quod scisma magno tempore duravit. Hic Alexander Fredericum primum imperatorem ad concordiam ecclesie revocavit, qui tunc illos scismaticos manutenebat. Hic duo concilia ordinavit, unum Turonis, aliud Rome celebravit: Fredericum Romanum imperatorem et Emmanuel Constantinopolitanum, et Guilhelmum Siculum atque Lombardos ad concordiam revocavit. Mortuo Alexandro III°, successit sibi Lucius III^{us}; cui successit Urbanus III^{us}: cui

successit Clemens III^us^; cui successit Celestinus III^us^, qui die II^a^ sui pontificatus coronavit Heinricum imperatorem; cui successit Innocencius III^us^.

Anno Domini M° C° LXXIX° curia apud Magdeborch satis celebris habe- 1179
tur. Querimonia omnium pene principum ibi habita est de duce Saxonum, qui jam per annum ad audienciam vocatus venire aut noluit aut timuit; ibique fraus ejus et perfidia primum imperatori detecta est. Nec multo post expedicio in Saxoniam ab imperatore et principibus collaudatur.

Anno Domini M° C° LXXX° imperator natale Domini apud Herbipolim ce- 1180.
lebrat. In medio quadragesime curiam apud Gelenhusen habuit. Ibi sentencia ipsius Cesaris, in judicio cunctorum principum, dux Saxonie ducatu suo privatur, et consensu cunctorum archiepiscopus Coloniensis, in sua dyocesi et per omnem Westphaliam et Angariam, eidem ducatui preficitur; reliqua autem pars per omnem Saxoniam comiti Bernardo de Hanahalt obvenit.

Eodem tempore, sub Urbano III° papa, capta est civitas Jherusalem et sepulchrum Domini et ejus crux sancta a rege Salhadino : ex qua occasione papa Heinricum Albanensem episcopum cardinalem Frederico imperatori misit et ad partes Galliarum et omnem Cisalpinam provinciam, una cum legato Jherosolimitano, invitare et cohortari omnem virum strenuum et electum ad subeundum peregrinationem pro honore Christi et ligni dominici liberatione. Innumera ergo nobilium et vulgarium turba crucem sibi affigunt, unde et imperator curiam celeberrimam, que intitulata erat curia Christi, in medio quadragesime, apud Mogunciam, una cum filio Heinrico ac tocius Theutonici regni capitaneis, tam de clero quam de ordine laycorum, presente Heinrico cardinali, crucem ab Herbipolensi episcopo, nomine Godefrido, suscepit, cum summo tripudio ac laudibus et pre gaudi fletu cunctorum; ante eum autem Fredericus dux Swevie, ejus filius, hanc susceperat. Qua de causa imperator in ascensione Domini Heinricum comitem de Deytzhe ad Salahadinum regem misit, ut federi, quod mutuo dudum pepigerant, renunciaret, et quod amicus ejus esse non posset, ymmo hostem et totum Romanum imperium vel urbem contra eum moturum, nisi sub celeritate Terram Sanctam et Jherusalem deserere, lignumque dominicum in id loci, in quo id tulerat, referre, de occisis vero christianis, qui utique homines ipsius essent, satisfacere festinaret.

Confirmacio pro ecclesia Nyvellensi. CAP. LII.

1182. Item Fredericus, divina favente clemencia Romanorum imperator, semper augustus, per suas certi tenoris literas, datas Moguncie in solempni curia sua, anno dominice incarnationis M° C° LXXXII°, indictione XVa, kalendis junii, anno regni ejus XXXI°, imperii vero XXVIII°, dilecte nepti sue Berte [1], Nyvellensi abbatisse, libertatem Nyvellensis ecclesie et tocius burgi integraliter restituit et confirmavit, etc.: ac statuit et sanxivit, quod nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nullus advocatus, nulla denique persona, humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica, hanc confirmationis et auctoritatis sue sacram paginam audeat violare, vel aliquibus injuriarum calumpniis seu dampnis presumat attemptare: facientes contrarium centum libras puri auri pro pena componant.

De obitu Godefridi Latharingie et Brabantie ducis tertii; de Heinrico duce primo, ejusque matrimonio ac liberis. CAP LIII.

1183. Anno Domini M° C° LXXXIII°, XII° kalendas septembris, Godefridus Lotharingie et Brabancie dux IIIus, postquam laudabiliter rexerat annis XLVI, ab hoc seculo migravit, et est sepultus in ecclesia sancti Petri Lovaniensis, ubi Margareta uxor ejus, filia ducis Lymburgensis, eciam jacet tumulata: qui ex ea genuerat Heinricum, qui sibi successit, et Albertum episcopum Leodiensem; quique, mortua prima uxore, duxit Ymaniam, filiam comitis Lossensis, ex qua genuerat Wilhelmum de Parweys, ut supra scriptum est, ubi fit mencio de ejus monasterio.

Et primo est sciendum quod Heinricus hujus nominis, de propagine sancti Karoli Magni imperatoris, Lotharingie et Brabancie dux primus, anno suorum ducatuum primo duxit in uxorem Machtildem, filiam Matthei comitis Bononiensis, de qua successive genuit tres [2] filios: scilicet Heinricum, qui sibi in ducatibus successit, Godefridum de Lovanio et Heinricum de Harstallio [3]; et quatuor filias, quarum unam, Mariam nomine, Otto

[1] Bertha I, neptis imperatoris Frederici I, obiisse dicitur an. 1182.

[2] Legendum: *duos*.

[3] Henricus ille de Harstallio legitimis Henrici I filiis immerito annumeratur.

imperator IV[us] duxit in uxorem. Secundam, nomine Sophiam [1], duxit Reynaldus [2] comes Gelrie, qui ex ea genuit Ottonem comitem Gelrie et Heinricum episcopum Leodiensem et comitissam Juliacensem [3]. Terciam vero filiam, nomine Margaretam [4], duxit comes Alvernie, qui ex ea genuit Robertum comitem Alvernie et Bononiensem, et Widonem archiepiscopum Viennensem, et Wilhelmum episcopum Leodiensem, nec non delphinam comitissam Alvernie superioris, et Mariam [5] uxorem Walteri Berthout domini Mechliniensis: de quibus descendit dux Gelrie modernus, atque antecessores sui, Wilhelmus scilicet et Reynaldus duces Gelrie et Juliacensis, prout infra suo loco luculencius patebit. Quarta vero filia, nomine Machthildis. duxit primo comitem palatinum Rheni et ducem Bavarie [6]; quo sine sobole defuncto, duxit Florencium [7] comitem Hollandie, qui ex ea genuit Wilhelmum comitem Hollandie, postea regem Romanorum, quem Frisones occiderunt. Genuit eciam ex eodem comite unam filiam, que duxit in virum comitem Haynoniensem, nomine Wilhelmum, ad cujus heredes comitatus Hannonie, Hollandie et Zelandie sunt conjuncti. Mortua vero domina Machtilde [8], uxore prima Heinrici ducis prenotati, ipse duxit Mariam, filiam Philippi Francorum regis, de qua genuit unam filiam, quam duxit in uxorem comes Clivensis.

De guerra inter Heinricum ducem et Gerardum comitem Lossensem, et de feudo terre sive dominii de Herpen. CAP. LIV.

Item iste Heinricus dux, anno ducatus sui secundo, habuit guerram contra Gerardum comitem Lossensem, occasione advocacie oppidi Sancti Trudonis, quare idem dux castrum Duracium demolivit, et totam terram Lossensem devastavit incendio et rapina; oppugnavit eciam et expugnavit

[1] Lege *Margaretam*. Idem corrige supra p. 106, ubi Gelriae comitissa male *Sophia* nominatur.

[2] Lege *Gerardus*, quartus hujus nominis comes Gelriae.

[3] Scilicet *Margaretam*, uxorem Guilielmi IV comitis Juliacensis.

[4] Lege *Aleydem* seu *Adelaïdem*. Supra p. 106 male etiam pro *Aleyde* legitur *Margareta*.

[5] Vide supra p. 106, nota 1.

[6] Filiarum natu minima erat Mathildis; eam huic principi forte desponsatam, minime vero matrimonio junctam fuisse credo.

[7] Hujus nominis quartum comitem.

[8] Anno 1267.

oppidum Sancti Trudonis. Preterea idem dux, elapsis posthec fere sex annis, predictam Lossensem terram armipotenter intravit, cuncta depopulando, et, ut dictum comitem ab insolenciis compescere posset, predictum castrum Duracium reedificari fecit et muniri : quod tandem, pace inter ipsos reformata, dicto comiti Lossensi in feudum ab ipso tenendum tradidit, possidendum jure Brabantino [1].

« In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum sit tam futuris quam presentibus, quod dominus Heinricus de Kuyck allodium de Herpen, cum omnibus attinenciis suis, uxore ejus Sophia et filio ejus Alberto personaliter consentientibus [2], domino Heinrico duci Lotharingie donavit, et idem in feudum ab eo ipse et filius ejus receperunt. Dux autem in recompensationem predicte donationis XL marchas nummorum Coloniensium ipsi dedit, et insuper decimas in Hese, cum omni integritate qua eam possedit, predicto Heinrico et Alberto filio ejus in feudum concessit [3], tali conditione firmissime apposita, quod, si Heinricus sine filio decederet, filia cum omnibus bonis predictis feudalem justiciam obtineret; si vero penitus sine prole decederet, cuicunque dominus Heinricus de Kuyck assignare vellet, de manu ducis absque contradictione aliqua in feudum recipiet: quod, si forte in vita sua nulli assignaret, post mortem ejus proximus heres in universum predictum feudum succederet, uxore tamen predicti Heinrici de Kuyck fructus universi feudi in vita sua sine diminutione obtinente. Dominus autem Heinricus, homagio facto duci, sacramentum prestitit contra omnem hominem, salva fidelitate imperii. Et ut hec rata et inconvulsa permaneant, de communi consensu eorum appositum est utriusque sigillum in memoriam sempiternam. Acta sunt hec anno incarnationis Domini M° C° XCI°. Hujus rei testes sunt, de familia ducis : Arnoldus de Grymbergis, Reynerus de Heverle, Arnoldus de Wesemale, Wilhelmus Bus [4], Gerardus de Huldeberga, Wilhelmus de Waelhem, Walterus de Remenna, Vulinus de Lovanio; de familia domini Heinrici de Kuyck : Theodericus de Batenborch, Robertus de Litte, Egeno de Harem, Hubertus

[1] In MS. cod. Johannis Miræi hoc loco additur : *Dedit etiam idem dux Henrico de Cuyck in feudum allodium de Herpen, ut ex sequenti patebit.* Illud autem diploma exstat apud Miræum, *op. cit.*, t. I, p. 555.

[2] Apud Miræum, *loc. cit.*, legitur *principaliter consentiente.*

[3] Desunt apud Miræum quae sequuntur post vocem *concessit* usque ad *acta sunt, etc.*

[4] Alias *Rus.*

de Rusenchems, Warnerus Terneve [1], Albertus de Langele, Godefridus de Herpen, Hermannus de Loen, et alii quamplures utriusque partis. »

Qualiter Fredericus imperator cruce signatus vadit per terram versus Terram Sanctam, et in quodam flumine aquis prefocatus obiit. CAP. LV.

Deinde [2] imperator Fredericus curiam celebrem Ratispone habuit, occurrentibus illic omnibus cruce signatis, qui cum eo per terras ire disposuerant; ibique ad peregrinandum Deo lumbos suos accinxit, relicta rerum summa filio suo Heinrico regi. Erat autem exercitus ejus XXX millia hominum, inter quos erant quindecim electorum militum millia. A predicta ergo urbe per decursum Danubii iter suum moventes, transierunt per Ungariam et Bulgariam et Greciam usque ad mare, quod dicitur Brachium beati Georgii. Erat autem Fredericus dux Swevie, filius imperatoris, semper in fronte exercitus; currus vero et alia vehicula retro agebantur cum custodiis. Cum autem mare, quod Brachium sancti Georgii dicitur, transituri essent, Fredericus dux Swevie in cena Domini, per septem continuos dies, cum omni multitudine transivit primus; sed octavo die imperator transiturus procedere noluit, nisi prius omnes pauperes peregrinos transvectos cognovisset, et tandem ipse, in navi regia transmeans, cum ad suos transpositus esset, gavisus in Christo et confortans exercitum ait : « Fratres, confortamini et confidite; omnis terra in manu nostra est. » Transito ergo mari, cum in Armeniam, per magnos labores et penurias, ad ripam cujusdam fluminis devenissent, et imperator die dominica, pene contra voluntatem omnium, cum diutino labore estuaret, in fluvium descendit refrigerandi gracia, nec mora, jubente Deo, qui aufert spem principum, aquis prefocatus obiit [3]. Quod eo magis est mirandum quod idem fluvius non admodum altus erat, et, ut plerique testati sunt, quasi vado transiri potuisset. Cujus corpus filius ejus Fredericus dux Swevie secum detulit usque ad Tyrum, ibique sepulture tradidit. Erat isti in judicando tanta severitas, quod nullius preces in judicio admitteret, nec personam alicujus

[1] Apud Miræum *Teruene.*

[2] Pro *deinde* in aliis MSS. legitur : *Hoc tempore imperator, etc.*

[3] Die 10 junii 1190.

respiceret; sciens quantum bonis nocet, qui malis parcit, et quod facilitas venie incentivum tribuit delinquendi. Obierunt eciam in transmarinis partibus pene omnes nobiles qui eodem tempore, cum Philippo rege Francie et Richardo rege Anglie, cum maxima multitudine transfretaverant.

Mortuo autem Frederico imperatore, exercitus filium ejus Fredericum ducem Swevie, virum mire strenuitatis et prudencie, sibi prefecit. Quo duce usque Anthiociam processum est, in quo per octo ebdomades recreati, usque Tripolim, et deinde usque Sur, grassante inter eos morte tam nobilium quam ignobilium, cum difficultate venerunt. A Sur processerunt Akram, alias Accaron vel Ascalon. Cumque cum Ascalonitis triduano bello conflixissent, dux Fredericus diem clausit extremum [1]. Quanta in hujus viri corde circa Deum fuerit devotio, ex hoc constare potest omnibus, quod decumbenti cum a physicis esset suggestum posse eum curari, si rebus veneriis uti vellet, respondit malle se mori, quam in peregrinatione divina corpus suum per libidinem maculare. Eodem tempore fuit abbas Joachim in Calabria, qui plures libros super Jheremiam et apocalipsim et de omnibus prophetis conscripsit.

De imperio Heinrici sexti, filii Frederici primi predicti. Cap. LVI.

1192. Anno Domini M° C° XCII°, post mortem Frederici imperatoris primi, Heinricus sextus filius suus, qui cum eodem patre suo regnaverat in Germania annis XXII, imperium adeptus [2], imperavit sub Celestino III° et Innocentio III° annis VII, mensibus IIII. Hic fuit Rome coronatus a predicto Celestino papa III°, die II^a sui pontificatus, que fuit feria II^a post pascham, mensis aprilis die XV^a [3]. Qui eodem mense intravit Apuliam cum magno exercitu suo, et dicto mense traditum est regnum Tusculanum Romanis ab imperatore eodem, quod destructum est ab eis. In eodem anno sol obscuratus est, IX° kalendas julii, feria III^a, usque ad nonam. Hic eciam anno primo corone sue Sicilie regnum intravit, et cepit terram usque Neapolim, et obsedit Neapolim per tres menses: ibique ejus exercitum

[1] Die 20 januarii 1191.

[2] Henricus VI imperium adeptus est anno 1190, post mortem patris sui Frederici I.

[3] Anni 1191.

tanta infirmitas invasit, quod omnes fere mortui sunt, ita quod imperator cum paucis languens reverteretur. Hic accepit Constanciam filiam regis Sicilie in uxorem. Isto tempore obiit Philippus archiepiscopus Coloniensis [1], cujus ossa, delata Coloniam, in domo sancti Petri condita sunt juxta sepulchrum domini Reynaldi. Hic Philippus ad XL millia marcharum et LX marchas summam argenti produxit in coëmptionem urbium et prediorum terre Coloniensi adjacentium circumcirca. Saxoniam eciam intravit cum exercitu Germanorum fidelium suorum, videlicet tribus millibus militum electorum, exceptis armigeris equitibus, exercitu pedestri cujus non erat numerus. Et hoc modo tribus annis continuis Heinricum ducem Saxonie, patrem imperatoris Ottonis IIII[i], impugnans ipsum penitus exterminavit, manu potenti ducatum Westfalie et ducatum Angarie sibi auferens, quos ducatus ecclesia Coloniensis usque ad presentem diem possidet, et per Dei gratiam imperpetuum possidebit [2]. Sicque ille quondam famosissimus et potentissimus in Romano imperio dux Saxonie Heinricus, Dei voluntate humiliatus et detectus, tandem ad dedicionem, sentencia cunctorum principum, nomine et officio ducis privatur; quidquid ab imperio vel episcopis beneficiorum habuit, ei aufertur; finibus imperii tribus annis cedi cogitur, unde in exilio subiens in Angliam tendit, ibique triennio, ut imperator Fredericus et principes decreverunt, demoratur [3].

Confederacio inter Brunonem archiepiscopum Coloniensem et Heinricum ducem Lotharingie, et qualiter multi principes Jherusalem tendere ceperunt, ac de aliis incidentiis. Cap. LVII.

« In nomine sancte et individue Trinitatis. Bruno Dei gratia Coloniensis 1193.
archiepiscopus omnibus fidelibus in perpetuum. Notum facimus universis ad quos hec scriptura pervenerit, quod nos et priores nostri, tam liberi quam ministeriales, necnon et cives, cum Heinrico illustri Lotharingie duce et hominibus ejus veram amiciciam et perpetuum fedus contraximus, ita

[1] Philippus I, seu de Heinsberg, obiit anno 1191, in obsidione Neopolitana.

[2] Verba *et per Dei gratiam, etc.,* desunt in aliis MSS.

[3] Hoc loco in aliis MSS. additur : *Philippo successit Bruno* (seu Bruno III de Altena vel de Monte) *archiepiscopus, cum quo Henricus dux Brabantie foedus iniit, ut sequitur.*

videlicet ut in omnibus nostris justiciis contra omnem hominem ad invicem nobis fideliter assistamus, et, si necessitas ingrueret, promptum mutuo nobis ferre debemus auxilium. Nullus eciam nostrum ad gratiam seu concordiam adversariorum nostrorum, aliis exclusis, venire laborabit. Hujus autem societatis amiciciam ne quis ingenio malo vel arte qualibet valeat infringere. ipsam non tantum fidei interposicione, sed eciam sacramenti exhibitione, beneficiorum eciam obligatione omnes firmamus. Hoc eciam inter cetera notandum, quod hujus obligationis vinculum non tantum ad personas presentis temporis extenditur, sed ad ducatum Lotharingie porrigitur perpetuo duraturum. Nos autem, ne hec oblivione deleri possent, hanc paginam conscribi et tam nostro quam beati Petri sigillo jussimus communiri, ita videlicet, ut unum scriptum in armario beati Petri Coloniensis, alterum in ecclesia Lovaniensi reponatur, perpetuo, si opus fuerit, inveniendum. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° C° XCIII°, nostri quoque pontificatus anno secundo. »

Per idem tempus Balduinus comes Flandrensis, Conrardus marchio de Monphora aliique principes et nobiles occidentalium regnorum, necnon et vulgi utriusque sexus innumerabiles turme armata manu Jherosolimis tendere ceperunt, arreptoque itinere per orientalem Franciam Pannoniam Bulgariamque permearunt, sicque gravi labore regno Ungarorum emenso tandem Constantinopolim applicuerunt. Quo in loco aliquanto tempore fixis tentoriis residentes, guerram et controversiam satis gravem de obtinendo regno inter principes terre illius cognoverant. Ipse comes Flandrensis, ut erat vir magni consilii, alti ingenii, causa pacis et concordie se fructuose interposuit, donec tandem, nacta oportunitate, armata manu in multitudine gravi civitatem Constantinopolim intravit, omnibusque inhabitantibus captis et occisis, exiliatis et fugatis, regnum violenter obtinuit,
1200 et imperator ibidem est constitutus, anno Domini M° CC°. Cujus captionem eciam post plures dies civitatis incole non credebant, tum propter civitatis fortitudinem, tum propter antiquam, quam habebant, propheciam. Prophetatum siquidem erat, quod non deberet capi nisi per angelum, et ideo eam non posse capi per hominem credebant : sed hostibus per murum, ubi angelus pictus erat, civitatem intrantibus, se deceptos incole per equum nomen angeli cognoverunt.

Hiis eciam temporibus, sicut a plerisque traditur, dominium Tartaro-

rum inicium habuit. Hii enim sub montibus Indie in regione dicta Tartarea constituti, dominum suum regem Indie, David nomine, filium Johannis presbiteri, occiderunt, et uni eorum, quem sibi prefecerant, filiam ipsius in matrimonium tradiderunt, et sic ad debellationem aliarum terrarum presserunt.

Marchio quoque Conrardus de Monphora, qui in brachio virtutis sue terram promissionis jam diu defenderat, consilio Richardi regis Anglie interficitur : ob quam causam rex Anglie, cum de transmarinis partibus rediret, et propter multa apud Accaron non bene gesta captus est a duce Austrasie Lupoldo. Et tandem datis centum septuaginta millibus marcharum captivitate solvitur et repatriat. Quo repatriato bellum antiquum inter Philippum regem Francie et eundem Richardum regem Anglie recrudescit, rege autem Francie prevalente. Obiit autem hic Richardus in festo beati Ambrosii, cui frater suus Johannes successit, et sepultus est Rethomago tali decoratus epytaphio :

HIC JACET RICHARDUS REX ANGLIE QUI DICITUR COR LEONIS.

Anno milleno ducenteno, minus uno,
Ambrosii festo, decessit ab orbe molesto.
Ejus vita brevis cunctis plangetur in evis;
Namque fuit dominus armorum, gloria regum,
Delicie mundi : dare nil natura scit ultra.

In Saxonia vero mulier quedam quatuor infantes infra tres menses genuisse dicta est.

De privilegio per Heiricum imperatorem incolis de Buscoducis concesso. CAP. LVIII.

Supradictus vero Heinricus imperator, anno imperii IIII°, totum regnum Apulie sibi subjugavit, ibique plurimos rebelles diversis penis flagellavit. Tancretum, filium Tancreti regis Siculorum, cum matre sua Margareta, et regem Empiretarum secum in Alemanniam duxit captivos.

Anno Domini M° C° XCVI° Heinricus sextus imperator per suas literas

patentes, ejus majestatis sigillo impendente sigillatas, ad instanciam illustris principis domini Heinrici, hujus nominis Lotharingie ducis primi, concessit universis hominibus suis de nova civitate apud Silvam, que nunc Buscum-Ducis dicitur, quod a theloniis suis et solutione eorundem, que ubique in Rheno ad manus suas habuit, imperpetuum liberi erunt et absoluti, prout in eisdem literis plenius continetur, quarum tenor sequitur de verbo ad verbum, et est talis[1]:

1196. « In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus sextus, divina favente clemencia Romanorum imperator, semper augustus, et rex Sicilie. Excellencie nostre benignitas dignum et utile attendit, ut ea, que de imperiali gracia circa fideles et familiares suos largitur et benigne constituit, ne tam presencium quam posteriorum ignorancia sive malicia possint aut debeant retractari, privilegii sui munimine confirmet. Quapropter notum facimus universis imperii nostri fidelibus, presentibus et futuris, quod nos, attendentes puram fidem et multa obsequia, que dilectus consanguineus noster Heinricus dux Lotharingie nobis et imperio constanter exhibuit, ad instantem ipsius postulationem universos homines suos de nova civitate apud Silvam, qui nunc ibi sunt et imposterum ad manendum illuc convenerint, exceptis nostris hominibus qui ibi recipi non debent, a theloniis, que nos ubique in Rheno ad manus nostras habemus, imperiali benignitate imperpetuum absolvimus : ita videlicet quod de rebus, que sue sunt, nullum nobis vel nuncio nostro persolvant thelonium, nullaque in eos vel res ipsorum fiat exactio, ipsique aliorum res nec deferant nec de eis negocientur. Statuimus igitur et imperiali auctoritate sanximus, ut nulla omnino persona, humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica, predictos homines de nova civitate apud Silvam, qui ibi pro tempore fuerint, preter nostros homines, quos excepimus, contra hanc majestatis nostre concessionem gravare audeat, vel eos aliquatenus impedire vel molestare. Quod si quis attemptaverit, XXX libras auri pro pena componat, dimidium camere nostre et reliquum passis injuriam. Ad cujus rei certam in posterum evidenciam, presentem paginam inde conscribi jussimus et majestatis nostre sigillo communiri. Hujus rei testes sunt : Hermannus[2] Monasteriensis epi-

[1] Exstant hae literae apud Miræum, *Diplom. Belg.*, t. I, p. 195.

[2] Alias *Hartmannus*.

scopus, Conrardus dux Swevie, Philippus dux Tuscie, Poppo comes de Wertheim, Rupertus de Durne, Cuno de Municembe [1] et alii quamplures. Signum domini Heinrici sexti, Romanorum imperatoris invictissimi et regis Sicilie. Et ego Conrardus imperialis aule cancellarius, vice Conrardi Maguntine sedis archiepiscopi et Germanie archicancellarii, recognovi. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° C° XCVI°, indictione XIIII^{a}, anno regni ejus XXVI°, imperii VI°, regnique Sicilie II°. Datum apud Bopardiam, kalendis junii. »

Quam quidem literam Karolus IIII^{us} Romanorum rex, anno Domini M° CCC° XLIX°, indictione II^{a}, VIII° kalendas augusti, in Aquisgrani, regnorum suorum Romanorum anno IIII°, Boëmie vero III°, ad instanciam illustris Johannis Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducis, sacrique imperii marchionis, per suas literas patentes, ejus majestatis sigillo impendenti sigillatas, duxit graciose approbandam, ratificandam et ex certa sciencia confirmandam, prout in predictis inde confectis literis plenius continetur.

De comitatu de Velva [2], et guerra occasione ejusdem orta inter episcopum Trajectensem et Heinricum ducem Lotharingie, quam imperator Heinricus pacificavit. CAP. LIX.

Orta dudum gravi discordia sive dissentionis et questionis materia inter 1196
Balduinum episcopum ecclesiamque suam Trajectensem ex una, et Heinricum ducem Lotharingie, super comitatu Velve, partibus ex altera. Heinricus sextus imperator Romanorum et rex Sicilie partes easdem ad firmam pacis concordiam, super jure hujusmodi comitatus vigilanti studio reducere satagens, taliter deduxit, statuit et ordinavit, prout in literis suis, ipsius majestatis sigillo aureo communitis, plenius continetur : de quibus patent copie sub sigillis auctenticis, et jacent litere originales apud Trajectum inferius, in custodia ecclesie, quarum tenor sequitur in hec verba [3] :

« In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus sextus divina favente clemencia Romanorum imperator, semper augustus, et rex Sicilie.

[1] Apud Miræum legitur *Anno de Mincenburg.*
[2] Seu *Velua*, alias *Velavia*, vulgo *Weluwe.*
[3] Exstant apud Miræum, *op. cit.* t. I, p. 289.

Imperatorie majestatis nostre debitum expostulat et requirit officium, ut ea, que inter fideles et principes imperii causam et fomitem dant discordie, lima correctionis et diligencie omnimodis [1] enervantes, ad firmam pacis concordiam vigilanti studio ipsos satagamus reducere. Quapropter notum facimus universis imperii nostri fidelibus, presentibus et futuris, quod nos questionem illam, que jam diu vertebatur inter dilectos consanguineos nostros, Balduinum Trajectensem episcopum et Heinricum ducem Lotharingie, super comitatu de Velve, in eo videlicet quod ipse episcopus comitatum illum de concessione imperatoris sibi et ecclesie Trajectensi asserebat pertinere, et, e contra, dux Lotharingie dicebat, quod ipsum comitatum de manu nostra teneret in feudum, ad hunc finem deduximus, quod ipse dux, injuriam suam recognoscens, omne jus, quod in comitatu illo videbatur habere, in manus nostras libere resignavit. Nos itaque predictum comitatum cum omnibus suis pertinenciis imperiali clemencia predicte ecclesie Trajectensi et dilecto consanguineo nostro Balduino episcopo imperpetuum confirmamus; ipse vero episcopus eundem comitatum cum omnibus pertinenciis suis et omni jure predicto consanguineo nostro Heinrico duci Lotharingie in presencia nostra benigne concessit, sub eo tenore ut idem comitatus ad ejus heredem, filium suum vel filiam, libere transeat et integre. Statuimus igitur et imperiali edicto sanximus, ut nulla omnino persona in posterum hanc nostram ordinationem et confirmationem aliquatenus infringere audeat vel turbare. Quod si quis attemptaverit, centum libras auri pro pena componat, dimidium camere nostre, reliquum passis injuriam. Ad cujus rei certam imperpetuo evidenciam, presentem paginam inde conscribi jussimus et majestatis nostre sigillo aureo communiri. Hujus rei testes sunt : Ludolphus Magdeburgensis archiepiscopus, Hartwicus Bremensis archiepiscopus, Hermannus [2] lantgravius Thuringie, Otto comes de Benthem, comes Lambertus de Erfordia, Guehardus [3] burggravius de Magdeburch, comes Albertus de Wermigerode [4], Robertus de Ducoude, Cuno de Muncimbere [5], Marquardus dapifer, Deshardus de Destemberg, Heinricus camerarius de Groir [6], Heinricus pincerna de Lutra, Gerardus de Grimber-

[1] Vox *omnimodis* deest apud Miræum.
[2] Apud Miræum *Hartmannus.*
[3] Ibid. *Wenardus.*
[4] Ibid. *Wingerode.*
[5] Ibid. *Anno de Mintenberg.*
[6] Ibid. *Gron.*

ghe, Arnoldus de Wesemale et alii plures. Signum domini Heinrici sexti. Romanorum imperatoris invictissimi et regis Sicilie. Ego Conrardus Hildesemmensis electus, imperialis aule cancellarius, recognovi. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° C° XCVI°, indictione XIIII^a, regnante domino Heinrico VI° Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus XXV°, imperii vero V°, et regni Cicilie II°. Datum apud Gulenhusen. pridie nonas martii. »

Item iste comitatus Velve postea datus fuit in feudum per ducem Brabancie comiti Gelrie.

Anno Domini M° C° XCVI° Richardus rex Anglie, dum quoddam castrum, Lymogie scilicet, obsideret, et circumiens quereret ubi assaltus oportunius faceret, telo letaliter percutitur, quod non sine judicio Dei factum hoc modo probatur. Siquidem episcopus quidam dum sine causa offensam ejus incurrisset, in tantum eum persecutus est, ut propria sede eum exturbaret, precipiens ei ne deinceps ejus se oculis offerret. Ille Romam progressus ad apostolicum se contulit. Et dum quadam die astaret altari, ipso momento quo Richardus obiit telo, vidit ipsum telum secus altaris crepidinem lapsum, cui carta fuerat innexa : « Secundum vaticinium Merlini olim predictum, telum Lymogie occidit leonem Anglie. »

Anno Domini M° C° XCVII° ab Innocencio papa cum legato XII abbates 1197.
Cisterciensis ordinis in terram Albigensium ad predicandum fidem hereticis mittuntur. Quibus de Hispania Didacus Exoviensis episcopus, habens secum fratrem Dominicum in comitatu, pro hereticis convertendis adjungitur. Qui Dominicus primus ordinem Predicatorum incepit in Tholozanis partibus, ubi contra hereticos verbo et exemplo predicabat, sub eodem Innocencio, anno M° C° XCVIII°, pontificatus ejusdem pape Innocencii anno VI°.

Ordinem vero Fratrum Minorum incepit sanctus Franciscus prope civitatem Assissinam, prope sanctam Mariam de Porciuncula, anno Domini M° CC° VI°, pontificatus ejusdem pape Innocencii anno XIIII°, qui fuit annus conversionis ipsius, a quo post XXIIII annos defunctus est. Qui Franciscus ante suam conversionem vocabatur Johannes.

De passagio Heinrici ducis ultramarino, et de duobus canonicis in ecclesia Leodiensi ab imperatore Heinrico institutis, ac ipsius morte. Cap. LX.

Idem Heinricus Lotharingie dux primus supradictus, anno ducatus sui XIII°. cum Conrardo archiepiscopo Maguntino et multis aliis principibus profecti fuerunt trans mare, ut paganos debellarent. Ibi ipse dux fuit electus capitaneus tocius exercitus christiani [1], et sua industria et virtute ceperunt civitatem Beruthi, quam spoliaverunt et combusserunt, ac totam illam regionem circumquaque vastaverunt incendio et rapina.

Item est sciendum quod supradictus Heinricus sextus, Romanorum imperator et rex Sicilie, ad honorem Dei, beate Virginis et sancti Lamberti gloriosi martiris, predium suum de Freren ecclesie Leodiensi, cum omnibus attinenciis, terris, pratis, pascuis, hominibus et censu, et quidquid ibi possidebat, plenarie et integre contulit, instituens canonicos sacerdotes ad duo altaria, qui singulis diebus duas missas celebrabunt, unus pro statu imperii missam de beata Virgine, alter pro animabus parentum suorum et predecessorum specialiter et pro fidelibus defunctis; preterea duo luminaria cerea de predictis bonis ante altaria sua singulis noctibus predicti sacerdotes procurabunt. Et, ut predicta bona integra et illibata permanerent, voluit sibi advocaciam predicti predii reservari. Cum vero de prefatis capellanis suis aliquem mori contigerit, liberam dedit potestatem decano Leodiensi et successoribus suis, aliis ydoneis personis prebendas conferendi, prout in suis literis desuper confectis et sui sigilli auctoritate roboratis plenius continetur.

Item Fredericus II^{us}. Romanorum rex et rex Sicilie, per suas certi tenoris literas, datas Aquisgrani, V° kalendas augusti, collationem sive donationem per dominum Heinricum imperatorem, patrem suum, de villa et predio in Freren ecclesie Leodiensi factam ratificando, scabinis et mansionariis ad villam et predium in Freren pertinentibus mandavit et firmiter precepit, quatenus predicte ecclesie Leodiensi et clericis, qui ad altaria duo a patre suo facta ibidem deserviunt, juxta mandatum majoris decani

[1] Henricum nostrum totius exercitus Christianorum ducem electum fuisse, perperam asserunt plures, qui Henricum Brabantiae ducem pro Henrico Saxoniae duce accipiunt.

de omni fructu et utilitate de ceteroplene et fideliter responderent.

Item Heinricus Romanorum rex per suas certi tenoris literas, datas Aquisgrani, donationem, quam avus suus Heinricus et pater suus Fredericus, Romanorum imperatores, fecerunt super bonis in Freren, ad opus duorum sacerdotum, qui in ecclesia sancti Lamberti omni die celebrare deberent, ratificando et confirmando, statuit inter alia et precepit, ut iidem sacerdotes eadem bona teneant cum omni jure et fructum percipiant, nullusque hominum (possessionem) predictorum bonorum, ratione advocacie vel alicujus peticionis, gravare vel molestare presumat : prout in supradictis literis plenius continetur.

Demum imperator Heinricus sextus et rex Sicilie, postquam ab omnibus imperii principibus summa precum instancia obtinuerat, ut filium suum Fredericum adhuc triennem in regem eligant, obiit in festo Mychaëlis, anno regni sui XXIX°, quorum XXII cum patre, et post patrem solus in imperio VII, vite vero XXXIIII peregerat, et honorifice cum multis insigniis apud Neapolim sepultus est. Quo mortuo omnis Apulia, Calabria et Sicilia, a dominatione imperii se excutiens cum uxore ejus et filio, subjecit se eis et fidem fecit. In Theutonica vero terra guerre multe et dissentiones eatenus inaudite oriuntur super imperio.

Qualiter post obitum Heinrici sexti Otto comes Pictavie, filius Heinrici quondam ducis Saxonie, et Philippus dux Swevie, filius quondam Frederici primi et frater Heinrici sexti imperatoris, fuerunt per principes in discordia electi. Cap. LXI.

Anno Domini M° C° XCVIII° guerra magna et dissentio nimis timenda 1198 oritur inter principes Germanie de futuri regis electione, in imperatorem postea promovendi. Ad evidenciam dissentionis hujusmodi est sciendum, quod supradictus imperator Heinricus sextus summa precum instancia ab omnibus imperii principibus obtinuit, ut filium suum Fredericum adhuc triennem post suum decessum eligerent in regem. Procuravit insuper, quod eo vivente frater ejus Philippus dux Swevie predictus et alii principes Theutonici juraverunt Frederico filio suo antedicto fidelitatem tamquam futuro regi. Mortuo vero isto imperatore Heinrico, promissionibus et jura-

mentis hujusmodi non obstantibus, Adolphus Coloniensis et Theodericus Treverensis archiepiscopi, electionem regis sui juris esse affirmantes, habito consilio cum quibusdam sed paucis principibus, coram aliis coelectoribus suis in Colonia curiam habendam prefigunt. Ad quam cum dicti alii principes, eorum coelectores, occurrere nollent, scripserunt predictis archiepiscopis, ut ipsi ad curiam in Erfordia occurrerent, electuri cum eis ydoneum et Deo dignum regem. Dum ergo dicti pontifices ad eandem curiam iter facerent, cognoverunt alios jam in supradictum Philippum ducem Swevie concordasse et eum in regem elegisse : unde moti archiepiscopi redierunt Coloniam, et ibidem, habito consilio, memoratum Ottonem in regem elegerunt.

Legatus apostolicus, qui tunc temporis erat in partibus Alemannie, personam ducis indignam propter causas expressatas in canone *venerabilem de elec.*, et personam Ottonis denunciavit ydoneam ad imperium obtinendum : unde principes, qui ipsum Philippum elegerant, hoc grave gerentes, objiciebant contra ipsum legatum coram Innocencio papa III°, qui eodem anno Celestino in papatu successerat : qui auditis partibus, hinc inde de hujusmodi cause meritis precognito, servatisque servandis, non dictum Philippum, sed reliquum, scilicet Ottonem, reputavit et nominavit regem, justicia exigente, prout in preallegato decreto *venerabilem* lacius continetur. Et sic Otto ex mandato pape consecratus est et coronatus Aquisgrani ab Adolpho Coloniensi archiepiscopo predicto. Fuerat enim predictus papa Innocencius Philippo adversarius propter fratrem suum Heinricum imperatorem, qui, ut ibi papa asseruit, contra religionem christianam in regno Sicilie archiepiscopos et episcopos trucidaverat, et contra Romanam ecclesiam semper tyrannidem exercuerat : propter quod ipsum et omnes fautores suos excommunicavit. Ob quam causam predictus Philippus, ut necessitatis proprium est, ab omnibus auxilium petens, omnes pene principes sibi muneribus conciliat, urbes regias suscepit, fidem sibi ab omnibus fieri jubet. In inferioribus partibus omnes nobiles Lotharingie ad favorem sollicitat, de quibus Walramus, Heinrici ducis de Lemburch filius, ad eum declinat, castrumque regium, quod Berenstein dicitur, ab eo suscepit. Ducem quoque Bohemie sibi allicit, eique, in favorem ejus ut opem propensius habeat, nomen regium indulget, quem in presencia sua consecratum Bopardie coronari consentit, ibique unam filiarum suarum sibi dedit in uxorem.

Collecto ergo exercitu copiosissimo Philippus rex cum rege Bohemie et aliis suis auxiliariis in partes inferiores transiit, archiepiscopatum Coloniensem quaquaversum vastando et incendia permiscendo; exustum est eodem tempore Regimagum et Bunna cum multis circajacentibus villis, nec erat qui furentibus et vastantibus occurrere vel resistere auderet, omnibus ad loca municiora se conferentibus. Multa nephanda et misera relatu, quorum unum ponam, ibidem patrata sunt. Sanctimonialem quandam, omnibus indumentis spoliatam, oleo perungentes, in plumis lectualibus volvebant, sicque monstruose hirsutam caballo imposuerunt, versa ejus facie ad caudam caballi. Cumque ridiculosum hoc, ymmo miserabile per aliquos dies circumduxissent, regi Philippo tandem res innotuit, qui zelo Dei tactus omnes hujus sceleris reos aque bullienti tradi jussit.

Interea Otto rex, post discessum alterius in inferioribus partibus eciam sibi pro posse subjugans, episcopos, comites et nobiles Lotharingie sibi conciliat, ac sacramenta et fidelitatem ab eis exigit et accepit. Que cum infirma erant et infidelia, nam plures ex eis, in exiguo paventes mendacium aut perjurium, contra sentenciam suam venire non timebant, inter hec omnia fama Coloniensis archiepiscopus non erat integra, et suspectus habebatur, quod negociis manum valencius non opponeret, cum tamen revera gravissimum et impossibile ipsi fuisset, cunctis pene principibus Alemannie contraire, et contra eorum voluntatem et consensum pro suo libitu velle Romanum imperium disponere. Constabat ergo, quod Otto rex, omni pene terreno auxilio et humano solacio destitutus, quantum ad respectum adverse partis regnum aut imperium nunquam obtinere posset, nisi in adjutorio solius Dei qui dominat in regno hominum, et cuicunque voluerit, dabit illud.

Qualiter Theodericus comes Hollandie, anno M° CC°, relevavit a duce Heinrico Lotharingie et Brabancie in feudum Dordrecht et terram Zuyt-Hollandie sitam inter Mosam et Schaldim. Cap. LXII.

Inter istum Heinricum ducem primum et ejus predecessores duces Lotharingie et Brabancie, et Theodericum comitem Hollandie et suos predecessores fuit magna discordia propter terram sitam inter Mosam et Schaldim. Que discordia consilio hominum utriusque sopita fuit, taliter vide-

licet quod dictus Theodericus, propter hoc veniens in Lovanio, anno
1200. Domini M° CC°, tertio nonas novembris, resignavit in manus dicti Heinrici ducis oppidum Dordrecht, ex utraque parte aque, Dordrechssche-Werde, Harre, Does-Werde, Dusne et totam terram Strine et Waelwyck, que Zuyt-Hollant nominatur, usque ad terram ducis : hanc totam terram recepit comes in feudum a duce, et factus est homo ligius suus. Juravit eciam, quod de predicta terra in propria persona dicto duci de cetero serviret tamquam homo ligius contra omnes homines, excepto imperio. Et fuit tunc eciam inter predictos ducem et comitem conventum. quod homines sive mercatores ducis in terra comitis Hollandie transire deberent per terram et aquas cum thelonio suo, eo jure quo thelonia in principio sue institutionis fuerunt statuta; et similiter mercatores comitis in terra ducis.

Et est sciendum quod guerra existente propter Zuyt-Hollandiam inter ducem Heinricum, ex una parte, et Theodericum comitem Hollandie, qui in auxilium suum acquisiverat Ottonen comitem Gelrie, ex altera, quod idem comes Gelrie a dicto duce fuerat captus, sub conductu regis Ottonis et Adolphi archiepiscopi Coloniensis, ut asseruerunt. Quamobrem dictus Theodericus comes Hollandie, volens dominum Ottonem comitem, suum complicem, eruere de prisione ducis, oppidum ducis, quod Buscum dicitur, circumdedit in manu forti, quod tandem cepit, et Wilhelmum de Parweys, fratrem ducis, ac Heinricum de Kuyck, cum plerisque militaribus in eo existentibus et cum preda multimode suppellectilis, ad Hollandiam remigrare decrevit. Dux vero, coadunato exercitu valido, Theoderico comiti viam redeundi festinanter anticipavit : cui idem comes apud Outhoesden occursare presumpsit, et commisso bello, cunctis Hollandis convictis, idem comes a duce captus fuit. Eodem anno dictus Theodericus comes libere laxatus est a captivitate ducis, cui ipse comes duo millia marcharum pro illato dampno persolvit, cum quibus ipse dux suum oppidum reparari fecit. In quo oppida sua Brabancie, scilicet Lovanium, Bruxella et Antwerpia, fecerunt construi tres portas.

Pacem vero Ottonis comitis Gelrie fecit rex Otto cum legato apostolico [1] et archiepiscopo Coloniensi predicto [2], ut immediate sequitur.

[1] Is erat Guido episcopus Prænestinus, qui anno 1202 cathedralem ecclesiam Leodiensem auctoritate apostolica visitavit et reformavit. Vide Miræum, *op. cit.*, t. I, p. 564.

[2] Scilicet Adolphus de Altena.

De pace reformata inter Heinricum ducem predictum et Ottonem comitem Gelrie, facta Trajecti supra Mosam, in presencia Ottonis Romanorum regis et Guidonis legati apostolici, ut in litera tenoris sequentis [1]. CAP. LXIII.

« In nomine sancte Trinitatis et individue Unitatis. Notum sit omnibus, 1202.
tam presentibus quam futuris, hujus scripti inspectoribus, quod, cum exorta esset discordia inter Heinricum ducem Lotharingie et Ottonem comitem Gelrie, suum hominem ligium, super eo quod idem comes ei debitum sepius negaverit servicium, talis inter eos pacis reformate intercessit pactio, quod, si dux memoratum comitem ad suum aliquod invitaverit servicium, et comes ei non obtemperaverit, vel fideliter, sicut homo suus ligius, non servierit, ipse comes sua libera et spontanea voluntate elegit, quod omnia bona, que a domino duce in feudum tenet, in sua sint potestate, ut ipse dux de bonis illis pro sua disponat voluntate. Ut autem hec inviolata imposterum serventur, sigillorum suorum impressione firmaverunt. Hec autem facta sunt presente rege Ottone, Guidone apostolice sedis legato, Adulpho Coloniensi archiepiscopo. Hujus rei eciam sunt testes: Heinricus dux de Lymburgis, Gerardus comes de Are, Adolphus comes de Monte, Heinricus de Wassenberch, Raso de Gavera, Arnoldus de Wesemale, castellanus de Bruxella, Rutgherus de Merheim, Theodericus de Millen, Reynerus de Tighe, Sibertus Swenus, Arnoldus senescallus de Rothselaer, Goswinus de Heverle. Acta sunt hec apud Trajectum, anno incarnationis dominice M° CC° II°. »

De confederatione facta inter Adolphum archiepiscopum et ecclesiam Coloniensem et Heinricum ducem Lotharingie predictum et terram suam, prout in litera tenoris sequentis [2]. CAP. LXIV.

« In nomine sancte et individue Trinitatis. Adolphus, divina favente 1203.
clemencia sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopus, cunctis Christi fide-

[1] Exstant apud Miræum, *op. cit.*, t. I, p. 401 et 565, varia pacta, seu potius pactorum fragmenta, anno 1202 et 1203 inter Henricum I et Ottonem Gelriæ comitem firmata.

[2] Vide Miræum, *op. cit.*, t. I, p. 567.

libus imperpetuum. Ne rei geste finem consumat oblivio, literarum solet indiciis eternari: inde est, quod notum facimus presentibus et futuris, quod ab antiquo inter ecclesiam Coloniensem et archiepiscopum, ex una parte, et ducem Lotharingie et terram suam, ex alia parte, confederata est dilectio et confirmata est confederatio, ut nulle aliorum hominum amicicie vel discordie possent vinculum hujus confederationis et dilectionis dissipare. Placuit igitur nobis, ex consilio priorum ministerialium burgensium, ex una parte, et duci Heinrico consanguineo nostro et suis fidelibus, ex alia, istam dilectionis confederationem innovare, et tam in nobis quam in successoribus nostris perpetua firmitate corroborare; unde, ut ex utraque parte istius vinculum confederationis indissolubile in omne evum permaneret, Heinricus dux Lotharingie, fide interposita, fideliter promisit, quod ecclesie Coloniensi, et nobis specialiter, omni consilio et omni auxilio contra omnem personam, sive laycum sive clericum, totis viribus assisteret, et nulla occasione vel suggestione a tuitione Coloniensis ecclesie et nostro adjutorio discederet. Nos autem idem et eadem confirmatione versa vice innovamus. Ut autem hoc factum stabile permaneat et inconvulsum, paginam presentem inde conscribi, et nostri sigilli impressione et priorum, necnon nobilium civium, quorum nomina subscripta sunt, dignum duximus roborari. Hujus rei testes sunt : Ingelbertus major prepositus, Udo major decanus, Gerardus Xantensis prepositus, Bruno Bonnensis prepositus, Theodericus prepositus sancti Cuniberti, Theodericus prepositus sancti Andree, Theodericus prepositus sancti Gereonis, Theodericus prepositus sanctorum apostolorum; magister Oliverus, Bruno de Benthem, Godefridus notarius. Otto comes Gelrensis, puer de Clivo, Wilhelmus comes Juliacensis, Heinricus comes de Seyne, Gerardus comes de Are, Lotharius comes de Hoenstade, Heinricus comes de Kessele, Adulphus comes de Monte, Arnoldus comes de Altena, Arnoldus comes de Merka, Godefridus comes de Arnesberch, Heinricus comes de Tyclemburg, Otto de Wickerode, Everardus de Arberch, Rutgerus de Merheim, Ghiselbertus de Breme. Rutgherus Stademule; Hermannus advocatus Colonensis, Heinricus de Volunsteine. Heinricus de Alpheim, Hermannus de Alvetre, Otto camerarius, Heinricus de Renshem, Heinricus de Vuchterich, Theodericus de Erenporte, Johannes, Mathias et alii quamplures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° III°. »

De quadam compositione inter Heinricum ducem Lotharingie et Ottonem comitem Gelrie predictos apud Lovanium facta, cujus tenor sequitur et est talis. Cap. LXV.

« In nomine sancte et individue Trinitatis. Felix est literarum custodia, que emergentibus occurrit calumpniis, et rerum seriem innumerabili loquitur veritate : inde est, quod negocii presentis veritatem scripto presenti commendare curavimus. Notum sit itaque tam futuris quam presentibus, quod talis intervenit forma compositionis inter Heinricum ducem Lotharingie et Ottonem comitem Gelrie, quod comes renunciavit omni juri quod se dicebat habere in Meghem; item omne jus, quod idem comes se asserebat habere in Unitate tocius Campinie, que Unitas vulgariter Emuge dicitur, ipsum ducem habere permisit. Insuper comes Otto jurat quod omnes mercatores terre ducis infra dominium comitatus ab omni thelonio in Reno sine dolo liberi erunt, ita tamen quod ipsi mercatores ducis nulla bona mercatorum alterius terre deducent: super quo si accusati fuerint, unusquisque *mercatorum* jurabit bona illa pertinere tantum ad ipsos et ad mercatores terre ducis, et non ad alios, et sic libere recedent. Propter interpositas autem conditiones thelonearius comitis nullam debet adversus mercatores ducis querere malignandi occasionem. Additum est eciam quod burgenses de Silva juxta Orten per totam terram comitis Gelrie ab omni thelonio liberi erunt. Burgenses quoque de Tiele gaudebunt eodem jure, et stabunt apud Sulchem in Driele, quo tempore Frederici imperatoris et Heinrici comitis Gelrie gaudebant et stabant. Preterea comes Gelrie universum allodium, quod habebat in Oesterbeke, cum monte in manus ducis contulit et ab eo in feudum recepit. Si autem officiales ducis et comitis super aliquo facto dissenserint et ad invicem concordare non poterint, totum negocium examini ducis et comitis reservabitur. Item condictum est, quod de hominibus ducis, qui Boemele intraverunt vel intrabunt, precarias et tria in anno advocati placita et servicium debitum habebit dux, nisi hoc comiti pro suo servicio dux remittat. In hac eciam composicione Heinricus dux Ottoni bona fide promisit, quod in omni guerra, quam causa sui assumet contra omnem hominem, ei fideliter assistet, nec unquam treugas aut composicionem sive pacem absque ipsius comitis consilio et consensu faciet. Quodsi

tamen propria voluntate alicui guerram moverit, vel aliquis eum impetierit, quamdiu comes judicio et consilio ducis stare voluerit, dux eum omnibus modis juvabit. Insuper comes Gelrie juravit quod duci et heredibus suis homo ligius fideliter serviet, et omnia superscripta bona fide et absque dolo firmiter observabit. Et, si aliquid illorum infregerit, vel fideliter duci non servierit, et, premonitus a duce aut nuncio suo, infra sex ebdomadas ad servicium ipsius ducis non redierit, tunc omnia feuda, que comes a duce tenet, ipse comes demeruit, et in manu ducis libere remanebunt; feuda quoque, que a rege tenet, totum similiter demeruit, et dux de mann regis in feudum recipiet; idem de feudis, que comes tenet ab archiepiscopo Coloniensi. Et hec facta sunt et ordinata ad peticionem et sub testimonio tocius ecclesie Coloniensis et suorum.

» Premissis omnibus adjectum est, quod, si comes ea que prelibata sunt non servaverit, et duci non fideliter servierit, XXV nobiles terre ipsius comitis, et XXV ministeriales proprio corpore et omnibus bonis, que a comite tenent, bona fide duci contra comitem servient, donec ad hoc induxerint comitem, quod duci ad voluntatem ipsius serviat, et omnia supradicta plenarie observet. Sciatur eciam quod homines comitis Gelrie inferius Golam manentes liberi erunt ab exactione thelonei apud Tiele. Sane, que superius dicta sunt servanda inter ducem et comitem, servabuntur heredibus hominum subscriptorum, qui supradicta juraverant, sub pena bonorum, que a comite tenent. Ut autem hec rata teneantur in posterum, sigillorum appositione tam ducis quam comitis sunt roborata, testibus et juratis hiis nobilibus : Heinricus comes de Kessele, Rogerus de Merhem, Ingelbertus de Hoerne, Theodericus de Hoerne, Theodericus advocatus de Hechte, Theodericus frater suus, Wilhelmus Molsen, Theodericus de Altena, Alardus de Driele, Walterus Spering, Gerardus de Wishem, Lambertus de Monte, Heinricus de Bruele, Egbertus de Molsen, Arnoldus de Ortten, Theodericus de Alphen. Nomina ministerialium juratorum : Engelbertus de O, Franco de Houthem, Theodericus de Ruremunde, Reynerus de Treghele, Gerardus de Strale, Godefridus Grontvat, Theodericus Gruntere, Wilhelmus Robble, Stephanus de Pliese [1], Theodericus Bustart [2], Reynerus castellanus de Hulcken, Christianus et Rodolphus de Armen,

[1] Apud Miraeum legitur : *de Pluniste.* [2] Ibid. *Hastaert.*

Theodericus frater comitis, Arnoldus de Arnhem, Selinuch Stelix. Acta sunt hec feliciter apud Lovanium, anno dominice incarnationis M° CC° III°. »

Et quia Heinricus comes Hollandie et Otto comes Gelrie, immemores fidelitatis et homagii dicto Heinrico duci facti et prestiti, ab insolenciis non desistentes, ipse comes Hollandie et homines comitis Gelrie oppidum Thiele, quod tunc ad ipsum ducem spectabat, et villam suam Orten combusserunt et homines suos captivarunt, et, cum dux ad hoc vindicandum proficisceretur, et comes Gelrie, ab ipso duce ammonitus ut sibi assisteret, eum deseruit, et homines suos in auxilium comitis Hollandie transmisit, propter quos excessus dux ei terram, quam ab eo in feudum tenebat, abjudicari fecit sentencia hominum suorum et sibi adjudicari [1].

Sequitur alia compositio inter ducem Brabantie et comitem Gelrie. Cap. LXVI.

Hec est compositio inter ducem et comitem Gelrie. Compositio, que ordinata fuit nuper apud Trajectum inter episcopum Trajectensem et comitem Gelrie, sicut ibi fuit ordinata, observabitur. Inter ipsum comitem et puerum de Clive est condictum, quod bona, que pater jam dicti pueri possedit in suo decessu, juxta rei veritatem eadem idem puer in pace possidebit. Et, si puer ultra hoc aliquam questionem moverit comiti, de ipsis comes Gelrie respondebit, ubicunque de jure tenebitur, et finalis juris copiam exhibebit. Preterea de excessibus, quos comes fecit adversus ducem, pro quibus bona sua ei fecit abjudicari, manebunt bona in eodem statu, in quo fuerunt proxima dominica post exaltationem sancte crucis : ea conditione interposita, quod dominus dux pro voluntate sua comiti diem prefiget, ad quem comes veniet satisfacturus duci, secundum amorem vel gratiam ipsius ducis. Et si comes ista non observaverit, feudum omne, quod a domino rege tenet, in manu regis obstagium posuit, ita quod feudo illo privabitur, et dux idem feudum a domino rege tenebit; eadem conditione adjecta per omnia de feudis, que a domino tenet Coloniensi archiepiscopo. Et ut hec cercius serventur duci, imposterum filium suum

[1] In MS. cod. Johannis Miræi additur : *Sed non multo post inierunt pacem his conditionibus.*

et filiam suam ei dedit obsides. Ad hec de Los et de Monte comites juraverunt, quod comiti non assistent, quousque duci satisfecit, si pretaxata non observaverit. Item homines comitis et cognati, sicut duci juraverunt, prout charta testatur antiqua, stabunt in eodem juramento. Quodsi forte aliquid duci acciderit humanitus, ea que predicta sunt duci observanda, servabuntur uxori et heredibus ducis a comite Gelrensi et heredibus suis.

De duobus millibus et quingentis marcharum, quas Otto comes Gelrie duci Heinrico Brabancie persolvit, ob causam in literis desuper confectis contentam, ob quam dux sibi terram, quam comes ab eo in feudum tenebat, abjudicari fecit sentencia hominum suorum; et intuitu hujus pecunie omnes excessus ei remittens, terram abjudicatam ei restituit, prout in dicta litera plenius continetur, cujus tenor sequitur et est talis. Cap. LXVII.

Otto comes Gelrie dabit domino duci duo millia marcharum et quingentas hiis terminis : Dominica *Invocavit me* dabit mille et quingentas, seu mille tantum, et hanc pecuniam solvet apud Lovanium, secundum estimationem marcharum Lovaniensis monete, et sicut in Lovanio moneta solvi solet. Si autem, sicut prelibatum est, predicto termino mille et quingentas persolverit marchas, in proximo festo sancti Remigii sequente alias mille marchas domino duci persolvet apud Lovanium, juxta pondus Coloniensis monete, sicut tunc temporis apud Coloniam monete fiet perfecta solucio. Viceversa, si dominica *Invocavit me* tantum mille marchas solverit, sicut pretaxatum est, in proximo festo sancti Remigii sequente mille et quingentas memorato modo apud Lovanium persolvet, pondere Coloniensis monete, sicut collaudata perfecta fieri tunc poterit solucio. Pro prenominata vero pecunia habebit dux duos filios ipsius comitis, XXV pueros hominum suorum. Si autem predicto termino, sicut condictum est, pecuniam prefatam non persolverit, tunc comes duci obligat terram, que sita est inter Mosam et Walam, et Tielrewerdt, pro mille marchis in recto pignore, omni eo jure quo ipse comes tenebat, et Boemelrewerde, pro mille et quingentis marchis in recto pignore, similiter omni eo jure quo ipse comes tenebat, et terra ista redimenda erit de anno in annum, ab ingressu pignoris. Quodsi dominica *Invocavit me* quingente marche et mille persolute fuerint, pueri homi-

num comitis omnes liberi erunt, filiis ipsius comitis in ostagino remanentibus, et terra inter Mosam et Walam et Tielrewerdt in pignus permanente pro mille marchis. Si vero tantum mille persolute fuerint, iterum pueri hominum liberi erunt, filiis comitis iterum in ostagino remanentibus, et Boemelrewerde in pignus duci permanente pro mille et quingentis marchis. Preterea, si comes usque *Invocavit me* totam summam pecunie persolverit, tam filii ejus quam pueri hominum suorum quam terra ipsius liberi erunt. Item adjectum est quod, si predictorum puerorum aliquis moriatur vel infirmetur vel effugiat, ille sine dolo restituetur, vel eque valens.

Sciant omnes quod comes hanc pecuniam ideo duci solvit, quia apud Trajectum, in presencia regis et cardinalis et archiepiscopi Coloniensis et episcopi Leodiensis et ducis Lymburgensis et comitis de Hofstad et multorum nobilium, ei promiserat, quod de cetero ei fideliter sicut homo ligius serviret, et quod promisit, quod comes Hollandie nullum dampnum ei inferret. Verum quia hoc non bene observavit, et comes Hollandie et homines ipsius comitis Gelrie oppidum ducis Thiele et Orten combusserunt et homines suos captivaverunt, et, cum dux ad hoc vindicandum proficisceretur, et, ammonitus a duce ut ei assisteret, eum deseruit, et homines suos in auxilium comitis Hollandie transmisit: et dux propter hos excessus ei terram, quam ab eo in feudum tenebat, abjudicari fecit sentencia hominum suorum, et, intuitu hujus pecunie omnes excessus ei remittens, terram abjudicatam ei restituit.

Qualiter Philippus dux Swevie, in regem Romanorum in discordia contra Ottonem electus et coronatus, veniens in Aquisgrani, in presencia principum electorum renunciavit juri per electionem et coronationem ad imperium sibi competenti, ab electoribus concorditer reeligitur, et per Adolphum archiepiscopum Coloniensem cum Maria uxore sua inungitur et consecratur. Et ibi de tribus filiabus Philippi predicti, et eciam qualiter idem archiepiscopus per Innocencium papam III[um] *excommunicatur et privatur.* CAP. LXVIII.

Igitur Philippus rex, animadvertens regalia insignia, crucem scilicet et lanceam, sceptrum cum corona, potestati sue tradita, cunctosque prin-

cipes ac primores unanimi conspiratione jam dudum se in regem eligendo concordasse, Adolphum archiepiscopum Coloniensem, adhuc sibi resistentem, pro sui consecratione scriptis atque legationibus, multa offerendo et plura promittendo, sollicitare pertemptat. Qui, accepta jurisjurandi obligatione, cum obsidibus, in epyphania Domini, multo stipatus milite, Aquisgrani accedens, ab eodem archiepiscopo in regem consecratur. Celebrata igitur consecratione, archiepiscopus jam dictus, auro, argento, lapide precioso aliisque regalibus insigniis satis largiter remuneratus, cum honore dimittitur, et rex in terram suam revertitur.

Philippus igitur rex, ut proposuerat, cum universis pene principibus regni Aquisgrani venit, ubi cum maximo apparatu et obsequio Coloniensis archiepiscopus ei occurrit. Ibi rex, consilio cum suis habito, ut principes suam liberam electionem secundum antiquitatis institutum non perdant, regium nomen et coronam deponit, et, ut concorditer ab hominibus eligatur, precatur : quod factum est. Ibidem in ecclesia beate Marie ab omnibus eligitur, et a Coloniensi archiepiscopo cum Maria uxore sua ungitur et consecratur. Ex qua quidem Maria uxore sua, filia Emmanuelis imperatoris Constantinopolitani[1], genuit tres filias, quarum unam duxit in uxorem rex Castelle et Legionis, qui ex ea genuit Alfonsum regem, postea in regem Romanorum electum, in discordia contra Richardum fratrem regis Anglie. Aliam filiam duxit rex Bohemie predictus, qui ex ea genuit regem Bohemie, qui a Radulpho rege Romanorum interfectus est. Terciam vero filiam duxit in uxorem Heinricus, major filius Heinrici ducis Lotharingie primi suprascripti[2].

Unde et dissentio gravis inter Ottonem regem et archiepiscopum orta est. Nam Otto rex legatos suos Romam dirigens, pape exponendo qualiter Adolphus Coloniensis archiepiscopus eum Colonie in regem creaverit, et Aquisgrani consecratum regali sedi sublimaverit; nunc vero, se repudiato et quasi reprobato, Philippum ducem Swevie, simili modo Aquisgrani deductum, accepta ab eo innumerabili pecunia, ibidem in regem consecrare presumpserit : protestans, omne regnum, precipue Coloniensem archiepiscopum, insuper omnem ecclesiam inde gravissime periclitari. Quibus papa

[1] Philippus anno 1196 uxorem duxit Irenem, filiam imperatoris Constantinopolitani Isaaci Angeli.

[2] Mariam, imperatoris Philippi filiam, anno 1207 uxorem duxit Henricus II. Alia ejusdem imperatoris filia fuit Beatrix, quae nupsit Ottoni IV.

Innocentius III[us] auditis, predictum archiepiscopum Romam evocavit, qui venire pertimuit, unde, ex sentencia cardinalium tocius Romane curie, a papa excommunicatur; verum sepius vocatus, tandemque peremptorie citatus, quia venire recusavit, omni honore, dignitate, omnique beneficio, tam seculari quam spirituali, apostolica auctoritate privatur. Cui Bruno prepositus Bonnensis successit, consecratus a Sifrido Maguntino archiepiscopo Colonie, presentibus duobus episcopis, qui ad hoc ipsum jussu apostolici de Anglia illuc advenerant.

De privilegio per Philippum II[um] Romanorum regem Heinrico duci Lotharingie Confluencie concesso, et de homagio per eundem ducem dicto regi facto. Et ibi de filiabus, etc.[1]. CAP. LXIX.

« In nomine sancte et individue Trinitatis. Philippus secundus, divina 1204
favente clemencia Romanorum rex et semper augustus. Regalis excellencie provida circumspectio nobilium pariter et magnorum principum devotionem et preclara consuevit pensare obsequia, et circa eorum augmentum et honoris promocionem cum omni effectu curam et operam adhibere diligentem. Quapropter ad universorum imperii fidelium, presentis etatis et posteritatis successive, noticiam deduximus perferendum, quod accedens ad presenciam nostram, sub frequencia principum, apud Confluenciam dilectus consanguineus et princeps noster Heinricus, illustris dux Lotharingie et Brabancie, homagium nobis fecit, et de manu nostra recepit feudum, quod ab imperio tenere deberet. Nosque, ut ipse pro exaltatione nostra operosa voluntate desudet et ubique locorum imperiale commodum procuret, concedimus sibi et legitimis heredibus suis in rectum feudum abbaciam Nyvellensem, cum omni honore et eo jure quo eam imperium et nostri antecessores, Romanorum imperatores et reges, usque ad nostra tempora habuerunt. Insuper concedimus ei et heredibus suis in feudum civitatem Trajectensem, cum omnibus justiciis et appendiciis suis, extra civitatem et infra, necnon ibidem ecclesiam sancti Servacii, cum omni integritate et eo jure quo patri nostro et fratri nostro Heinrico, divis Romanorum imperatoribus, attinebat; Novimagium quoque, quod ad nostrum et imperii domi-

[1] Exstat apud Miræum, t. III, p. 75.

nium reduximus, ipsi duci in aliis recompensationibus concedimus. Item concessimus ei omne feudum, quod patruus suus comes Albertus de Dagispurg de manu nostra et imperio obtinet, ita quod ipse dux post mortem ipsius comitis in omnibus bonis sive pactis, absque cujuslibet contradictionis impedimento, si tamen comes sine herede decesserit, ei succedat. Homines quoque civitatis ducis, videlicet Orten, que nunc Silva dicitur, et Thiele, per totum imperium in exactione thelonii eandem habebunt justiciam et libertatem, quam habuerunt temporibus patris et fratris nostri, et proinde homines nostri in terra ducis ab onere exactionis liberi erunt.

» Insuper regia auctoritate statuimus et memorato duci concedimus, ut filie sue, si masculum heredem non habuerit, in feudis suis libere ei tamquam masculi succedant. Demum regia benignitate in rectum feudum concedimus ei annuatim sexaginta caratas vini, quarum media pars apud Boperdiam, reliqua pars apud Baldebern in Alsacia tempore vindemie ei persolvetur. Compromissum est eciam ex parte nostra et ipsius ducis, quod omnium amicorum nostrorum fidus erit amicus, et adversariis nostris inimicabitur, et nobiscum eos districte persequetur, nec aliquem manutenebit. Et nos eciam ipsum ducem in omnibus manutenebimus, et nulli inimicorum suorum contra eum auxilium vel consilium prestabimus. Ut autem hec omnia rata semper permaneant et inconvulsa perseverent, hanc paginam exinde conscriptam sigilli nostri caractere jussimus communiri. Hujus rei testes sunt : Adolphus Coloniensis archiepiscopus, Diethalmus Constanciensis episcopus, Conrardus Spirensis episcopus; comes Wilhelmus Juliacensis, comes Arnoldus de Altenach, comes Otto de Gelre, comes Silvertus de Werda, comes Heinricus de Geminoponte, comes Ernestus de Velseki, Otto de Buren, Cono de Mintsenberg, Heinricus dapifer de Walpurg, Wernerus et Philippus frater ejus de Boulandia, Conrardus puer de Boperdia, Reinhardus de Lutre et alii quamplures. Insuper concedimus duci universa bona constituta ultra Mosam, que antea comes de Loen ab ipso duce in feuda acceperat, imperio attinencia. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° IV°, data Confluencie, II° ydus novembris, indictione VIII^a. »

Eodem tempore Heinricus, major filius Heinrici ducis Lotharingie, desponsavit Mariam, filiam Philippi II^i Romanorum regis, quam postea[1] duxit in uxorem, cum matrimonii solempnizatione, in facie eclesie.

[1] Scilicet anno 1207.

De confederacione inter Theodericum episcopum Coloniensem et Heinricum ducem predictum[1]. Cap. LXX.

« In nomine sancte et individue Trinitatis. Theodericus, Dei gracia sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopus, cunctis Christi fidelibus imperpetuum. Notum facimus presentibus et futuris, quod ab antiquo[2] inter ecclesiam Coloniensem et archiepiscopum, ex una parte, et ducem Lotharingie ac terram suam, ex altera, confederata est dilectio et confirmata confederatio. ut nulli aliorum hominum amicicie vel discordie possent vinculum hujus confederationis et dilectionis dissipare. Placuit igitur nobis, ex consilio priorum, nobilium, ministerialium, burgensium nostrorum, ex una parte. et Heinrico duce ac fidelibus suis, ex alia, istam dilectionis confederationem innovare, et tam in nobis quam in successoribus nostris firmitate perpetua roborare. Unde, ut ex utraque parte istud vinculum confederationis indissolubile in omne evum permaneret, Heinricus dux Lotharingie, fide interposita, firmiter ac fideliter promisit, quod ecclesie Coloniensi, et nobis specialiter, omni consilio et auxilio in juris sui conservatione contra omnem personam totis viribus assisteret, et, nulla occasione vel suggestione, a tuicione Coloniensis ecclesie et nostro adjutorio discederet. Nos autem idem et eadem confirmatione, versa vice fide interposita, quod prius juramento fuit confirmatum, duci Heinrico innovamus. Ut autem hoc factum stabile et inconvulsum permaneat, presentem paginam inde conscribi, et nostri sigilli impressione, priorum, necnon et nobilium civium, quorum nomina subscripta sunt, dignum duximus confirmari. Hujus rei testes sunt : Engelbertus prepositus major, Conrardus major decanus, Tirricus prepositus sancti Gereonis, Oliverus scolasticus major; Gerardus comes Gelrensis. Tirricus comes de Clivo, Wilhelmus comes Juliacensis, Heinricus comes de Seyna, comes Adulphus de Monte, Georgius comes de Wiede, Heinricus comes de Kessele, Rutgherus de Merchem, Otto de Wickerode; Galeramus et Heinricus fratres, ministeriales, Hermannus advocatus, Godefridus camerarius, Tirricus de Rosslair, Franco pincerna, Wilhelmus Stilline, Gerardus Saphirus, Johannes de Brintgarim, Apollonius Clenegedane, Enghebrandus de Sancta Columba, Richolsus Perfusus, Hermannus Grim et alii quamplures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° VIII°. » 1208.

[1] Vide Miræi *op. diplom.*, t. I, p. 406. [2] Vid. supra, p. 121.

Philippus rex depopulatur dyocesim Coloniensem; et eciam qualiter occiditur. Cap. LXXI.

Philippus ergo rex Spire curiam habuit, cui Adolphus depositus se exhibuit, super contricione et dejectione sua consilium et auxilium satis humiliter deprecans. Cui rex compaciens, electo exercitu archiepiscopatum Coloniensem devastando ingreditur, preteriensque Coloniam Nusciam accepit, Adolpho deposito eam resignavit, sicque reversus viam qua venerat, in confinio Regiomagi et Synyge cum exercitu exposuit, et montem quendam, dictum Gymnich, super fluvium Are preoccupans, castrum satis firmissimum in ipso construxit: nomenque urbis Lantzcrone nuncupatur. Hic, licet etate juvenis, potencia tamen clarus et pietate precellens, domi miliciaque optimus, largitate serenus et omnium virtutum insigniis precipuus, a Bertholpho palatino de Wittilinbach crudeliter et, proch dolor! nimium miserabiliter occiditur [1]. Unde rex Bohemie ceterique amici et cognati ejus, de morte talis et tanti principis quamplurimum condolentes, tamque inauditum facinus impunitum transire non pacientes, urbes, castella et omnia que predicti palatini essent, ubi poterant, diripiendo devastare ceperunt, ipsumque unanimi conspiratione insequentes de loco ad locum profugum incedere compulerunt: quem Heinricus de Kalatin tandem pro morte ejusdem occidit.

Bruno archiepiscopus Coloniensis obiit, cui Theodericus prepositus Sanctorum Apostolorum successit. Cap. LXXII.

Igitur apud Franckenvort curia celebris quinquaginta principum habita, a quibus omnibus, Philippo occiso, rex Otto quartus votiva concordia et unanimi inspiratione in regem est declaratus, et in regno feliciter sublimatus. Sicque divina sibi favente clemencia, tocius regni monarchiam, LXXX° VIII° loco ab Augusto, solus obtinuit: ibi eciam Philippi regis occisi filiam desponsatam sibi accepit uxorem [2]. Qui mox, collectis undique copiis, atque tocius Germanie electis stipatus militibus mille quingentis, in mense augusto in Ytaliam proficiscitur, ubi simili modo, congregato

[1] Die 23 junii 1208.

[2] Nomine *Beatricem*. Vid. supr. 140.

non modico exercitu, cum innumera multitudine bellatorum Romam usque tetendit. A papa Innocencio III° cum immenso exultacionis tripudio gloriose susceptus, pridie kalendas octobris apud sanctum Petrum cum dyadematis necnon Augusti nominis dignitate, in imperatorem feliciter est coronatus, anno Domini M° CC° IX°, anno vero regni sui XIII°. Quo coro- 1209.
nato mox guerra inter dominum papam et eum oritur pro quibusdam prediis satis magnis et latis, et precipue pro terra domine Mechtildis, que omnia papa ecclesie Romane, imperator vero regno attinere contestabatur: atque hec altercatione aliquo tempore contendentes, cum neuter alteri cederet, papa imperatorem excommunicavit [1].

De quadam sentencia ad postulationem Ottonis regis apud Spiram lata per principes pro abbatissa Nyvellensi [2]. Cap. LXXIII.

« In nomine sancte et individue Trinitatis. Otto divina favente clemencia Romanorum rex, semper augustus, per suas certi tenoris literas, datas apud Spiram, anno Domini M° CC° IX°, indictione XII^a, XVI° kalendas 1209.
julii, notum fecit, quod accedens ad ipsum fidelis sua Berta [3], Nyvellensis abbatissa, flebili querimonia proposuit, quod Philippus tempore discordie sue, contra jus et libertatem imperii, ipsam et ecclesiam suam ab imperio alienasset, et in manus Heinrici ducis Lotharingie contulisset : principum vero dictavit sentencia, quod ipse rex eandem abbatissam et ecclesiam non potuit ab imperio alienare, sed in omni jure, honore et libertate, sicut ad ipsum devenit, ipsam conservare teneretur. Et hanc itaque sentenciam, assensu principum imperii legitime approbatam, regali auctoritate firmavit: et in irritum deduxit eam donationem, quam Philippus aliquando predicto duci per scriptum suum et privilegium de ipsa fecerat, prout in predictis literis plenius continetur.

[1] In MS. cod. Johannis Miræi sequitur : *Dederat Philippus romanus rex Henrico I duci Lotharingiae in feudum abbatiam Nivellensem, ut ex praecedentibus patet* (vid. p. 141); *verum de eo conquerente abbatissa ejusdem loci apud Ottonem regem, donatio Philippi annihilatur, ut ex sequentium tenore patet.*

[2] Cfr. Ottoniani diplomatis fragmentum apud Miræum, t. I, p. 754.

[3] Bertha II quae post Bertham I abbatiae praefuit ab an. 1183.

Qualiter, ad monicionem ducis Heinrici, Philippus marchio Namurcensis, de mandato heredum comitis Flandrie, eodem Heinrico fecit homagium de terra de Alost, ut in litera sequenti [1]. Cap. LXXIV.

1209. « Ego Philippus marchio Namurcensis notum facio universis, presentibus pariter et futuris, quod, cum post mortem karissimi avunculi mei, pie recordationis Philippi, illustris comitis Flandrie, comitis Hannoniensis, Balduinus pater meus et mater mea Margareta, dicti Philippi soror, ratione sanguinis terram Flandrensem jure hereditario adepti essent, illustris princeps Heinricus, dux Lotharingie, ut decuit, pretaxatos, patrem meum scilicet et matrem meam, decenter submonuit, ut ipsi de terra de Alost ei facerent homagium, sicut jus suum exigebat; prenominati vero pater meus et mater mea, de voluntate sua, consentiente et approbante eorum filio primogenito, Balduino fratre meo, Constantinopolitano imperatore, postmodum Flandrie et Hannonie comite, me, qui post primogenitum major natu inter filios eorum existebam, prefato duci ad supradictum faciendum obtulerunt. Ipse vero dux de tota terra de Alost, et de ejus appendiciis omnibus et justiciis, que protenduntur a ponte Gandavi, qui dicitur pons Brabantinus, usque ad pontem de Aldenardo, hominibus suis astantibus, me legitime feudavit, et ego de prefata terra, et de appendiciis omnibus et justiciis, prefato duci feci homagium legitimum. Quod ut ratum et inconvulsum permaneat, sigilli mei appensione communivi. Datum Lovanii, die Martis ante festum sancti Andree apostoli, anno Domini M° CC° IX°. »

Per idem tempus apud Hispaniam, que terra sancti Egidii dicitur, in civitate Tholosa, heresis quedam, cujus cultores Beggini denominabantur, emergens ramos sue perversitatis in brevi longe lateque nimium propagando in tantum descenderat, ut non solum humiles atque mediocres, verum etiam primores ac principes tocius Hispanie, cum aliarum provinciarum capitaneis, necnon innumerabili multitudine sexus utriusque, hujus perversi dogmatis error involveret. Sed ne virus tam execrabile lacius in omnem orbem catholicum irrumperet, et ecclesia decrementum in suorum desolatione membrorum sustineret, multi ex regno Theutonicorum atque Francorum aliisque nationibus, zelo justicie accensi, pro nomine

[1] Vide Miræum, *op. cit.*, t. I, p. 407, et Butkens, *Trophées de Brabant*, t. I, *Preuves*, p. 61.

crucifixi vestimentis crucibus affixis, pro jam dicta heresi destruenda in partes occiduas se properaverunt. Abbas quoque Cisterciensis, vir mire probitatis et industrie, de consilio et mandato domini pape Innocencii ac consensu tocius ordinis, cum nonnullis suorum prono animo sese comitantibus illuc se transferens, multa ibi viriliter operatus est. Cui ex Hispania Theodericus Exoviensis episcopus, secum habens fratrem Dominicum in comitatu, pro hereticis convertendis adjunctus erat : qui Dominicus ordinem Predicatorum primus incepit. Que videlicet heresis dum adhuc in cordibus quorundam pullularet, comprehensi sunt ejus sectatores XIIII apud Parisios, tam clerici diversi ordinis quam layci : qui per episcopum Parisiensem examinati flammis exusti sunt ibidem. Hii dyabolicis adeo irretiti machinationibus erant, ut nec in ipso mortis articulo nullum in eis posset perpendi penitencie indicium, sed mente obstinata ultro atque certatim corporis et anime sese ingerebant supplicio.

De bello inter reges Francie et Anglie. Cap. LXXV.

Bellum inter Ludovicum regem Francie et Johannem regem Anglie recrudescit, unde rex Francie maximam multitudinem navium parari, easque rebus omnibus, quibus ad bellum uti solet, onustari precepit, ut hiis mare cum exercitu transiens, terram Anglie improvise invaderet. Sed exercitus regis Anglie, ejus insidias preveniens, repente navigio supervenit, naves invasit, quadringentas eciam et paulo plures cum omni apparatu suo secum abduxit. Johannes vero rex Anglie, convocatis ad se principibus et primis regni sui, quidquid per multum tempus secum pertractans deliberasset, omnibus aperuit, scilicet profectionem in Franciam, ad injurias a rege Francorum sibi jam pluribus annis illatas ulciscendas, civitates, urbes, castella quamplurima, a jam dicto rege sibi violenter ablata, et, si non per pacem, per arma se utique recepturum. Quibus omnibus beneplacitum regis approbantibus, et in id votiva concordia unanimi consensu conspirantibus, utque celerius ipsa expedicio perficeretur, insistentibus, rex, missis circumquaque legatis, exercitum copiosum adunari, naves ingentes et validas fieri, frumento, vino omnique genere cibariorum onerari, instrumenta, utensilia, arma diversi generis, aurum, argentum infinitum, et omnia que tanto exercitui ad VII annos vel amplius copiose sufficerent,

habundantissime preparari mandavit. Igitur Johannes rex Anglie, confisus in fortitudine sua, cum magno exercitu et apparatu ingenti Franciam ingressus, apud Pictavum sedit aliquandiu, urbes, castella, civitates et omnia, super quibus ipse cum rege Francie jam multo tempore satis acriter altercatus fuerat, potenter recepit. Deinde pape Innocencio III° reconciliatur, unde tam ipse quam omnis terra sua a banno absolvi et a papa dilecti filii loco adoptari meretur, et non multum post obiit : cui filius ejus adhuc puer successit. Barones, qui patri suo rebellaverant, quippe ad expellendum eum regem Francie juniorem in auxilium sibi asciverant, reconciliatos sibi in graciam suscepit; processu temporis adeo invaluit, ut ipse regem Francie a finibus Anglie propulsaret, sicque fugatum quadam in civitate obsedit, quem satisfactione congrua in amiciciam suscepit.

Eodem tempore rex Ungarorum, cum per suos munitionem quandam expugnare non posset, consilio uxoris sue, matris scilicet sancte Elyzabeth, que ex Theutonica gente oriunda fuit, ex hiis, qui in terra ejus morabantur, Theutonicis sumens exercitum, jam dictam munitionem sine magno belli periculo in brevi sibi subjugavit, unde tam muneribus quam honoribus plurimis eos ampliare curavit. Ungari vero, invidentes et se tamquam viliores ac despectui haberi erubescentes, regem occidere conati sunt. Quod reginam non latuit : unde in tempeste noctis hora, omnibus sompno graviter oppressis, a regina premonitus rex cum paucis fugam iniit, ipsa cum suis in castris permanente; estimabat enim, utpote sexui feminino magis quam regi ab hostibus parcendum. Nondum rex longius processerat, cum ecce Ungari manu armata, mente efferata, in castra regis irruunt, ad occidendum regem inquirunt; quem tandem abiisse pro certo cognoscentes, more bestiali reginam crudeliter invadunt, vulnerant, manus, quas supplicando protenderat, absciderunt; sicque omni bestia crudeliores lanceis et cultris undique perfossam demum miserabiliter occiderunt. Rex, tam inhumano audito scelere, stimulo doloris vehementis in furorem et in iram exardescens, hujus criminis non solum auctores sed et fautores comprehensos crudeli et amara morte consumpsit.

Papa vero Innocencius imperatorem, quem antea excommunicaverat, atque pro bono pacis hucusque sustinuerat, nunc per totam ecclesiam excommunicatum publice denunciari demandat, unde et Sifridus Maguntinus archiepiscopus, et a papa legatus delegatus, Ottonem imperatorem excom-

municatum publice pronunciat, necnon et Theodericum Coloniensem archiepiscopum, eo quod ipse imperatorem secundum mandatum pape non solum excommunicavit, verum in omnibus communicare ei, excommunicatus celebrare et chrisma consecrare presumpserat, bona eciam ecclesiarum, quarum rectores eum pro excommunicato vitabant, depredatus est, ac quedam amicis suis et cognatis depredando contradidit. Qui cum ante episcopatum beate Virgini multum devotus extiterat, post dies paucos a malis consiliariis in tantum depravatus est, ut modicam haberet differenciam inter personas laycas et ecclesiasticas, inter rusticos et monachos, eque ab hiis et aliis thelonia recipiens, indebitis exactionibus utrosque gravans. Castrum eciam in Gudisberch de usuris cujusdam judei, quem captivaverat, edificavit, ubi sanctus Mychaël archangelus ecclesiam nomini suo consecratam habebat. Et cum esset idem locus satis fortis et ad munitionem provincie bene situs, nullus tamen in eo castrum edificare presumpsit, quia hoc non posse fieri ob predictam memoriam ab incolis referebatur. Predictus vero Theodericus hujusmodi verba non attendens, antequam muros castri perfecisset, et quia fautor Ottonis imperatoris erat, quem papa excommunicaverat, tam pro hiis quam aliis multis, quibus tyrannice et indiscrete abusus est, a Sigifrido Maguntino archiepiscopo dignitate episcopali, sicut et antecessor ejus Adolphus, privatus est; utrique tamen trecente marche ex redditibus episcopalibus sunt assignate, et ecclesie Coloniensi libera est electio remissa [1].

De theloneo navium per Strenam [2] *et Scaldim* [3]. Cap. LXXVI.

« In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus dux Lotharingie 1212.
omnibus imperpetuum. Quia ea, que solis mortalium memoriis commendantur, tractu temporis facile elabuntur, utile visum est, ut ea que memorie sunt digna, scriptura perpetuentur. Igitur presente pagina notum fieri vo-

[1] In MS. cod. Johannis Miræi sequitur : *Circa hoc tempus* (scilicet an. 1212) *promulgavit Henricus dux Lotharingie et Brabantiæ nonnulla statuta de thelonio navium per Strenam et Scaldim.* Vid. Butkens, *op. cit.*, t. I, *Preuves*, p. 61.

[2] Fluvius *Streene* in pago Stryensi, vocatur *Struona* in diplomate Ottonis I an. 966 pro ecclesia Nivellensi.

[3] Seu potius *de feudis ab Henrico I duce Lotharingie Godefrido de Breda concessis.*

lumus tam futuris quam presentibus. quod hominibus. qui thelonium navium per Strenam et Scaldim à nobis in feudum tenebant. propter insolenciam et violenciam. quam transeuntibus inferebant, sentencia hominum nostrorum et parium ipsorum fecimus abjudicari. Cujus thelonei medietatem dilecto homini nostro ligio Godefrido de Breda in rectum feudum contulimus. ea condicione quod idem Godefridus suis viribus et potestate omnibus per predictas aquas transeuntibus. quousque noster conductus extenditur. pacem faciet sine nostris laboribus et expensis; nisi forte contra eum invalesceret potencia, quod manifestum esset nostro indigere auxilio: tunc corpore proprio, si opus fuerit. et tota terra nostra ei assistere debemus. De universis navibus theloneum debentibus nos medietatem. et predictus Godefridus aliam medietatem percipiet. Sed pro vino. quod a navibus vinum portantibus prius immoderate accipi solebat, tres tantum denarios Colonienses de quolibet vase accipi decrevimus, quorum duos nobis retinuimus, tertium sepedicto Godefrido in feudum conferentes.

» Ad theloneum istud accipiendum nos propriam navem et proprium thelonarium habebimus. similiter et dictus Godefridus propriam navem et proprium thelonarium habebit. Et uterque nostrum, ubicunque voluerit. suum thelonium accipiet super aquam que Scaldis nuncupatur. Et. ut omnis mala consuetudo accipiendi vel bibendi vinum cesset. decrevimus. ut quisque thelonei nostri vel sepedicti Godefridi amministrator extiterit. si a mercatoribus vinum exegerit, vel gratis oblatum acceperit. corpus ejus in nostra erit potestate. et sine spe restitutionis exheredabitur: mercator vero, qui eis vinum preparaverit vel obtulerit. elegancius vas vini, quod in nave fuerit, amittet.

» Preterea hominibus. qui Stakerslo a nobis in feudum tenebant. propter injuriam et violenciam. quam tam in aquis quam supra terram hominibus inferebant. omne feudum de Stakerslo. meritis suis exigentibus, sentencia parium suorum eis fecimus abjudicari, et illud domino Godefrido cum omni integritate in rectum feudum contulimus. Similiter et feudum de Ossendrecht. sicut hii qui ante hoc a nobis tenuerunt. ipsi Godefrido contulimus in feudum. tali condicione adjecta quod de Stakerslo et Ossendrecht ipse in propria persona, vel heres ejus. qui Breda vel Scoten tenebit. idem feudum semper a nobis habebit. nec alium inde infeudare poterit. Item, quicunque de hominibus nostris terram domini Godefridi ad manendum

intraverit, ipse in pace eos possidebit, nisi forte milites vel filii militum vel de familia nostra fuerint; si ad nos redire voluerint sicut prius, nostri erunt. Eadem forma de hominibus dicti Godefridi observabitur, si causa manendi ad nos se transtulerint. Si vero transeuntes a nobis ad dictum Godefridum terram sub nobis habuerint, nos servicium de terra illa tam moderate accipiemus, sicut de hominibus nostris in terra eque valente et vicina illis faciemus; et idem facere tenetur idem Godefridus de terra hominum ad nos transeuncium, ne a nobis ad eum transire volentes, vel ab eo ad nos, in aliquo propter hoc ab altero nostrum deteriorentur. Si vero ab altero nostrum aliqui ad alterum recedentes in aliquo ante excesserint, vel de aliqua re eis calumpnia mota fuerit, secundum quod excessus vel calumpnia exegerit, per sentenciam nobis emendari debent. Item, quicunque homines memorati Godefridi in die hujus conventionis facte, oppida, que de novo feceramus, intraverunt ad manendum, scilicet Oesterwyc, Arendonc, Herentals, Turnout, Hoechstraten, si voluerint, ibi semper maneant, et dominus Godefridus de terra eorum in suo dominio jacente ita moderatum servicium accipiet, quale de terra hominis sui eque valente consuevit accipere, ita quod propter hoc nullum detrimentum sustineant; si vero redire voluerint, nos eos equo animo recedere patiemur. Si autem post tempus hujus conventionis facte ad predicta oppida nova vel alia, si qua nova fecerimus, libera causa morandi transire voluerint, nisi consentiente predicto Godefrido hoc faciant, bona eorum in potestate ipsius Godefridi erunt, et de eis voluntatem suam faciet, ita quod nos per hoc non offendat. Item per omnia observandum est de hominibus nostris, si forte nobis invitis ad oppida libera jam dicti Godefridi eos transire contigit. Verum si homines sui ad oppida nostra ab antiquo edificata, Buscum, Sighenem, Liram, Aerscot, Antwarpiam, Lovanium et hiis similia, causa manendi transire voluerint, libere hoc facere poterunt, tali jure quali semper ab antiquo transire solebant.

» Hec omnia, sicut prelibatum et prescriptum est, nos consanguineo nostro et fideli homini nostro ligio Godefrido de Breda et suis heredibus in rectum feudum contulimus tenendum a nobis et a nostris heredibus. E contra prefatus ligius Godefridus homagium nobis sicut domino suo ligio promisit, et juramento confirmavit, quod omnibus castris suis, tota terra sua, hominibus et ministerialibus suis et corpore proprio ipse et heredes sui omni modo no-

bis et heredibus nostris servient fideliter contra omnes homines qui mori et vivere possent. Et ad hujus rei confirmationem, ex mandtao ipsius Godefridi, specialiter omnes terre sue milites et militum filii et XII villarum homines ducenti et quadraginta ad hoc electi juraverunt, et se et suos heredes ad hoc obligaverunt, quod, si forte idem Godefridus vel ejus heredes ea que predicta sunt infregerint, vel nobis, sicut pretaxatum est, fideliter non servierint, ipsi totis viribus et bonis suis nobis sive heredibus nostris contra ipsum Godefridum vel ejus heredes servient, donec ipsum vel suos heredes ad fidele servicium nostrum revocaverint. Vice versa, si prenominato Godefrido aliquis causa nostri guerram movere attemptaverit, nos ei modis omnibus assistentes erimus; vel si aliquis eum injuste exheredare voluerit, quamdiu parere vel consilio nostro stare paratus fuerit, nos ei tamquam ligio homini nostro non deerimus : quod cum omnibus precedentibus articulis juramento confirmamus. Ut autem hujus constitutionis nostre pagina in posterum illibata et inconvulsa servetur, eam conscribi et appositione sigilli nostri cum subscriptione testium fecimus roborari. Nomina testium sunt hec : Walterus Bertholt, Gerardus de Grimbergen, Arnoldus de Ranst, Godefridus castellanus Bruxellensis, Arnoldus de Wesemale, Arnoldus dapifer, Robyn de Thenis, Wilhelmus de Ekere, Wilhelmus de Lira, Walterus de Ruman, Arnoldus Amman Antwerpiensis, Wilhelmus de Halle et alii quamplures. Acta sunt hec anno incarnationis verbi M° CC° XII°, sexto kalendas marcii. »

Qualiter dux Heinricus in quodam bello capit comites Hollandie et Gelrie, et facta pace dedit cuilibet unam filiarum suarum in uxorem. Cap. LXXVII.

Item est sciendum quod tempore dicti Heinrici ducis de novo orta fuit guerra inter eundem Heinricum ducem et Florencium comitem Hollandie et Reynaldum [1] comitem Gelrie, quos comites ipse Heinricus dux in quodam bello ambos captivabat [2]. Et tandem pace inter ipsos reformata dux dedit cuilibet eorum comitum unam filiarum suarum; videlicet Florencio

[1] Lege *Ottonem* (II seu III hujus nominis).

[2] Post bellum an. 1202 gestum (de quo supra p. 132) non reperitur aliud fuisse in quo Gelriae et Hollandiae comites a duce nostro capti sint.

comiti Hollandie Machtildem, relictam quomdam comitis palatini Rheni et ducis Bavarie, ex qua idem Florencius genuit Willelmum comitem Hollandie, postea regem Romanorum, quem Frisones occiderunt; aliam, scilicet Sophiam[1] nomine, accepit Reynaldus[2] comes Gelrie, qui ex ea genuit Ottonem comitem Gelrie, patrem Reynaldi comitis, postea primi ducis Gelrie, ut infra clarius patebit.

De guerra inter ducem Heinricum et episcopum Leodiensem, et captione civitatis Leodiensis, et de obsidione oppidi Bruxellensis. Cap. LXXVIII.

Et hic Heinricus dux, anno Domini M° CC° XII° et ducatus sui XX°, 1212
habuit maximam guerram contra Leodienses, quorum multa millia in quodam bello occidit; civitatem Leodiensem ipso die ascensionis Domini violenter et hostiliter intravit, maximam cedem et hominum stragem fecit, nemini parcendo, nec in ecclesiis neque extra; totam civitatem spoliavit, et totam illam terram incendio, homicidio et spoliatione devastavit. Et quia ecclesias violavit per hominum occisiones et sanguinis effusionem, Hugo episcopus Leodiensis ipsum excommunicavit. Anno vero immediate sequenti Heinricus dux secundam expeditionem fecit in terra Leodiensi predicta; oppidum Tongrense expugnavit et combussit, et totam illam terram iterum pervagavit, maxima dampna inferens spolio et incendio. Deinde vero metatus est castra sua in Steps prope Montenaken, ubi predictus Hugo episcopus et Godefridus comes Lossensis ipsum debellaverunt: in quo bello corruerunt fere duo millia hominum ex parte ducis, qui pro majori parte fuerunt de Lovanio et Lyra, et multo plures ex parte altera. Combusserunt eciam Leodienses et Lossenses eodem tempore oppidum Leeuwense et Landense. Quod Deus fortassis super homines ducis permisit, quia ipse dux ecclesiis Dei immunitatem non servavit, et sic fuit punitus. Istud bellum accidit II° ydus octobris, anno Domini M° CC° XIII°.

Item eodem anno M° CC° XIII° Ferdinandus, comes Flandrie et frater 1213.
regis Anglie, ac comes Bononiensis et comes Hollandie obsederunt oppidum Bruxellense, hac occasione ut ipsum Heinricum ducem astringerent, ne amplius succurreret Philippo regi Francie contra comitem Flandrie, sicuti

[1] Lege *Margaretam*. [2] Lege *Gerardus*.

hactenus fecerat : qui ipse rex auxilio ducis Heinrici totam terram Flandrie devastaverat. Tandem pace inter ipsos reformata, dux se confederavit cum comite Flandrie et aliis supradictis, et sic ab obsidione recesserunt. Et nichilominus dux dedit comiti duos filios suos in obsides, quod sibi contra predictum regem assisteret, quos secum in Flandriam duxit, sed statim duci in Brabanciam remisit eosdem.

Anno Domini M° CC° XII° Fredericus rex Sicilie, quem pater suus Heinricus sextus quondam imperator adhuc vix triennem ab omnibus principibus, summa precum instancia, in regem Romanorum eligi obtinuit, a domino Innocencio papa III° et quibusdam principibus vocatus, veniens Romam navigio, ab eisdem ac senatu et populo Romano honorifice recipitur, et ab eodem domino papa in regem confirmatur. Percepta igitur consecratione et benedictione apostolica Ytaliam pertransiens in Germaniam devenit, ubi in festo beati Andree apud Franckenfort curia habita a principibus quampluribus in regem est declaratus. Sicque magis ac magis in regno convalescens contra Ottonem IV^um^ mirifice triumphavit, et in cunctis se nobiliter agens favorem et benivolenciam omnium innata sibi liberalitate captabat.

De matrimonio imperatoris Ottonis cum filia Heinrici ducis Lotharingie, et de bello contra Philippum regem Francie. CAP. LXXIX.

1214 Anno Domini M° CC° XIIII°, mense mayo, Otto imperator IV^us^ in oppido Trajectensi duxit in uxorem Mariam filiam Heinrici ducis Lotharingie sepedicti [1]. Qui quidem Heinricus dux cum eodem Ottone imperatore ivit in auxilium Ferdinandi comitis Flandrie contra Philippum regem Francie. Et contigit quod anno predicto, VI° kalendas augusti, die dominico, in territorio Tornacensi, juxta pontem de Bovines, factum est prelium magnum inter predictum Philippum regem et dictum Ferdinandum comitem Flandrie, qui in auxilium sui exercitus Ottonem imperatorem, a domino papa excommunicatum, Heinricum ducem Lotharingie, Reynaldum comitem Bolonie, Theodericum comitem Hollandie, Wilhelmum fratrem regis An-

[1] Vid. *Recherches sur les sépultures des ducs de Brabant à Louvain*, p. 14, et *Notice sur les sceaux des comtes de Louvain et des ducs de Brabant*, p. 21.

glie, et quosdam alios comites et nobiles, cum mille quingentis militibus ferro bene armatis, et alia innumerabili gente peditum adduxerat : qui omnes uno animo decreverant, ut ipsum regem Francie caperent et totum exercitum ejus interficerent. Sed rex regum, qui nutu suo potentes deponit et exaltat humiles, optimi regis indigenciam ex alto prospiciens, dedit ei et sue genti virtutem et fortitudinem, et factum est a Domino grande miraculum, quia, qui venerant capere, capti sunt, et qui venerant interficere, interfecti sunt. Comes etenim Flandrie Ferdinandus et comes Bolonie, comes Hollandie, frater etiam regis Anglie, et multi alii potentes et nobiles milites ab ipso rege in Franciam ducti sunt captivi, et incarcerati. Otto imperator et dux Heinricus taliter se tenuerunt in unum conglobati, quod acies Francorum ipsos separare nequivit. Demum imperator, ut vidit gentis sue desolacionem in bello, et quia, qui preerant exercitui, omnes capiebantur, imminente mortis periculo vehementi stupore perterritus, scissis et diruptis insigniis imperialibus quibus induebatur, ut per hoc inimici ejus noticiam ipsius amitterent, una cum dicto Heinrico duce fugam irrevocabiliter iniit, paucis suorum sociatus.

Ad sciendum genealogiam istius imperatoris Ottonis est notandum, quod pater suus fuit ille Heinricus potentissimus dux Saxonie, quem Fredericus primus imperator Romanorum ducatu suo privavit, conferendo illum uni alteri; ducatus eciam suos Westphalie et Angarie dedit archiepiscopo Coloniensi. Mater vero ejusdem Ottonis, Saxonie ducissa, fuit filia Heinrici ducis Normannie, postmodum vero regis Anglie, qui eam genuerat ex Heleynarda, cujus ratione et jure habuit et tenuit ducatum Aquitanie. Prescripte vero ducisse Saxonie, matris Ottonis imperatoris predicti, fratres fuerunt Heinricus, Richardus, Johannes, qui cognominatus fuit *sine terra*, qui omnes fuerunt reges Anglie, unus post alium, et Gaufridus, qui fuit comes Britannie. Sorores vero ejus fuerunt : una imperatrix Constantinopolitana, uxor Alexis; secunda vero fuit uxor regis Hispanie, qui ex ea genuit Blanckam, que fuit mater sancti Ludovici regis Francorum; tertia vero, Johanna nomine, fuit uxor Wilhelmi regis Sicilie, quo defuncto habuit eam Raymundus comes Tholosanus, ex qua genuit Raymundum ultimum comitem Tholosanum, qui filiam suam, nomine Johannam, dedit postmodum in uxorem Alphonso comiti Pictavensi, fratri sancti Ludovici regis Francie predicti.

Circa idem tempus contigit res satis miranda, et ideo magis miranda quia a seculo inaudita. Circa pascha et penthecosten ex omni Theutonia et Francia, nullo hortante nec predicante, nescitur quo spiritu ducti, multa millia puerorum, a sex annis et supra usque ad virilem etatem, invitis parentibus, cognatis et amicis retractantibus, quidam aratra et currus quos minabant, alii pecora que pascebant, vel si qua alia que habebant pre manibus, relinquentes, subito, unus post alium currentes, crucibus se signaverunt, sicque, per vigenos et quinquagenos vel centenos, erectis vexillis versus Jherosolimam ire ceperunt. Cumque a multis inquirerentur, cujus consilio, cujus hortatu huic vie se exposuissent, presertim cum ante nonnullos annos reges, duces multi, plurimique populi innumerabiles, in manu valida illuc pervenientes, infecto negocio reversi fuissent; ipsos vero, adhuc etate puerili, nec robur nec vires ad aliquid agendum habere, et imo stulte, et absque deliberatione vel discretione sive ratione hoc factum attemptatum ab omnibus judicaretur, breviter responderunt in hoc se nutui parere divino, et ideo, quidquid Dominus de eis fieri vellet, ipsi libenter ac prono animo sustinere vellent. Sicque aliquantum vie progressi, quidam Maguncie, quidam Placencie, quidam vero Rome revertebantur: quidam autem Marsiliam pervenientes, utrum transierint vel non, vel quis finis eorum fuerit, incertum habetur: unum tantum constat, quod ex multis millibus qui ascenderant, vix pauci sunt reversi.

1215 Anno Domini M° CC° XV° memoratus Fredericus II^us Romanorum et Sicilie rex, multis stipatus militibus, Aquisgrani in vigilia beati Jacobi apostoli advenit, ubi a Sifrido Maguntino archiepiscopo, apostolice sedis legato, in die sancti Jacobi intronizatus, solempniter et gloriose in regem consecratus est et coronatus; vacabat enim tunc temporis Coloniensis ecclesia archiepiscopo, cujus juris erat consecrare regem.

Per idem tempus papa Innocencius III^us, interpellatus a rege et patriarcha Jherosolimitano, crucem Christi per universam terram predicari et populum ad expedicionem sancti sepulchri hortari jubet, cui primo quidem pauci, postea vero innumerabiles obaudientes signati sunt. Deinde idem papa, pontificatus sui anno XVII°, mense novembris, in basilica Lateranensi, que Constanciana vocabatur, celebravit concilium generale, pro subsidio Terre Sancte et pro statu universalis ecclesie, ubi multa utilia statuta fuerunt promulgata. In quo fuit cum patriarchis, archiepiscopis,

episcopis, abbatibus et aliis prelatis, summa prelatorum M° CCX° C°. Demum, cum propter subventionem Terre Sancte inter Pisanos, Januenses et Lombardos pacem facere intenderet, in itinere ad hoc constitutus apud Perusium est defunctus, ubi in ecclesia sancti Laurencii tumulatur : cui successit Honorius III[us], natione Romanus. Hoc tempore Engelbertus prepositus Coloniensis in archiepiscopum Coloniensem eligitur [1].

De confederatione inter Engelbertum electum et ecclesiam Coloniensem et Heinricum ducem et patriam Brabancie. Cap. LXXX.

« Engelbertus, Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie electus, omnibus 1217. presentem chartulam intuentibus salutem in Domino. Ad omnem dubietatis scrupulum resecandum universorum noticie presenti scripto cupimus declarari, quod nos vinculum amicicie indissolubilis, inter ecclesiam Coloniensem et Heinricum ducem Lotharingie suosque progenitores ab antiquo habite [2], innovare invicem ac corroborare volentes, ipsi de consilio priorum et fidelium nostrorum promisimus, juramento firmantes, quod contra omnem hominem ei jure suo [3] assistemus eidem, utpote dilecto et fideli nostro, de cujus fidei puritate certa colligimus et habemus argumenta. Ipse quoque, presentibus tam nostris quam suis fidelibus, versa vice nobis pollicitus est juramento, quod nobis ad conservanda jura et libertatem ecclesie Coloniensis erga quamlibet personam auxilium suum efficaciter impendet. Ad hujus igitur facti robur ac evidenciam presenti pagine sigillum nostrum et ecclesie Coloniensis fecimus appendi. Testes sunt : Theodericus major prepositus, Conrardus major decanus in Colonia, Gerardus prepositus sanctorum apostolorum, Gerardus prepositus sancte Marie de gradibus; Gerardus comes Gelrensis, Adolphus comes de Altena, Otto de Wickerode, Gerardus de Randenarde [4], Hermannus advocatus Coloniensis, Hermannus marscalcus de Alvetre, Theodericus dapifer, Bruno pincerna, Franco de Rotheym et alii quamplures. Acta sunt hec Colonie, anno M° CC° XVII°, III° nonas julii. »

[1] Sic legitur in MS. cod. Miræi : .....*eligitur, qui cum Henrico duce Brabantiae sequens foedus iniit.*

[2] Vide supra p. 143.

[3] Verba *ei jure suo* desunt apud Miræum, *Diplom. belg.*, t. I, p. 410.

[4] Ibid. legitur *Rordenaerde*.

Eodem quoque tempore, scilicet anno M° CC° et XVII°, multitudo cruce signatorum, alii per terras, alii navigio, versus Jherosolimam iter aggressi sunt, ubi Damiata civitas jam byennio a Christianis obsessa capitur, sed Saraceni fortuito casu contingente eam postea recuperaverunt. Deinde, scilicet anno M° CC° XVIII°, Otto imperator IV^us, postquam regnaverat cum Philippo annis XI, solus autem X, obiit XIII° kalendas junii apud Arcenburch [1] fluxu sanguinis. Fredericus itaque rex coronam et lanceam ceteraque regalium ornatuum insignia recepit ab Heinrico duce Saxonie, fratre predicti Ottonis, quondam imperatoris, datis eidem duci undecim marcharum millibus : Heinricus enim dux omnia, que fratris erant vel que sibi ipse Otto post amissum imperium undecunque congregaverat, post mortem fratris sui usurpavit.

De solempni curia apud Franckenvorde celebrata, in qua Fredericus concedit Heinrico duci tale feudum, quale a predecessore suo Philippo rege Romanorum tenebat. CAP. LXXXI.

Deinde rex Fredericus solempnem curiam apud Franckenvorde XIIII diebus habuit, ubi pluribus adunatis principibus multa de statu et utilitate regni tractata sunt : injuste monete, bella civilia, nisi de consensu et consilio regis principumque, et omnes injusticie sub judicio et pena vite a rege et principibus interdicte sunt. In eadem siquidem curia Fredericus rex, de communi consilio principum et voluntate, concessit Heinrico duci tale feudum, quale a predecessore suo Philippo Romanorum rege tenebat, prout patet in literis suis desuper confectis, cujus tenor sequitur et est talis [2] :

1219 « FREDERICUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et rex Sicilie, omnibus, ad quorum noticiam presens pagina pervenerit, salutem et suam gratiam. Notum facimus quod, pensatis meritis et inspecto diligenti servicio fidelis principis nostri Heinrici ducis Lotharingie, de communi consilio principum et voluntate, concessimus eidem tale feudum, quale a predecessore nostro, felicis recordationis Philippo Romanorum rege, tene-

[1] *Hartzbourg.*

[2] Cfr. Butkens, t. I, *Preuves*, p. 65.

bat, et per ejus patentes literas habebat confirmatum. Sexaginta vero plaustras vini, quas a nobis tenet in feudum, pro medietate recipiet apud Bobardiam, pro alia medietate apud Alsaciam : inhibentes firmissime ne quis contra hanc nostre concessionis paginam ausu temerario venire presumat. Quod si aliquis eundem super predictis vexaverit, aut quidquid molestie intulerit, sciat offensam regie majestatis se incursurum. Testes sunt : Maguntinus, Treverensis et Coloniensis archiepiscopi et cancellarii imperii, palatinus dux Bavarie, lantgravius Thuringie, comes Hollandie, marscalcus imperii, Willelmus dapifer et Philippus Boulandus et alii quamplures. Datum apud Franckenvorde in solempni curia, III° kalendas maii [1]. »

Et est sciendum quod tenor litere Philippi quondam Romanorum regis, de qua presens litera facit mencionem, habetur supra [2], in gestis ejusdem quondam Philippi regis [3].

Quod in villa de Voelne nulli jus competit, nisi duci Lotharingie.
Cap. LXXXII.

« Fredericus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et rex Sicilie, omnibus, ad quorum noticiam hec pervenerint, salutem et suam gratiam. Notum facimus universis, quod in villa, que Voelne nuncupatur, cum suis appendiciis, nulli hominum jus recognoscimus nisi fideli principi nostro Heinrico duci Lotharingie. Si quis vero super predictis ipsum inquietare presumpserit, sciat se majestati regie contraire. Et ut hec nostra recognicio eidem prosit in posterum, presens scriptum sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum in solempni curia apud Franckenvorde, III° kalendas maii [4]. » 1219.

[1] Butkens adjectum habet annum 1219.

[2] Pag. 141.

[3] Post vocem *regis* in MS. cod. Johannis Miræi additur : *Tulit etiam idem Fredericus totum jus villae de Voelne duci Lotharingue, ut ex sequentibus patet.*

[4] Anni 1219, ut legitur apud Butkens, *op. cit.* p. 66.

De sententia lata et a principibus approbata quod dux Brabancie est tutor orphanorum de universis bonis[1]. CAP. LXXXIII.

1219. « FREDERICUS Dei gratia Romanorum rex semper augustus, et rex Sicilie, universis, ad quos presens litera prevenerit. Notum facimus quod, nobis existentibus apud Franckenvorde, in presencia nostra talis fuit lata sentencia pro dilecto nostro principe duce Brabancie, et a principibus approbata, quod de universis bonis, que de ducatu suo moventur, omnium heredum, mortuis parentibus, de jure tutor habeatur. Et, quia sentencie rationabiliter late debeamus regium prestare firmamentum, ipsam regali confirmamus auctoritate : inhibendo et sub obtentu gratie nostre precipiendo, ne aliquis hominum confirmationi nostre contraire presumat : quod si quis attemptaverit, sciat se penam gratie nostre graviter incursurum. Datum apud Franckenvorde VI° kalendas januarii, indictione VII^{a}, anno M° CC° XIX°. »

Item Fredericus rex contulit Heinrico duci Lotharingie et Heinrico ejus filio Trajectum, antequam Aquisgrani coronaretur[2].

1214. « FREDERICUS, etc., universis hanc paginam intuentibus. Notum fieri vobis volumus, quod Heinrico duci Lotharingie, fideli principi nostro, et Heinrico ejus filio, pro obsequiis nobis et imperio impensis, consensu principum nostrorum et in presencia eorum, contulimus in feudum Trajectum, cum villis et rebus omnibus ad Trajectum attinentibus, ut cum aliis feudis suis hoc a modo ab imperio pure et sincere teneant. Et ut hec nostra concessio rite facta eis inconvulsa et irrefragabilis conservetur, hanc cartam eis conscribi et sigilli nostri appositione fecimus roborari. Interfuerunt enim huic facto fideles principes nostri : Theodericus Treverorum archiepiscopus, Conrardus Metensis et Spirensis episcopus et imperialis aule cancellarius, Leopoldus dux Austrie, Otto dux Meranensis, Bernardus dux Karinthie, Albertus comes de Everstein ; ministeriales nostri Wernherus de Bolandia dapifer noster, Walterus pincerna, Heinricus de Dum. Actum anno incarnationis dominice M° CC° XIIII°, indictione II^{a}. Datum apud Worsele, IIII° nonas septembris. »

Quam quidem literam Karolus IIII^{us} confirmavit.

[1] Vide Butkens, *op. cit.*, p. 66.

[2] Exstat apud Butkens, *op. cit.*, p. 64.

Idem de eodem. — « Fredericus, etc., omnibus hoc scriptum videntibus. 1214.
Notum fieri volumus quod dilecto principi nostro Heinrico, illustri duci Lotharingie, bona fide promisimus quod oppidum suum Trajectense, quod ei in feudum dedimus, a comite de Los redimemus, ita quod libere illud ei restituemus usque ad octavam pasche proximam. Et super hoc fidejussores constituimus ei principes nostros : Conrardum Metensem et Spirensem episcopum et imperialis aule cancellarium, Leopoldum ducem Austrie, Ottonem ducem Meranensem, Bernhardum ducem Karinthie, et comitem Albertum de Everstein. Et super hoc presentem paginam in testimonium dedimus, sigilli nostri appensione roboratam, qui eciam ad peticionem nostram sua sigilla apposuerunt. Datum apud Worsele, anno dominice incarnacionis M° CC° XIIII°, indictione II^a, quarto nonas septembris. »

Posthec Fredericus rex congregato exercitu Ytaliam intrare disposuit, ut benedictione imperiali sublimaretur, quam recepit ab Honorio papa tercio.

Anno Domini M° CC° XXI° Fredericus II^us, Heinrici sexti imperatoris 1221.
quondam filius, Romam cum apparatu magno veniens, honorifice a papa Honorio III° et senatu receptus est, et in basilica sancti Petri ab eodem domino apostolico imperiali benedictione sublimatus, regnavit annis XXXIII.

De constitutione Frederici imperatoris secundi super immunitate ecclesiarum ecclesiasticarumque personarum edita. Cap. LXXXIV.

Item idem Fredericus imperator, ad laudem sacrosancte Romane ecclesie et sacri decus Romanorum imperii, cupiens ut, expurgatis quorundam erroribus et iniquis statutis penitus destitutis, de cetero ecclesie et ecclesiastice persone plene forent quiete et secura pietate gauderent : ac pie et juste attendens, quod quorundam perversorum iniquitas adeo habundaret, ut non dubitarent, contra ecclesiasticam disciplinam et sacros canones, statuta sua confringere adversus ecclesiasticas personas et ecclesiasticam libertatem, edictali lege hujusmodi statuta iniqua irritavit, et precepit irrita nunciari, et omnia statuta et consuetudines, quas civitates et loca, potestates vel consules, aut quecunque alie persone contra libertatem ecclesie et personas ecclesiasticas hujusmodi edere aut servare temptarent, contra

canonicas vel imperiales sanxiones de ipsarum capitularibus, infra duos menses post ipsius legis publicationem, penitus aboleri facerent. Et si de cetero facerent et talia attemptarent, illa eo ipso decrevit esse nulla, vel eos sua jurisdictione privatos, necnon locum, ubi talia deinceps presumpta fuissent, banno mille marcharum auri fisco imperiali precepit subjacere; potestates vero, consules, statuarii, scriptores statutorum predictorum, necnon consiliarii locorum ipsorum, qui secundum statuta et consuetudines memorata judicarent, ex tunc essent ipso jure infames, quorum sentencias et actus legitimos statuit aliqualiter non tenere. Quodque, si per annum prefatarum constitutionum inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum imperium mandavit impune ab omnibus occupari, salvis nichilominus aliis penis contra tales in generalibus conciliis promulgatis.

Et insuper voluit idem imperator quod nulla communitas vel persona, publica vel privata, collectas seu exactiones, angarias vel perangarias, ecclesiis vel aliis piis locis aut ecclesiasticis personis hujusmodi imponere, seu invadere ecclesiastica bona presumeret : quod si secus faceret, et illud requisitum ab ecclesia vel imperio hujusmodi emendare contempneret, tripliciter refunderet, et nichilominus banno imperiali subjaceret, quod sine satisfactione debita nullatenus remitteretur.

Statuit insuper, quod, quecunque communitas vel persona per annum in excommunicatione propter libertatem ecclesie violatam persisteret, ipso jure similiter dicto banno imperiali subjaceret, a quo nullatenus extrahetur, nisi prius ab ecclesia beneficio absolutionis obtento.

Et insuper ordinavit, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali questione vel civili ad judicium seculare trahere presumeret, contra easdem canonicas sanxiones et constitutiones imperiales; quod si secus faceret, actor a suo jure caderet et judicatum non teneret, et judex foret ex tunc judicandi auctoritate privatus; quodque judices temporales, qui clericis et personis ecclesiasticis instanciam denegare presumerent, tercio inquisiti suam jurisdictionem amitterent.

Quam quidem constitutionem suprascriptus Honorius papa III[us], de consilio etiam fratrum suorum, sancte Romane ecclesie cardinalium qui tunc erant, auctoritate apostolica approbans et confirmans, ipsam mandavit inviolabiliter observari, necnon statutores et scriptores ac violatores prenunciatos eadem auctoritate denunciari. Que siquidem constitutio fuit

eciam per sacrosanctam et generalem synodum Constanciensem approbata, et fuerunt desuper constituti executores, VIIIº kalendas februarii, anno a nativitate Domini Mº CCCCº XVIº, apostolica sede vacante.

Procurante supradicto Frederico Romanorum imperatore IIº principes electores imperii, propter hoc apud Franckenvorde congregati, elegerunt Heinricum filium suum seniorem in regem Romanorum, qui dehinc, multis sociatus principibus, Aquisgranum venit, ubi ab Engelberto archiepiscopo Coloniensi intronizatus, solempniter et gloriose in regem consecratus est et coronatus, anno dominice incarnationis Mº CCº XXIIº, mense mayo.

Heinricus rex septimus concedit Heinrico duci Lotharingie et Brabancie omnia bona, que Philippus Romanorum rex in solempni curia sua apud Confluenciam, et postmodum Fredericus pater suus in solempni curia apud Franckenvorde concesserunt eidem, prout patet in literis tenoris sequentis. [1] Cap. LXXXV.

« Heinricus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, omnibus hoc 1222.
scriptum videntibus. Imperpetuum noverint tam presentes quam futuri quod nos, pensatis merito et obsequio, que nobilis vir Heinricus, illustris dux Lotharingie et Brabancie, nobis et imperio impendit, sibi de consilio et voluntate principum concessimus omnia, que felicis memorie Philippus Romanorum rex in solempni curia apud Confluenciam in rectum feudum concessit eidem [2], et postmodum carissimus pater noster Fredericus IIus, divus Romanorum imperator, in solempni curia apud Franckenvorde [3], de consilio et voluntate principum, sibi recognovit et concessit. Si quis vero contra hanc nostre concessionis paginam aliquid attemptaverit, vel ipsum super prefatis bonis molestare presumpserit, regie majestatis offendiculum non evadet. Testes : Sifridus Maguntinus, Engelbertus Coloniensis, Theodericus Treverensis archiepiscopi, Conrardis Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, Hugo Leodiensis episcopus, abbas Indensis; comes palatinus, Gherardus Gelrensis, Theodericus de Cleve, Florencius de Hollandia, Lutseel de Hofstade comites; Theodericus de Hemelbrech,

[1] Vide Miræi *Diplom.*, t. I, p. 413.

[2] Supra, p. 141.

[3] Supra, p. 158.

major advocatus in Colonia, dapifer Warnerus de Bollandia, et alii quamplures, tam nobiles quam ministeriales. Actum apud Aquisgranum, in solempni nostre coronationis curia, anno dominice incarnationis M° CC° XXII°, mense mayo. »

De sentencia lata pro duce Lotharingie et Brabancie, que facit mentionem de feudis et tutela parvulorum usque ad XII^um annum[1]. CAP. LXXXVI.

1222. « Noverint universi quod, cum apud Aquisgranum Heinricus rex Romanorum in solempni curia sederet pro tribunali, sub frequencia principum, precepit Heinrico illustri duci Lotharingie et Brabancie, et in fidelitate imperio prestita injunxit eidem, quod jura imperii firmiter observaret et in terra sua faceret observari : et hoc fecit tam per sentenciam principum quam per obtentum gratie imperii. Inventum igitur et sentenciatum est ibi, quod in jure feudali omnis ministerialis feudatarius eque judicare possit super feudis nobilium et ministerialium, exceptis tamen feudis principum. Adhuc sentenciatum est, quod ibi quilibet nobilis sive ministerialis feudatarius a domino suo in jure feudali prima citatione ad quindecim potest citari. Iterum, si aliquis, sive nobilis sive ministerialis, allodium ducis de duce tenet in feudum, ipse dux eum citare potest super illo allodio ad alium locum, ubi habet allodium, ubicunque voluerit; si autem illud feudum ab alio principe sit obtentum, tunc dux suum feudatarium citare potest super quamcunque partem illius feudi, quod ab alio principe descendit. Ceterum quemcumque dux de jure, sicut tenetur, citaverit, ille, si citatus non comparet ad primam citationem, emendam solvere tenetur, que *boeta* vocatur. Insuper, si dux sentenciam ab aliquo requisierit, ille requisitus tenebitur dicere sentenciam, infra terminum quo dux sedet pro tribunali illo die, nisi ipse dux de gratia sibi remittit. Ad hoc de jure feudali nullus potest esse advocatus, nisi sit ipsius ducis feudatarius : advocatum appellamus patronum cause. Additum quoque ibi est per sentenciam, quod servi per stipitem et parentelam ex parte matris provenientem sunt retinendi. Insuper, quicunque exactus fuerit pro patrono cause, ille exactus tenetur

[1] Exstat apud Butkens, *op. cit.*, p. 68.

proponere verbum illius qui ipsum exegit et negare non potest, dummodo sciat loqui usualiter. Ad hec ibidem per sentenciam fuit duci adjudicata tutela parvulorum, usque ad XII^{um} annum, de feudis que ab ipso tenent. Prolationi istarum sentenciarum interfuerunt hii principes et testes : Syfridus Maguntinus, Engelbertus Coloniensis, Theodericus Treverensis archiepiscopi, Conrardus Metensis episcopus et Spirensis, imperialis aule cancellarius, Herbipolensis et Augustensis episcopi: comes de Dietz, comes palatinus Rheni, comes Ludovicus de Wirtenberghe, comes Lutseel de Hofstade, comes de Castelle, Heinricus dapifer de Waltborch, pincerna de Lyp, Warnerus de Bollandia, Gerardus de Senseka et alii quamplures. Actum Aquisgrani in solempni curia in nostra coronatione, anno Domini M° CC° XXII°, mense mayo. »

Qualiter Heinricus dux bona sua sive allodia infrascripta ecclesie Coloniensi contulit, que Engelbertus dicte ecclesie archiepiscopus eidem duci in feudum concessit, prout in litera tenoris sequentis [1]. Cap. LXXXVII.

« In nomine sancte et individue Trinitatis. Engelbertus Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopus omnibus presens scriptum inspecturis imperpetuum. Ne rei geste finem decursu temporis consumat oblivio, literarum indiciis solet eternari. Noverint eapropter universi, quod Heinricus illustris dux Brabancie, propter dilectionem quam erga nos et ecclesiam Coloniensem habuit, ecclesie Coloniensi allodium suum Lumersheim, de consensu heredum suorum, cum omnibus suis pertinenciis contulit. Item allodium suum de Orthen, cum busco et aliis pertinenciis omnibus, excepta curia sua et atrio ecclesie, in quibus si munitionem construxerit, allodium ecclesie Coloniensis existet. Insuper allodium de Tilburch cum suis attinenciis, preter munitionem que ab episcopo Trajectensi tenetur. Item allodium de Durmal cum castro et aliis suis appendiciis. Item Hannoit cum castro et aliis attinenciis ecclesie Coloniensi contradidit. Hec autem allodialia prenominata de manu nostra cum aliis bonis suis in feudum recepit jure Brabantino. Pro hac autem donatione nos et nostri successores, necnon et ecclesia Coloniensis ipsum ducem et successores juvabimus in jure suo. 1222.

[1] Vide Butkens, *op. cit.*, p. 69.

propriis expensis nostris ubique. Idem quoque dux nos et ecclesiem Coloniensem contra quemlibet, qui archiepiscopatum violenter intraverit, vel in eo violenciam exercuerit, suis juvabit expensis. Ad hujus ergo facti robur et evidenciam presentem paginam exinde conscriptam sigillo nostro majoris ecclesie et civium Colonie sigillis fecimus communiri. Hujus rei testes sunt : Conrardus major prepositus, Goswinus major decanus, archidiaconus Coloniensis, Heinricus prepositus Campensis; Hermannus advocatus Coloniensis, Hermannus marscallus, Theodericus dapifer, Bruno pincerna, Syfridus camerarius, Goswinus de Gozenhove, Arnoldus de Waelhem, Walterus Cleutinc, Pilegrinus et Reynerus de Borhem, notarii et confactores hujus cartule, et alii quamplures. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° XXII°. »

De discordia inter Fredericum imperatorem secundum et Honorium papam tertium orta, et per Gregorium papam nonum cum anathemate renovata, Cap. LXXXVIII.

Hic Fredericus imperator II^us^, qui, prout habetur in cronica Martiniana [1], ab infancia per sanctam Romanam ecclesiam tamquam per matrem educatus et ad imperii fastigium promotus extiterat, eandem ecclesiam postmodum non fovit ut matrem, sed tamquam novercam, et quantum potuit, laniavit : propter quod Honorius papa III^us^, qui ipsum in imperatorem coronaverat, sibi rebellem et ecclesie Romane adversarium percipiens, anathematizavit, et omnes barones a sua fidelitate absolvit.

Hic papa Honorius moritur Rome, et in ecclesia sancte Marie majoris sepelitur; et dominus Hugolinus Ostiensis episcopus, in papam electus, Gregorius nonus est vocatus. Qui sentenciam, quam Honorius papa, predecessor suus, in predictum Fredericum imperatorem fulminaverat, roboravit. Hic Fredericus imperator, dum hujus Gregorii pape noni tempore et de suo mandato, cruce signatus in subsidium Terre Sancte transfretavit, ubi nichil aut modicum relatione dignum peregerat, idem papa Gregorius, prout ipse imperator narrat in quadam sua epistola regi Francie directa, regnum Sicilie invasit, et ipsum, non in parte sed multimode, laceravit.

[1] Vide Chronicon Martini Poloni, ad an. 1212.

Postmodum vero eodem Frederico imperatore ad regnum suum Sicilie reverso, ad multimodam instanciam et interpositionem suorum Alamannie principum pace inter ecclesiam et ipsum reformata, et devotione resumpta, dictus tamen apostolicus, prout ad aures ejusdem imperatoris fuerat delatum, quidquid excogitare potuit, ad ipsius precipicium excogitavit, et motu proprio, sine causa, ut asseruit, in ipsum excommunicationis sentenciam promulgavit, necnon duos legatos, videlicet Jacobum Prenestrinum episcopum et Odonem sancti Nycholai in carcere Tulliano dyaconum, cardinales, ad concilium generale convocandum, pro suo et ecclesie subsidio contra eundem imperatorem Rome celebrandum, ultra montes in Galliam transmisit. Quorum reditum ad curiam idem imperator [1].... vias per mare et per terram adeo arctare fecit, quod in redeundo de Gallia dicti legati cardinales cum pluribus prelatis fuerint capti in mari per naves Pisanorum, prout clarius patet in quadam litera sua super hoc nonnullis suis fidelibus principibus transmissa, cujus tenor sequitur sub verborum forma sequenti. Et dicitur quod, dum idem imperator de predictorum legatorum atque prelatorum captione fuerat certificatus, scripsit suis Pisanorum capitaneis hos duos versus :

Omnes prelati papa mediante vocati,
Et tres legati veniant hucusque ligati.

Tenor vero domini imperatoris litere, de qua immediate fit mentio, sequitur et est talis. « Fredericus, etc., dilectis principibus, etc. Dum ad depopulationem vicine urbis Bononie nostrum verteremus propositum et affectum, prelatorum turbam, cum Prenestrino episcopo et magistro Odone sancti Nycholai in carcere Tulliano dyacono, cardinalibus, adversaturam processibus, ex diversis provinciis congregatam, contigit suo infortunio Januam pervenisse, ubi conveniente cum eis G. de Romania, addito legato legatis, ut similiter ligarentur, et conspiratione facta cum Januensibus nostris rebellibus, galearum copiam armari fecerunt, cum quibus ad papam Romanum pro majori causa conjuraverant advenire. Ad quorum impediendum transitum ad accessum nostrum, diu ante convenire fecimus apud

[1] Verba quedam desunt; forte *impedire cupiens*.

Pisas victoriosum Ostolium galearum : pro quorum precognita monitione in locis et portubus, que latenter vel alto mari precernere non poterant, et veluti nullomodo navigabilia, transituri, eis transeuntibus potenter occurrit. et aggressis galeis nostris galeas eorum prepotentes, Dominus, qui de alto videt et judicat equitatem, viam eorum et excogitatam maliciam meditatur, et viribus et potencia nostra, quam effugere terra marique non poterant. Domino favente, legatos similiter tradidit et prelatos, et tribus eorum galeis submersis in mari, ac rebus omnibus que vehebantur, et eis, sine spe recuperationis amissis, viginti due galee, non sine magna cede navigancium, cum personis et rebus victe sunt a galeis nostris et triumphaliter captivate ; quarum sedecim specialiter obtente sunt ab hominibus regni nostri Sicilie, reliquis sex ad manus devenientibus Pisanorum. In quibus predicti tres legati, cum archiepiscopis et episcopis, abbatibus et multis aliis prelatis, nunciis et prelatorum procuratoribus, et ultra centum ambaciatores civitatum rebellium Lombardorum, qui ad prefixum ire concilium properabant, ac quatuor millia Januensium, exceptis specialibus et electis personis de Janua, qui galeis preerant et comitatui prelatorum, pro ducendis ipsis Romam et Januam reducendis, sicut inter eos fuerat infortunate conventum, ad manus nostras pervenere ligati. Ut de Penestrino illo, qui summum contra nos odium ubique jactabat, divinum non defuisse judicium arbitramur, qui, latentis lupi specie, in ovium pelle ac agni chlamide, Deum inclusum gerere non formidat ; et sciat Deum nobiscum esse, sicut in diebus eorum, qui non solum per sacerdocium, sed per regnum et sacerdocium mundi machinam statuit gubernandam. Nos ergo, suum celitus nobis Domino reservante consilium, et in plana et aspera conversatione tot sudores bellicos et estivos pulveres non vitantes, nostrum felix iter, intencionem omnimodam et conatus ad ea semper dirigimus, quod, nobis et ceteris regnantibus, excultationis et glorie afferant vel pareant incrementum, ut nos predictorum nostrorum successorum participes fieri gaudeamus, quos in omni successive felicitatis eventu cupimus habere consortes [1]. »

[1] Cfr. Raynaldi cont. Annal. Baronii ad an. 1241, t. XXI, p. 269 edit. Mansii.

De quadam alia victoria per capitaneos Frederici imperatoris contra Mediolanenses obtenta, et qualiter Gregorius papa ab imperatore obsidetur in urbe Romana. CAP. LXXXIX.

Eodem tempore in quadam alia sua epistola nonnullis suis fidelibus significavit, dum sibi nova de captione legatorum et prelatorum advenerant, consilium suum eundi Bononiam revocans, propensiori consilio versus Romam victricia castra sua (*se*) convertere (*velle*), ubi sub vexillis potencie sue ipsum fortuna felicior acclamaret, per quam reliquie, si que essent suorum rebellium, terrerentur, et, capitis humiliata superbia collapsa in suo corpore, seditionis membra tabescerent. Adjecit itaque manus Domini votis augmenta successuum, et continuavit ex celo victoriam suorum titulis triumphorum. Nam cum certa die Papienses fideles sui, una cum vicariis illarum parcium et aliis fidelibus suis, ad coarctandum viam per terram Januensibus, qui in mari prostrati fuerant, magnifice processissent, Mediolanenses, hostes imperii, suo motu precipites, sperantes majora proferre contra Papienses propter absencium suorum militum nocumenta, per commune, cum G. de Montelongo [1], quem papa prefecerat eis capitaneum et legatum, cum buccinis, tubis, sub infaustis vexillis clavium, exiverunt. Et, cum Papiensium finibus vicinassent, Papienses fideles nostri cum militibus eorum, qui die in illo sero ab exercitu ex inopinato redierant, Domino favente, pro Mediolanensium superbia conterenda, ipsorum adventu cognito, eis audacter et viriliter occurrerunt, et, sub felici nomine suo militantes, ipsos potenter aggressi triumphaliter devicerunt, capientes tubas, buccinas et vexilla clavium, et vexillum communis Mediolanensis. Quorum XXX millia de electis Mediolanensibus victos Papienses cathena deduxerunt, preter occisos, quorum vix poterat numerus extimari, prout latius in dicta epistola continetur.

Imperator vero Fredericus, tam per mare quam per terram victoria potitus, dimissa Bononia versus urbem Romanam victricia castra dirigens, magnam partem patrimonii ecclesie occupavit, dictamque urbem et papam Gregorium in eadem obsedit. Hic Gregorius, videns pene omnes Romanos per pecuniam corruptos esse, accipiens capita apostolorum, et processionem

[1] *Gregorius de Montelongo*, Romanae ecclesiae subdiaconus et otarius, sedis apost. legatus.

a Laterano usque ad sanctum Petrum faciens, animos Romanorum sic revocavit, ut pene omnes contra imperatorem cruce signarentur. Quod imperator, qui jam credebat se intraturum urbem, audiens, timens longe ab urbe recessit. Denique Gregorius papa, tantis tribulationibus concussus, anno pontificatus sui XIIII°, mense augusto, Rome migravit ad Christum [1]. Cui successit Celestinus IIII^us^, qui parum vixit; cui successit Innocencius IIII^us^, natione Januensis, qui sedit annis IX, mensibus VI [2].

Dux Heinricus confirmat ecclesie Everbodiensi curtem de Stercsele, prout in litera, cujus tenor sequitur [3]. Cap. XC.

1220. « Heinricus Dei gratia dux Lotharingie omnibus hanc paginam inspecturis salutem et noticiam veritatis. Cum infra dominium nostrum de Helmont, quod nuper ad nos devenit, ecclesia Everbodiensis curiam Stercsele vocatam, a termino qui dicitur Hoghere ten Rade, usque ad terminum dictum Hoenreboem, a Hoenreboem usque ad Scuereken, et de Scuereken usque Hoghere ten Rade, sicut rivus dividit ibidem, ab Herberto domino de Hese, canonice acquisisset, sicut in literis ipsius Herberti super hoc confectis plenius vidimus contineri : nos, ipsius curie et omnium bonorum infra terminos jacentium advocacia nobis et nostris heredibus retenta, nichilque usuagii, communitatis vel juris infra eosdem terminos aliquem vel aliquos habere perpendentes, ipsam curiam sub nostra protectione cum bonis prescriptis susceptam sepedicte ecclesie presentibus imperpetuum allodialiter confirmamus. Datum anno Domini M° CC° XX°, mense mayo. »

Heinricus dux dat conventui de Camera tres libras Lovanienses annuatim pro halecibus. Cap. XCI.

1224. Heinricus Dei gratia dux Lotharingie et marchio, pro remedio et salute anime sue et uxoris sue Machtildis ducisse et predecessorum suorum, contulit tres libras Lovaniensis monete conventui de Camera beate Marie, in eleëmosinam, de redditibus suis in Antwarpia a sculteto et scabinis ejusdem

[1] Scilicet anno 1241.

[2] Cfr. *Martini Poloni chronic.* ad an. 1229 et seqq., p. 402, edit. Suffridi Petri; Antverpiae, 1574.

[3] Vid. Butkens, *Trophées de Brabant,* t. I, *Preuv.* p. 66, et infra diploma Mariae quondam imperatricis Romanorum, datum an. 1246.

oppidi singulis annis persolvendas, ita quod dicte domus conventus in adventu Domini et quadragesima annuatim halecia habeat ad refectionem. Que quidem tres libre de redditibus ducis et bonis ubique in Antwarpia recipientur, et ad prefatum opus pietatis perpetuo in festo sancti Andree tenebuntur. Testes hujus eleëmosine donationis fuerunt Maria quondam imperatrix, filia, et Godefridus frater ejus, filius ducis, et quamplures alii, prout in predictis literis plenius continetur. Datum apud Furam, anno Domini M° CC° XXIIII°, mense marcio[1]. »

Item supradictus Heinricus dux et marchio, et Heinricus major ejus filius, per suas certi tenoris literas datas apud Lovanium, anno Domini M° CC° XXIIII°, in privicarnio, contulerunt conventui de Camera beate Marie decem bonaria silve, jacencia ad curiam de Lantsrode, tali conditione quod dictus conventus ipsam silvam vendere non poterit absque licencia ducis, et quod dictus conventus ipsam silvam custodire debeat, et eciam fossatis circumdare ad perpetuos usus dicte domus, et hoc absque aliqua contradictione forestariorum ducis, prout in predictis literis plenius continetur.

Rex Francie scribit Frederico imperatori super capcione prelatorum regni Francie, et responsiva imperatoris[2]. CAP. XCII.

« Tenuit indubitanter hactenus nostra fiducia, quod inter regnum nostrum et imperium vestrum, longo tractu temporis mutua dilectione firmata, nulla posset exoriri materia odium vel scandalum paritura, cum predecessores nostri, felicis memorie reges Francie universi, usque ad hec tempora nostra honorem imperii et sublimitatem zelaverint, et nos, qui post ipsos Deo volente regnamus, in eodem proposito tenebamur, necnon antiqui Romani imperatores et nostri proximi unum et idem regnum et imperium esti-

[1] Vid. Butkens, *op. cit.* t. I, *Preuv.* p. 70.

[2] In MS. cod. Johannis Miræi haec adscripta leguntur: *Fredericus imperator, dum non solum legatos et praelatos papae detineret captivos, verum etiam magnam partem praelatorum regni Franciae, qui cum praedictis Romam concilii ineundi gratia tendebant, Philippus rex scripsit pro eorum liberatione ad imperatorem epistolam sequentem.* Notandum literas illas non quidem a Philippo Augusto, sed a S. Ludovico IX fuisse scriptas, an. 1241 (vid. supra p. 168); suam enim ad liberandos e vinculis Gallicanos praesules auctoritatem adhibuisse S. Ludovicum refert Nangius in *Gestis S. Ludovici*, apud Duchesne, t. V., p. 336, ubi leguntur similes fere literae S. Ludovici.

mantes, unitatem, pacem et concordiam servaverunt, et inter eos alicujus dissencionis scintilla non illuxit. Verum admirari cogimur vehementer et non sine ratione turbari, quod, nulla offensionis causa vel materia precedente, prelatos regni nostri ad sedem apostolicam procedentes, cui tam ex fide quam ex obediencia tenebantur, nec ejus poterant recusare mandata, in mari capi fecistis, et eos sub gravi custodia tenetis : quod magis moleste ferimus quam majestatis vestre sublimitas forte credat. Nam, sicut ex eorum literis manifeste didicimus, nichil contra imperialem celsitudinem excogitaverant, eciamsi summus pontifex esset ad aliqua minus debite processurus : unde cum in eis nulla detencionis[1] causa inveniatur, deceret celsitudinem vestram prelatos regni nostri debite restituere libertati; in quo nos vobis pacatos reddetis, qui detentionem ipsam injuriam reputamus, et regi sublimi multa fieret detractio, si super talibus taceremus. Quod si predicta ad vestre mentis oculos vultis reflectere, Prenestinum episcopum et alios legatos ecclesie in prejudicium vestrum volentes subsidium implorare, manifeste repulimus, nec in regno nostro contra majestatem vestram potuerunt aliquid obtinere. Provideat igitur imperialis providencia, et ponat in statera judicii ea, que diximus[2], nec velit trahere locum a potencia vel a velle[3] : nam regnum Francie non est adeo debilitatum, quod se permittat vestris calcaribus perurgeri. »

Responsiva Frederici imperatoris ad literam regis Francie precedentem[4] : « Regie serenitatis literas imperialis excellencia intellexit : que si non haberent in medio contradictionis obstaculum, fuissent fortasse apud nos propositum consecute. Sed, quia modico fermento tota massa corrumpitur, et universalem destruit totam falsitas singularis, constat illa regia scripta sine virtute medii conclusisse : quod evidenter ex factis nostris ostendimus, que sunt omnibus manifesta. Notum est enim, et mundus celare non potest, qualiter dudum pater ille apostolicus innocenciam nostram utroque gladio impugnavit, dum, nobis ad mandatum suum transfretantibus, idem adversarius noster et hostis Sicilie regnum invasit, et ipsum non in parte sed multimode laceravit : postmodum vero, post reditum nostrum in regnum,

[1] Alias *gravaminis*.

[2] Alias *mandamus*.

[3] In aliis codd. legitur : *ne velit trahere locum a potentia vel voluntate.*

[4] In cit. cod. Johannis Miræi legitur : *Cui praecedenti epistolae regis Franciae respondit imperator, ut sequitur.*

ad multimodam instanciam et interpositionem nostrorum Alemannie principum, pace cum ecclesia reformata, devotione resumpta, eciamsi servicia nostra processerint, dictus tamen apostolicus manus suas fortius aggravavit, et motu proprio, sine causa, in nos excommunicationis sentenciam promulgavit, literis et nunciis nostre diffamationis titulos predicans universis. Novissime autem, ad supplantationem nostram aspirans, ut adversus turrim David turrim Babilonis construeret, prelatos, quoscunque potuit, ad particulare concilium evocavit, orientem preponere cupiens aquiloni. Verum mirabilis Dei providencia, per quam vivimus et regnamus, hujus pravitatis ipsius prospiciendo propositum, ac ipsius cogitationes vertens in nichilum, cardinales et prelatos tam regni Francie quam aliarum provinciarum conclusit in manibus nostris, quos omnes tanquam hostes nostros et adversarios detinemus. Nam ubi non deficiebat persecutor, non debebat deesse defensor, presertim cum imperium transcendat hominem, et leonis vestigia animalia singula pertimescant. Non igitur regia celsitudo miretur, si prelatos Francie in angusto tenet Augustus, qui ad Cesaris angustias intendebant [1]. »

Confirmacio Heinrici imperatoris pro abbacia Nyvellensi; qualiter imperator concessit quod Heinricus, filius ducis Lotharingie, possit occupare bona, si pater suus aliqua ad manus transferret alienas; qualiter episcopus Coloniensis duci Lotharingie assistere promisit; item de privilegio pro incolis de Buscoducis et de piscatura in flumine Zenne. Cap. XCIII.

Heinricus Romanorum rex, in solempni curia sua apud Aquisgranum, 1227
anno dominice incarnationis M° CC° XXVII°, III° kalendas aprilis, indictione XV^a^, confirmavit Heilwigi abbatisse Nyvellensi [2] privilegia sue eccle-

[1] Ex Guilielmo de Nangiaco et aliis scriptoribus constat, S. Ludovicum acceptis Caesareis literis abbatem Cluniacensem misisse ad Fredericum II cum priori epistola regia; qua visa, Fredericum percitum metu Gallicanos praesules e vinculis demisisse.

[2] Helwidis memoratur an. 1225 in charta Henrici I Brabantiae ducis (apud Miræum, *Op. dipl.* t. I, p. 742), eaque est abbatissa de Nivella quae an. 1218 ratum habuit pactum Egidii de Bruxella et Ottonis de Trasignies cum ecclesia Ninivensi. Liquet itaque ex hisce Henrici VII literis, Helwidem obiisse non quidem anno 1215, ut asserit Chronicon Cisterciense Miræi, neque anno 1225, sed vitam produxisse usque ad an. 1227. Nulla autem suadet ratio, ut duplex Helwidis in serie abbatissarum Nivellensium admittatur.

sie a divis Romanorum imperatoribus et regibus collata, videlicet domino Frederico imperatore proavo suo, Heinrico imperatore avo suo, necnon Frederico imperatore patre suo [1], ac preceptis apostolorum patrum Clementis atque Leonis confirmata, prout in literis desuper confectis plenius continetur.

1230 Supradictus Heinricus rex Romanorum per suas certi tenoris literas, datas Frideburch, anno gratie M° CC° XXX°, proxima III^a dominica post festum pasche, concessit Heinrico, majori filio illustris ducis Lotharingie, cujus uxor et mater dicti filii fuit mortua, quod si idem dux de bonis, que possideret, aliquid alienaret, vel in manus transferret alienas, quod dictus Heinricus de eisdem bonis possit intromittere et ea occupare licenter ad usus suos et tenere [2].

1230 Concessit etiam Heinricus Coloniensis ecclesie archiepiscopus Heinrico duci Lotharingie litteras, quibus cum in jure contra quoscumque se astiturum promisit, ut sequitur : « Nos Heinricus Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopus notum facimus universis presentem cartham inspecturis, quod nos dilecto et fideli amico nostro Heinrico duci Lotharingie, qui multa et preclara nobis et ecclesie Coloniensi obsequia exhibuit, contra omnem hominem in suo jure assistemus. In cujus rei testimonium presenti pagine sigillum nostrum fecimus appendi. Datum Colonie, proximo sabbato ante festum Marie Magdalene, anno Domini M° CC° XXX°. »

1233 Item Heinricus Romanorum rex et semper augustus, per suas certi tenoris literas datas apud Norimberg, anno Domini M° CC° XXXIII°, XIIII° kalendas octobris, indictione VII^a, ad instantem postulationem predilecti affinis sui Heinrici, majoris filii illustris Heinrici ducis Lotharingie, universos homines suos de nova civitate apud Silvam [3], qui tunc ibi fuerunt et in posterum illuc ad manendum convenirent, exceptis suis hominibus, qui ibidem recipi non deberent, a theloneis suis, que ipse ubique in Reno ad manus suas habuit, imperpetuum absolvit, et de rebus que sunt nullum persolverent theloneum, nullaque in eos vel res ipsorum fieret exactio, ipsique aliorum res nec deferrent nec negociarentur, prout in eisdem literis plenius perfectiusque continetur et habetur.

[1] Vide supra, p. 145.

[2] Literae illae datae fuerunt Fridebergae die 28 aprilis an. 1230. Cfr. Butk., *op. cit.* t. I, *Preuv.* p. 78.

[3] Vid. supra, p. 123.

De piscatura in flumine de Zenna concessa sororibus ordinis Premon- 1234
stratensis ecclesie beate Marie apud Humbeke[1] : « Heinricus Dei gratia dux Lotharingie omnibus presens scriptum inspecturis salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus quod nos, pro remedio anime nostre, ecclesie sancte Marie de Humbeke et sororibus ordinis Premonstratensis in ea Deo famulantibus[2], piscaturam in flumine, quod dicitur Zenna, a ponte de Zempse usque ad pontem de Heffene, in perpetuam contulimus eleëmosinam, ita quod nemini liceat in eodem flumine aliquo modo piscare infra spacium prescriptum, nisi de speciali licencia ecclesie memorate. Ut autem hec eleëmosina rata et inconvulsa permaneat imperpetuum, presentem paginam sigilli nostri munimine duximus roborandam. Hujus rei testes sunt : Everardus cantor Lovaniensis, Walterus dapifer, cognomento Cluetinc, Walterus de Huldeberga, dictus Care, Bernardinus scultetus de Buscho, villicus Arnoldus de Aerschot, Godefridus de Huldeberga, notarius ducis, et alii quamplures. Datum apud Furam, anno Domini M° CC° XXXIIII°, in vigilia annunciationis dominice. »

De victoria Heinrici, majoris filii Heinrici ducis Lotharingie et Brabancie, contra Stadingos. Cap. XCIV.

Heinricus, major filius Heinrici ducis Lotharingie et Brabancie, eodem suo patre adhuc vivente, et anno ducatus sui XXXIIII°, de mandato summi pontificis, scilicet Gregorii pape noni, cruce signatus contra hereticos perfidos, qui expulsis sacerdotibus et clericis ad prophanam sectam ydolatrie reversi fuerunt, scilicet civitatem et terram Stadingensem, Bremensis dyocesis, profectus est cum valido exercitu hominum armatorum, non ipse solus sed quamplures principes alii, scilicet Florencius comes Hollandie, et Theodericus comes Clivensis, et alii nobiles eciam cruce signati, inter quos ipse eminencior fuit. Qui sua industria et virtute in Stadingos, qui in acie quasi inaccessibiles erant, a latere viriliter irruens, aciem ipsorum irrupit.

[1] In cit. cod. MS. Johannis Miræi sic legitur : *Concessit similiter Henricus dux Lotharingiae sororibus vallis ordinis Praemonstratensis ecclesiae Beatae Mariae apud Humbeke piscaturam in flumine de Zenna, ut sequitur.*

[2] De praepositura Vallis Liliorum, Mechliniam translata, vide Sanderi *Brabant. illustr.* t. I, p. 408.

et, veluti herba pratorum rescisa ante acumen falcis cadit, ita ferro cedit, stravitque supradictam aciem, adeo quod in illo conflictu plus quam quatuor millia hominum ex Stadingis corruerint. Et deinde civitate spoliata et concremata, totaque terra depopulata et devastata, et ceteris, qui in bello non interfuerunt, unacum mulieribus et parvulis occisis, in patriam Brabancie cum gaudio victoriose remeavit.

De obitu Heinrici hujus nominis primi ducis Lotharingie et Brabancie, et de fundacione capellanie sive altaris trium Regum in ecclesia Coloniensi. Cap. XCV.

Supradictus vero Heinricus, Lotharingie et Brabancie hujus nominis dux primus, in ecclesia majori Coloniensi fundavit altare sanctorum trium Regum, ob reverenciam et honorem eorundem, necnon ad memoriam in dicta ecclesia perpetue faciendam, illudque dotavit XII marcharum redditibus annis singulis, ob sue suorumque predecessorum et successorum, ducum Brabancie, animarum remedium et salutem. Cujus collationem vacationis tempore spectare voluit ad decanum ecclesie predicte, prout in literis desuper confectis plenius continetur. Obiit Colonie, anno Domini M° CC° XXXV°, anno ducatus sui LII°, cui successit filius suus Heinricus II^{us}. Hujus Heinrici ducis primi corpus exanime transportatum fuit de Colonia ad Lovanium, et ibidem inhumatum honorifice, ut decuit, in ecclesia sancti Petri ibidem, ubi uxor sua prima et Maria imperatrix filia sua eciam jacent sepulte. Maria vero ultima uxor ejus, filia regis Francie, est tumulata in ecclesia monasterii Haffligemensis [1].

De Heinrico hujus nominis Lotharingie et Brabancie duce II°, ac liberis et gestis ejusdem. Cap. XCVI.

Mortuo autem Heinrico Lotharingie et Brabancie hujus nominis duce primo, sibi successit Heinricus major filius ejus, qui cognominabatur Ma-

[1] Cfr. *Recherches sur les sépultures des ducs de Brabant à Louvain*, p. 8 et suiv., et *Bulletins de la Commission royale d'Histoire*, t. II, 2^{me} série, p. 82.

gnanimus, hujus nominis dux IIus [1], qui ex Maria, Philippi IIi Romanorum regis filia, quam genuerat ex filia imperatoris Constantinopolitani, genuit Heinricum IIIum ducem, qui sibi in ducatu Lotharingie et Brabancie successit, et quatuor filias. Quarum primam, nomine Machtildem, duxit comes Arthesie et sancti Pauli, frater regis Francie, qui ex ea genuit Robertum comitem Arthesie [2]. Secundam, nomine Mariam, duxit Heinricus [3] dux Bavarie, qui ipsam innoxiam malo usus consilio decollari fecit, propter quod condignam penitenciam et emendam maximam fecit, tam vi armorum quam juris rigore compulsus [4]. Terciam vero filiam, Beatricem nomine,

[1] Cfr. *Notice sur les sceaux des comtes de Louvain et des ducs de Brabant*, p 25.

[2] Cfr. *op. cit.*, p. 26.

[3] Lege *Ludovicus*. Hic est Ludovicus II, dictus *Severus*, qui Bavariae ducatum adiit anno 1253, et vita defunctus est anno 1294, die prima mensis januarii.

[4] Maria nupsit Ludovico II Bojorum duci, sed paulo post ab eo praecipiti iracundia et ex levi suspicione innocens interfecta est anno 1256, die 18 januarii. A Radero *Beata* appelatur, t. II, p. 295-307 *Bavariae sanctae*, ex quo opere quaedam hoc loco addenda esse duxi.

Dum Ludovicus cum exercitu suo praedones ad Rhenum persequitur, Maria uxor illius, cum Elisabetha regina Siciliae, Werdeae (quam hodie Donawerdam vocamus) habitabat. Binas literas uno quidem annulo, diversa tamen cera, atra et rubra, obsignatas, illas marito, alteras Ruchoni decurioni equestri, secreta quaedam continentes, mittit. Nuncius ordinem epistolarum invertit, et illas Ruchoni destinatas Ludovico porrexit. Maritus sententiam epistolae non assecutus, et amatoria agi suspicatus, dissimulata re, relicto ad Rhenum exercitu, paucis comitatus ad uxorem ex insperato venit. Mox iracundia percitus, nec prece nec lacrymis sororis reginae commotus, absque ulla cunctatione vel causae discussione, uxorem innocuam adulterii condemnat et securi percuti jubet. Eodem iracundiae impetu agitatus, arcis praefectum per satellitem interfici jubet. Tum veluti sceleris complices Helicam de Brennenberga, nobilem ex Mariae gynaeceo virginem, pugione confodit; aulae praefectam, clarissimam matronam cujus nomen non proditur, ex alta turris arce praecipitem deturbari imperat; nuncium vero, qui literas ad se detulit, ferro necavit. Ita quinque funeribus irae litatis furor indignantis resedit.

Rucho, errore cognito, ducissae aliorumque caede monitus, provincia excessit, ubique suam et Mariae innocentiam lacrymis, verbis et tabulis contestatus, ita causam omnibus comprobavit, ut ipse Ludovicus, posteaquam ira mente decesserat, magnitudinem facinoris sera aestimatione perspiceret, sanguineque uxoris cruentus vehementer erubesceret. Fuit autem ille Rucho comes sylvestris, ut aiunt, ex Ottonis Wittelspachii stirpe, qui Philippum Caesarem interfecit (Vid. supra, p. 144).

Maria sepulta fuit in abbatiali monasterio sanctae Crucis Canonicorum Regularium in Donawerda, ibique positum a Frederico abbate mosolaeum cum hac inscriptione, quam suo tempore exstitisse in loco interiore domus capitularis, ait Kham in *Hierarchia August. part. III*, pp. 252 et 255 : ANNO DOMINI MCCLVI, XV KAL. FEBRUARII, IN CASTRO WERDENSI OBIIT DOMINA MARIA DUCISSA BAVARIE, FILIA DUCIS DE BRABANDT.

Addit Raderus ex MS. cod. Werdensi, Ludovicum prima statim nocte, quae caedem secuta est, tantis curarum fluctibus agitatum, ut non solum somnum capere non posset, sed urgentibus Mariae manibus adeo exagitaretur, ut qui juvenili deco-

duxit in uxorem Heinricus lantgravius Thuringie, postea electus in regem Romanorum post depositionem Frederici IIi, qui parum vixit; quo defuncto

raque coma (septimum enim et vigesimum annum agebat), barbaque florente se cubitum contulisset, per noctem ita incanuerit, ut senem septuagenarium mane referret.

Rem illam sequentes versus, invenusti quidem ac barbari, ita demonstrant :

Post bis sexcentos a partu Virginis actos
Ad quinquagenos totos sex insuper annos,
Sub Februo quinis lapsis ter mense kalendis,
Occidit, heu quanta lacrymarum clade Brabanta,
Sic pereant dominae castissima membra Mariae!
Prodit matre Turinga simulque parente Brabanta,
Elisabeth soboles, Henrici fit pia proles;
Hinc merito sacrae vocitatur neptis Elisœ.
Post niveum florem spargit virtutis odorem,
Atque Dei, verae et flagrans pietatis amore,
Conspicit incertas subeant cur singula metas,
Christi hinc sola studens sacro fit dogmate prudens,
Et sibi subjectis praebens documenta salutis.
Nobilis eximio connexa thoris Ludovici
Corpore sed juvenis mox sensit taedia levis,
Contemeratque thorum: quid causae? lingua malorum
Culcitra strata thori fit vulgi fabula fori.
Cura nefanda ducis, rumpuntur vincula juris,
Grande nefas factum, nil hic cum conjuge pactum,
Edictum ex rato gratum fit caede patrato
Suspicione ferit, nec causam in crimine quaerit.
Morte cadit dura Boii de crimine pura;
Sanguine notescit, dolor hic sub nocte recessit,
Ut surgat sanus sed toto corpore canus.
Sero doles fossa projecta conjugis ossa;
Ex Mangold castris jam nunc est splendor in astris,
Quam deflet Suevus, Boius, quam patria tellus,
Ergo aeternorum fruitur nunc Christe laborum,
Fac electorum numeres in sorte tuorum.

Mariae nostrae necem pariter referunt Joannes Aventinus in *Annalibus Boiorum*, Vitus Eberspergensis ad an. 1255 et 1266, aliique plures, qui nonnihil differunt in facti modo, numero caesorum et Ruchonis fide; quamvis de ipso facto nulla sit apud illos dubitatio. Erfordiani autem Annales pervetusti haec habent : *Anno Domini* 1275 (lege 1256) *dux Bavariae propter quandam suspicionem fecit decollari uxorem suam, filiam Henrici landgravii Hassiae* (lege : Henrici II ducis Brabantiae), *nimis praecipitanter. Cujus innocentia postmodum miraculose ipsi duci et suis est divinitus publice ostensa. Unde in emendam rei male gestae compulsus est aedificare monasterium.*

Ludovicus enim Romam profectus, ut aegro animo medicinam quaereret, facinus apud summum pontificem Alexandrum IV edidit, et delicti veniam exoravit. Impositum illi fuit per pontificem, inquit Hundius in *Metrop. Salisburg,* p. 215, ut pro poenitentia in sua provincia et de propriis suis reditibus monasterium pro duodecim Carthusianis institueret. Quum autem nullum tale monasterium in Bavaria esset, promisit simile pro fratribus ordinis S. Bernardi seu Cisterciensibus in loco, qui dicitur *Furstenveld,* ad Ambram fluvium inter Augustam et Monachium, aedificare, quod illi a Clemente Pontifice permissum est, prout testatur diploma Conradi episcopi Frisingensis, de anno 1266. In eo coenobio haec legebatur inscriptio, qua conditi monasterii causa aperitur :

AD HOSPITES.

Conjugis innocuae fusi monumenta cruoris
Pro culpa precium claustra sacrata vides.

DE FUNDATORE.

Boiorum clarus jacit haec fundamina princeps,
In precium culpae conjugis innocuae.

In piaculum patratae necis multo post Joannes II Brabantiae dux publicum instrumentum insuper exegit ex Ludovici filio Rodolpho comite palatino Rheni. Diploma, quod sequitur, ex Brabantiae chartulario descripsit Butkens : *Nos Rodolphus Dei gratia comes palatinus Rheni, dux Bavariae notum facimus....., quod anima illustris Ludovici genitoris nostri dulcissimi, ex homicidio quod in persona dominae Mariae conthoralis suae committi mandavit, sustineat poenas; saluti animae ejus cupientes consultum, primo viro nobili domino Joanni illustri duci Brabantiae, tamquam nunc proximo ejus amico, emendam hujusmodi suo*

matrimonium contraxit cum Wilhelmo comite Flandrie [1]. Quarta vero filia, Margareta nomine, facta monialis in abbacia sanctimonialium de Valle Ducis, postea fuit abbatissa conventus ejusdem abbacie, ubi contulit ad opus ejusdem conventus magnam decimam de Yska superiori, per ipsum conventum perpetuo possidendam [2].

Qualiter Heinricus archiepiscopus Coloniensis promisit solvere Heinrico duci Lotharingie et Brabancie tria millia marcharum Coloniensium, ob causam in litera declaratam, cujus tenor sequitur in hec verba [3]. CAP. XCVII.

« HEINRICUS Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopus universis presentes literas inspecturis in Domino salutem. Ad omnem amputandam ambiguitatem notum facimus omnibus, ad quos presens scriptum pervenerit, quod dilecto ac fideli nostro Heinrico, illustri duci Lotharingie et Brabancie, dabimus tria millia marcharum Coloniensium, tam pro feudo, quod felicis recordationis Heinricus pater suus contulit ecclesie beati Petri, Buscum videlicet et Dormale et alia, prout in carta super hoc continetur, quam pro feudo, quod idem Heinricus de manu nostra nuper recepit, videlicet mille marchas Colonienses, necnon pro arreragiis, que de promissis feudis sibi competere asserebat. Et illa tria millia marcharum recipiet in medietate thelonei nostri in Nuscia, tali modo quod singulis annis per quinquennium sexcentas marchas in eadem medietate thelonei recipiet, donec predicta tria millia marcharum sibi compleantur. Verum si predicta medietas thelonei summam sexcentarum marcharum complere non valuerit, nos ibidem sibi supplebimus defectum; si quid vero excreverit, in usus nostros convertetur. Ipsum autem in corporalem possessionem sepedicte 1235.

ac dictae Mariae materterae suae nomine recipienti pollicemur, quod ad sepulchrum ejusdem dominae Mariae in oppido nostro Werde missam perpetuam et lumen perpetuum faciemus; et si ad partes transmarinas pro expugnatione sepulchri Domini, vel ad Ruthenos contra Saracenos processum fuerit, mittam quatuor milites ad remedium animae illius. Item promittimus duci Brabantiae ducentos milites in armis contra omnes, excepto Imperio. Datum Hylbergae, anno M° CCC° VIII°.

[1] *Notice sur les sceaux des comtes de Louvain et des ducs de Brabant*, p. 26.

[2] Ex Sophia, sanctae Elisabethae Thuringiae filia, secunda uxore sua, Henricus II genuit Elisabetham, uxorem Alberti Brunsvicensis, et Henricum, quem *Infantem* vocant, primum Hassiae landgravium. Cfr. *op. cit.*, p. 26 et seqq.

[3] Cfr. Butkens, *op. cit.*, t. I, *Preuv.*, p. 79.

medietatis jam misimus, fructibus usque ad proximum festum beati Martini nobis reservatis: ipse vero dux ex tunc fructibus gaudebit, sicut superius est prenotatum. Nuncius vero ducis, ad colligendam pecuniam constitutus, commensalis erit sculteti nostri, in expensis rationalibus et moderatis. Ad hec si per nos vel per alios in perceptione predictorum impediretur, et, competenti ammonitione premissa, infra sex septimanas ei non satisfecimus, de nostro accipere poterit, salvo hominio suo et juramento. Verum, si predictam pecuniam alicui assignare voluerit, hoc facere poterit de nostra bona voluntate. Et ut hec observentur, sigillum nostrum et sigillum capituli beati Petri et Priorum presentibus fecimus apponi. Actum anno Domini M° CC° XXXV°, dominica qua cantatur *Invocavit me.*

Abbatisse et conventui Vallis Ducis datur medietas decime de Greys. Cap. XCVIII.

1236 Item iste Heinricus dux II^us. per suas certi tenoris literas datas Lovanii anno Domini M° CC° XXXVI°, sabbato post festum beate Barbare, dedit et reportavit in eleëmosinam abbatisse et conventui de Valle Ducis medietatem decime de Greys, tam minute quam majoris, perpetue possidendam: quam soror sua Machtildis, relicta quondam illustris Florencii comitis Hollandie, in ejus presencia constituta, omne jus, quod in eadem decima habebat, ad opus abbatisse et conventus predictorum in manus suas reportavit, prout in literis desuper confectis plenius continetur.

Comes Lossensis pro se et successoribus suis promittit Heinrico duci Brabancie, quod ipsum et successores suos juvabit, prout patet in litera tenoris sequentis [1]. Cap. XCIX.

1239. « In nomine Domini, Amen. Ego Arnoldus comes de Los et de Chiny notum facio presentibus pariter et futuris, quod karissimo domino meo Heinrico, illustri duci Lotharingie et Brabancie, promisi in ea fide, quam

[1] Cfr. Butkens, *op. cit.*, t. I, *Preuv.*, p. 82.

in baptismo recepi, quod totam hereditatem suam et bona sua alia. que in presenti possidet et in futuro possidebit, vel sui heredes possidebunt; ego meique heredes contra presentes et futuros, potenter et patenter illos juvabimus obtinere; verum si super premissis prefato domino duci vel suis heredibus aliqua violencia fuerit erogata vel molestia, nos illis totis viribus nostris assistemus, eisdem auxilio et consilio fideliter adjuvando. Ut igitur omnia premissa imperpetuum firmiter observentur, presentes literas sigilli nostri appensione dignum duxi muniendas. Datum mense octobri. anno Domini M° CC° XXXIX°. »

Suprascripti Frederici imperatoris temporibus, anno Domini M° CC° 1239.
XXXIX°, gens Tartarorum, occupatis partibus orientalibus et crudeliter subactis, in duo agmina se dividentes Ungariam et Poloniam intraverunt. ubi campestri bello cum ipsis habito frater regis Ungarie, dux Colmannus de Polonia, nobilis dux Slesie Heinricus occiditur [1]; reliquum vulgus, tam in viris quam in mulieribus, quos invenire potuerunt, in ore gladii exterminantes; sic terras illas, maxime Ungariam, redigerunt in solitudinem, ut pre fame prevalida matres puerorum suorum carnibus vescerentur, et plerique pulvere cujusdam montis uterentur.

Ipsius eciam tempore in Burgundia imperiali per terram solutam a montibus circiter quinque millia hominum suffocantur, nam unus maximus mons, se dividens ab aliis montibus, per plurima miliaria cujusdam vallis transiens, ad alios montes accessit, in valle omnes villas terra et lapidibus operiendo.

Eo eciam tempore regis Ferrandi in Toletano Hispanie quidam judeus comminuendo unam rupem pro vinea amplianda, in medio lapidum invenit concavitatem unam, nullam penitus divisionem habentem neque scissuram, et in concavitate illa unum librum quasi folia lignea habentem, qui liber tribus linguis scriptus, videlicet hebraice, grece et latine, tantum de litera habebat quantum unum psalterirum, et loquebatur de mundo ab Adam usque ad Antichristum, proprietates hominum cujuslibet mundi exprimendo. Principium vero tertii mundi posuit in Christo; sic in tertio mundo filius Dei nascetur ex virgine Maria, et pro salute hominum parietur [2]. Quod

[1] Henricus II, qui dicitur *Pius*, dux Silesiae in praelio occubuit apud Lignitz die 9 aprilis anni 1241.

[2] Seu *patietur*.

legens judeus statim cum domo sua tota baptizatus est. Erat enim in libro scriptum, quod tempore Ferrandi regis Castelle debebat liber inveniri. Simile invenies in Constantino sexto.

Stante contentione et gravi discordia inter dominum apostolicum ex una, et Fredericum imperatorem II^{um} partibus ex altera, Heinricus Romanorum rex, ejusdem Frederici imperatoris filius, apud predictum imperatorem patrem suum de rebellione accusatus, capitur, et in Apulia ductus squalore carceris suffocatur. Quo mortuo predictus Fredericus imperator procuravit, quod Conrardus filius suus et heres regni Jherusalem per electores imperii electus fuit in regem Romanorum, sed per dominum apostolicum non fuit confirmatus.

Quod homines Heinrici ducis et successorum suorum liberi sint a theloneo in Horsoyen [1]. Cap. C.

1241. « Ego Theodericus primogenitus comitis Clivensis notum facio omnibus presentibus et futuris, quod homines illustris domini Heinrici ducis Lotharingie et Brabancie et successorum suorum de Brabancia liberos et quitos ab omni theloneo, ego et mei successores, ante theloneum de Horsoyen, eundo et redeundo cum suis rebus, vinis et bonis transire dimittimus : et hoc promisi. Et ut hoc firmum et stabile a me et meis heredibus teneatur, presentem paginam feci scribi et meo sigillo roborari. Datum apud Buschum, feria III^{a} proxima post ascensionem Domini, anno Domini M^{o} CC^{o} XLI^{o}. »

Qualiter imperator Fredericus II^{us} promisit Heinrico duci Brabancie et nonnullis aliis principibus, quod ipsos forebit, prout in litera tenoris sequentis [2]. Cap. CI.

1241. « Fredericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jherusalem et Sicilie rex, universis presens scriptum visuris imperpetuum. Per presens scriptum notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod

[1] Vide Butkens, *op. cit.*, t. I, p. 230, et *Preuv.*, p. 83.

[2] Vide Butkens, *op. cit.*, t. I, p. 230, et *Preuv.*, p. 84.

nos attendentes devote fidei puritatem, quam Heinricus Brabancie, Matheus Lotharingie, Heinricus de Lymburch duces, Otto Gelrensis, Arnoldus de Los, Wilhelmus Juliacensis comites, Walramus de Lymburch et Heinricus de Heynsberch barones, tam principes quam fideles nostri, tamquam lumina corone nostre, ad nos et imperium hactenus habuerunt, et qualiter majestati nostre et Conrardo filio nostro, Dei gratia Romanorum in regem electo semper augusto, et regni Jherusalem heredi, incessanter adherere desiderant, ad honorem nostrum, pro conservatione corone, Romani nominis et auguste dignitatis, promittimus eis fideliter, quod ipsos fovebimus pro jure suo; et, si quis contra juris equitatem eos presumpserit vel a modo presumeret invadere, qui juri parere super hec se opponeret, coram nobis ipsis, aut per modum concordie amicabilis aut juris vel virium nostrarum brachio, juvabimus pro jure suo, donec ipsis de invasione hujusmodi ad honorem suum et imperii satisfiat. Promittimus eciam eisdem principibus et nobilibus imperii, si cum Gregorio dicto[1] papa compositionem facere nos continget, quod ad eandem assumemus eos, et eis pro confirmatione[2] sui nominis et honoris in eadem compositione cavebimus tamquam nobis. Insuper, si occasione servicii nobis impensi aliquod gravamen incurrerint, ipsos ad posse nostrum inde eximemus, eosdem in hoc non deserentes casu aliquo emergente. Preterea, ratione literarum quas majestati nostre pro nostro et imperii servicio tradiderunt, Alpes transire, nisi fuerint voluntarii, ipsos compellere non debemus. Ad cujus rei testimoninum perpetuo valiturum presentem paginam conscribi fecimus, et sigillo nostre celsitudinis roborari. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° XLI°, die mensis aprilis XIII^{a}, indictione XIV^{a}. Datum apud Leodium, anno, die, mense et indictione prescriptis. »

Pro ecclesia beate Marie de Valle Liliorum de piscatura in Zenna[3].
CAP. CII.

« HEINRICUS Dei gratia dux Lotharingie et Brabancie. Omnibus etc. notum sit, quod Walterus dictus Bertholdus, homo meus, in presencia mea 12[illegible]

[1] Vox *dicto* in aliis MSS. deest.

[2] Alias *conservatione*.

Vide supra p. 175, et Butkens, *op. cit.*, t. I, p. 231, et *Preuv.*, p. 84.

constitutus, de consensu meo dedit ecclesie beate Marie de Valle Liliorum piscaturam in flumine Zenne, a ponte de Weerde usque ad locum illum Zenne, qui est vicinior ecclesie de Leest, quem cum aliis bonis suis a me tenuit in feudum. Actum apud Lyram, in domo mea, anno dominice incarnationis M° CC° XLII°, mense augusto. »

Conrardus rex Romanorum electus promisit dare Heinrico duci Brabancie certam pecunie summam; et de ducis secunda uxore, filia sancte Elysabeth. Cap. CIII.

1242. « Conrardus, divi augusti imperatoris Frederici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jherusalem, universis presentes literas inspecturis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Tenore presencium notum esse volumus et protestamur quod nos, attendentes devotam sinceritatem, per quam illustris Heinricus dux Brabancie pro serviciis domini et patris nostri et nostris se sedulum exhibet jugiter et intentum, de plenitudine consilii nostri promittimus ei tria millia marcharum Coloniensis monete, in festo sancti Remigii proximo nunc venturo liberaliter presolvendas. Ad cujus rei robur presentes literas fieri fecimus, sigilli nostri munimine roboratas. Actum apud Coloniam, anno dominice incarnationis M° CC° XLII°, mense martii, XV^a indictione [1]. »

Hic vero Heinricus dux post obitum Marie uxoris sue duxit aliam conjugem [2], nomine Sophiam, que fuit filia sancte Elysabeth, quam susceperat a quodam Ludovico Thuringie Hassieque lantgravio [3]. De qua Sophia ipse Heinricus dux genuit unum filium, nomine Heinricum, qui postea fuit lantgravius Thuringie et Hassie, et unam filiam, nomine Elysabeth, que duxit in virum ducem de Bruynswyck.

[1] Vide Butkens, *op. cit.*, t. I, p. 251, et *Preuves*, p. 84.

[2] Scilicet anno 1239; ait enim Albericus Trium-Fontium ad annum 1241 : *Mortuus est hoc anno junior landgravius Conradus* (lege Hermanus II landgravius Thuringiae), *cujus sororem dux Brabantiae* (Henricus II) *duxerat ante biennium.* Vide supra, p. 179, note 2.

[3] Ludovicus IV, cognomento *sanctus*, obiit an. 1227.

De obsidione civitatis Coloniensis, et captione castri et oppidi de Randenrode; item de captione castri et terre de Daelhem. Cap. CIV.

Item iste Heinricus dux IIus Lotharingie et Brabancie tenuit magnam guerram inter Mosam et Renum contra dominum de Randenrode, cujus castrum et oppidum ipse cepit et usque ad solum demolivit, et contra archiepiscopum et civitatem Coloniensem, quam obsedit et oppugnavit, sed non vicit neque expugnavit civitatem. Abinde profectus cum exercitu suo ante oppidum Bonnense, ubi circumquaque vineas evelli et exstirpari fecit, ac totam illam terram incendio, homicidio et rapina devastavit; et non erat. qui ei resistere poterat aut auderet.

Item idem Heinricus dux victoria undique potitus, in regressu suo de terra Coloniensi versus Brabanciam posuit obsidionem ante castrum et oppidum de Daelhem, ea scilicet de causa, quia filii comitis de Daelhem, ipso duce in obsidione ante Coloniam existente, depredaverant mercatores super stratam publicam, pisces et alia victualia versus exercitum suum deferentes. prout sibi querulose a predictis mercatoribus vicibus diversis extiterat significatum. Quod quidem castrum et oppidum ipse expugnavit, necnon cum terra, villis et omnibus suis pertinenciis occupavit : que ejus successores, Brabancie duces, ab illo tempore citra tenuerunt et possiderunt, et usque in presens tempus adhuc tenent et possident.

De depositione Frederici IIi imperatoris. Cap. CV.

Durante adhuc dira guerrarum commotione inter ecclesiam et imperium, que nonnullas professionis christiane provincias diucius afflixerat, Innocencius papa IVus ad suprascriptum Fredericum imperatorem, hujus dissentionis et tribulationis auctorem, a predecessore suo Gregorio papa IXo pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales suos nuncios. videlicet sancte Romane ecclesie cardinales, et alios magne auctoritatis viros vicibus diversis destinavit pro pace cum ipso tractanda : qui quamplures sibi vias oblatas elata obstinatione semper despexit. Quare ipse Innocencius papa IVus, non valens, absque gravi Christi offensa, ejus ini-

quitates amplius tolerare, cogebatur, urgente ipsum consciencia, juste animadvertere in eundem, imponendo sibi quatuor gravissima scelera: scilicet quod multociens dejeravit, pacem quondam inter ecclesiam et imperium reformatam temere violando; item, quod perpetravit sacrilegium, capi faciens cardinales sancte Romane ecclesie et aliarum ecclesiarum prelatos et clericos, venientes ad concilium, quod dictus Gregorius papa duxerat convocandum; item, quod regnum Sicilie, quod est spirituale patrimonium beati Petri, quod ipse imperator ab apostolica sede tenebat in feudum, in tantam, in clericis et laycis, exinanitionem et servitutem redegerat, quod, ipsis nichil habentibus et omnibus exinde fere probis ejectis, illos qui remanserant ibidem, sub servili quasi conditione vivere, ac Romanam ecclesiam, cujus erant homines principaliter et vasalli, offendere multipliciter et hostiliter impugnare coegit; item, quod per novem annos pensionem annuam, in qua pro eodem regno ipsi Romane ecclesie tenebatur, solvere pretermisit. Unde idem Innocencius papa, quia dictum imperatorem in omnibus viam ad pacem tendentibus semper contumacem comperit et rebellem, tandem cum Januensium auxilio devenit in Gallias, et celebravit concilium in Lugduno, ubi, sacro presente concilio, super premissis et aliis nephandis excessibus, abjectum omni honore et dignitate privatum a Domino ostendit et denunciavit, et nichilominus sentenciando privavit, omnesque, qui ei juramento tenebantur fidelitatis astricti, a juramento hujusmodi perpetuo absolvit: adjungens quod illi, ad quos in eodem imperio imperatoris spectaret electio, eligerent libere successorem: prout hec luculencius et plenius habentur in capitulo ad Aposto. de sen. et re judic., libro. VI.

Incidens de magistro Petro de Vineis, de Engerando de Marigniaco et Petro de Brochia. Cap. CVI.

Hic Fredericus habuit unum prothonotarium juxta se, appellatum Petrum de Vineis, qui omnibus epistolas principibus peroptime dictatas ad excusandum Fredericum scripserat. Hic Petrus de Vineis fuit de regno Apulie, natione vilis, qui, cum esset scolaris Bononie, mendicabat nec habebat quid comederet. Deinde effectus est notarius, dehinc prothonotarius

curie imperatoris Frederici; postmodum audivit leges et effectus est judex majoris curie imperatoris, et ascendit ad tantam dignitatem, quod beatum se reputabat, qui portabat talarem fimbriolam gratia ipsius: et quidquid ipse fecit, imperator habebat ratum. Ipse autem multa tractabat, infringebat de hiis, que faciebat imperator. Et fecit ipsum imperator augustiorem dominatorem tocius Apulie, et dicitur habuisse in bonis, saltem in anno, decem millia librarum Augustanensium, sine aliis diviciis, que dicebantur quasi inestimabiles. In finem quidem devenit ad tantam impressionem et tantam miseriam, quod imperator fecit eum cecari: qui impaciencia motus percussit caput ad quemdam murum, et sic semetipsum miserabiliter interfecit. Hec Guido in tractatu de considerationibus, que cadunt super judiciis secundum motus et secundum significationes stellarum, cap. C° XLI°.

Item legitur in cronicis Francie, quod anno M° CCC° XV°, ultima die 1315.
mensis aprilis, que fuit in vigilia ascensionis Domini, quasi simile accidit: videlicet quod Engerandus de Marigniaco, miles natione Vulcassinus, fuit suspendio elevatus. Qui, tempore domini Philippi regis Francie, major post eum, non tam merito quam de facto, fuerat nominatus in regno, ita quod secundus regulus videretur, ad cujus nutum regni negocia gerebantur: quos enim ipse volebat, exaltabat, et quos volebat, deprimebat, et quod volebat fieri, factum erat. In modico [1] tempore fuit superexaltatus et elevatus nimis, et post paulum audivimus eum tali exitu defecisse [2].

Itaque, exemplo ejus et alterius, qui precessit, scilicet Petri de Brochia, qui, elapsis jam annis plus quam XXX, olim (tam) tempore alterius domini Philippi regis quam Ludovici regis, postquam super omnes magnus effectus fuerat, post similem fortune gloriam consimilem ignominiam est perpessus [3]. Discant igitur et pertimescant tam presentes quam posteri, in gradu consimili et fortuna sobrie et juste ac pie vivere in hoc seculo, precaventes ne casum consimilem merito paciantur. Quod non precavebant Gerardus Vanden Zipe et Wilhelmus Vanden Berghe, prout infra patebit in libro VI°.

[1] In aliis MSS. legitur *In medio* (prout supra t. I, p. 571), sed non recte.

[2] Eadem leguntur supra, t. I, p. 571.

[3] Eadem pariter leguntur supra t. I, p. 571. Cfr. *Gesta Philippi tertii descripta per Guilielmum de Nangiaco*, apud Duchesne, t. V, p. 529.

Item est sciendum quod supradictus Fredericus scripsit Innocencio pape IV° hos versus :

Astra docent et fata movent, aviumque volatus,
Quod Fredericus ego malleus orbis ero.
Roma diu titubans, variis erroribus acta,
Decidet, et mundi desinet esse caput.

Quibus papa perlectis rescripsit eidem, dicens:

Astra silent, nil fata docent, nil predicat ales;
Solius est proprium nosse futura Dei.
Niteris incassum Petri subvertere classem;
Fluctuat, ast nunquam mergitur illa ratis.

Dicunt quidam, longis temporibus vaticinium esse in Germania, quod de hujus Frederici II[i] germine radix peccatrix erumpet, Fredericus nomine, appellabitque se Fredericum III[um], qui clerum in Germania et eciam Romanam ecclesiam humiliabit vehementer. Dicunt preterea aliud ibidem esse vulgare propheticum, quod de Karlingis, scilicet de stirpe sancti Karoli Magni et de domo regum Francie, imperator suscitabitur, Karolus nomine, qui erit princeps monarcha tocius Europe, et reformabit ecclesiam et imperium; sed post illum nunquam alius imperabit. Qui hujusmodi vaticiniis et incertis propheciis vult fidem adhibere, adhibeat; ego certus sum, quod Creator sue presidet creature, et quod justo Dei et irreprehensibili judicio, ut secundum merita cleri et populi, aliquando ecclesia habebit advocatum, aliquando nullum, aliquando vero pro rege tyrannum, ad vindictam reproborum et exercitium electorum.

Exstant similiter versus quidam Sybillini hac de re, ut sequitur :

Gallorum levitas Germanos justificabit;
Ytalie gravitas Gallo confusa vagabit.
Annis millenis trecentis et quadraginta
Atque quater denis consurget aquila grandis,
Constantina cadet, et equi de marmore facti,
Et lapis erectus, et multa palacia Rome.
Gallus succumbet, aquile victricia signa
Mundus adorabit, erit urbs vix presule digna.

Papa cito moritur, Cesar regnabit ubique,
Sub quo tunc vana cessabit gloria cleri [1].

De electione lantgravii Thuringie in regem Romanorum post depositionem ipsius Frederici secundi. Cap. CVII.

Post depositionem Frederici II[i], in concilio Lugdunensi per Innocencium papam IV[um], ut premittitur, factam, et eodem papa procurante, Heinricus lantgravius Thuringie [2], in odium ejusdem Frederici, anno Domini M° CC° XLV°, per electores imperii in regem Romanorum fuit electus, et de mandato ejusdem pape, per legatum apostolicum confirmatus. Hic Conrardum, dicti Frederici filium, eciam in regem Romanorum electum, sed non confirmatum, cum suo exercitu apud Franckenforde ignominiose fugavit. Hic Heinricus lantgravius de fluxu ventris infra annum obiit, et in Ysnaco fuit sepultus: duxerat enim in uxorem, antequam in regem Romanorum fuerat electus, Beatricem, filiam Heinrici II[i] ducis Lotharingie et Brabancie suprascripti, que post ejusdem lantgravii decessum accepit in virum Wilhelmum comitem Flandrie, ut supra notatum est [3]. 1245.

Quod homines manentes in nova terra de Kiele liberi sunt ab exactione et tallia, exceptis certis casibus. Cap. CVIII.

Supradictus Heinricus dux Lotharingie et Brabancie, per suas certi tenoris literas, datas anno Domini M° CC° XLV°, mense februario, universos homines manentes in terra nova de Kiele ab omni tallia et servicio liberos et quitos dimisit, casibus hiis exceptis : videlicet quando ipsum in terram Jherosolimitanam peregrinationis causa proficisci, aut filium aliquem ad honorem promovere milicie, vel filium vel filiam nuptui tradere contigerit; dicti homines talliam, que super ipsos per illos de Antwarpia tunc 1245.

[1] Recentiori manu adscripti leguntur ad calcem paginae hi versus :

Gallus, concutiens alas et voce sonora,
Exultans orbis se putat esse caput;
Hoc aquila aspiciens, quercu sublimis ab alta,
Incacat in gallum ; mox tacet ille dolens.

[2] *Henri Raspon.*

[3] Vide p. 179.

pronunciabitur, cum illis de Antwarpia, secundum quod habent in facultatibus, duci solvent : preterea dicti homines cum illis de Antwarpia in dicti ducis ibunt expeditiones, prout in predictis literis cum nonnullis aliis clausulis plenius continetur [1].

Maria imperatrix Romanorum recognoscit curiam de Stercsele ad ecclesiam Everbodiensem allodialiter spectare [2]. Cap. CIX.

1246 « Maria Dei gratia quondam imperatrix Romanorum, filia ducis Lotharingie et Brabancie, universis presentes literas inspecturis salutem in Domino. Cum inter ecclesiam Everbodiensem, ex parte una, et homines in dominio nostro de Helmont constitutos, ex altera, super palude, que dicitur Latbroeck, juxta curiam de Stercsele, et lignis et pascuis ejusdem paludis, a terminis dictis Hoger-ten-Rade [3] usque ad Honrebon [4], ab Honrebon usque ad Scoreken, et a Scoreken usque Hoger-ten-Rade, et super aliis bonis, que infra dictos terminos continentur, dissentio orta esset : super premissis inquisitionem fecimus diligentem, et per literas capituli et custodis majoris ecclesie Leodiensis et inclite recordationis Heinrici Dei gratia ducis Lotharingie et Brabancie, patris nostri, necnon et nobilis viri Heriberti domini de Hese, quas super hoc confectas fide vidimus oculata, et per seniores dominii nostri predicti et fide dignos ad hoc vocatos pariter et juratos, in rei invenimus veritate, curiam de Stercsele, cum omnibus bonis infra terminos prescriptos existentibus, cum omni proprietate esse ecclesie Everbodiensis allodialiter et absolute, et nullum quidquam juris habere in curia et bonis supradictis preter ecclesiam memoratam. In cujus rei testimonium presentes literas sigillo nostro fecimus roborari. Datum anno M° CC° XLVI°. »

[1] Cfr. Butkens, *op. cit.*, t. I, p. 255, et *Preuves*, p. 88.

[2] Vide supra p. 170, et Butkens, *op. cit.*, t. I, p. 205, et *Preuves*, p. 74, et Kluit, *Hist. crit. comitatus Hollandiae et Zelandiae*, t. II, part. I, p. 516.

[3] Alias *Hoghertenrade.*

[4] Supra p. 170 legitur : *Hoenreboem.*

Qualiter Heinricus dux Lotharingie et Brabancie regnum Romanum sibi oblatum recusavit. Cap. CX.

Item post depositionem Frederici et obitum lantgravii Thuringie Innocencius papa IVus mandavit supradicto Heinrico duci IIo, per legatum suum de latere, scilicet Petrum Capucii, sancti Georgii ad Velum Aureum dyaconum cardinalem, ipsum exhortando, quatenus, si regnum acceptare vellet, ipsum in regem eligi procuraret : quod ipse renuens obtinuit, quod nepos suus, scilicet Wilhelmus comes Hollandie, sororis sue filius, fuit in regem Romanorum electus et in Aquisgrani coronatus, ut infra clarius patebit.

De electione Wilhelmi comitis Hollandie in regem Romanorum, et ejus coronatione. Cap. CXI.

Mortuo lantgravio Thuringie, in regem Romanorum electo et confirmato, 1247 quia propter potenciam Frederici, qui adhuc vivebat, vix aliquis principum regnum assumere volebat, dictus papa Innocencius mandavit Heinrico duci Lotharingie et Brabancie, quatenus regnum Romanum acceptare vellet, et quod ipsum eligi procuraret. De quo ipse dux se excusans recommendavit pape nepotem suum, sue sororis filium, Wilhelmum comitem Hollandie, quare ipse papa misit ad electores imperii suum legatum a latere, scilicet Petrum Capucium, sancti Georgii ad Velum Aureum dyaconum cardinalem. Quo siquidem cardinale procurante, et dicto duce Brabancie sibi assistente et ad hoc operam dante, prefatus Wilhelmus comes Hollandie fuit per supradictos electores in regem Romanorum concorditer electus, anno Domini Mo CCo XLVIIo, ipso die sancti Mychaëlis. Et quia ipse electus, habens dumtaxat XX annos et adhuc non erat miles, ipse se disposuit caractere militari insigniri, et deinde unctionem et coronam regni Aquisgrani adipisci. Congregatis igitur universis electoribus et aliis principibus, ecclesiasticis et secularibus, unacum predicto legato apud Woerinck Coloniensis dyocesis, ubi infra missarum solempnia, lecto evangelio, dictus electus per regem Bohomie coram dicto legato presentatus, tactis sacro-

sanctis evangeliis solempniter juravit regulam militaris ordinis se fideliter servaturum, cum clausulis et capitulis in juramento militaris ordinis contentis : que quidem capitula fuerunt sibi per eundem legatum recitata. Quo juramento prestito dictus rex Bohemie dedit ense nudo dicto electo ictum in collo, dicendo : « Ad honorem omnipotentis Dei te militem ordino, ac in nostro collegio te gratanter accipio. Et mementote quomodo salvator mundi Jhesus Christus coram Anna pontifice pro te colaphizatus est et illusus, coram Pylato preside flagellis cesus et spinis coronatus est, coram Herode rege chlamide vestitus et derisus est, coram omni populo, nudus et vulneratus, in cruce suspensus est : cujus obprobria te memorari suadeo, cujus crucem acceptare consulo, cujus eciam mortem ulcisci te moneo. » Quibus sic peractis ipse electus per dies (tres) continuos tenuit curiam solempnem cum principibus in gaudio et leticia, et exercebantur ibi hastiludia et torneamenta more militari. Die vero quarto, clangentibus tubis et buccinis, idem rex cum universis principibus, comitibus, baronibus, militibus et militaribus proficiscens de Woerinck versus urbem Aquensem, eam obsidione cinxit castra metando. Et quia cives Aquenses recusabant eum recipere, propter eorum juramentum predicto Frederico imperatori prestitum, cui adhuc favebant, dictus electus prehabito consilio fecit ipsam civitatem, que in aquosis et sulphureis diverse pullulantibus fontibus est sita, circumcirca aggeribus cingi, taliter quod aqua suum cursum habere non valens incolas in domibus suis inclusit, taliter quod sine navigio exire nequibant : quare ipsi incole sic pregravati de commissis humiliter veniam petitam gratiose sunt assecuti, promittentes ipsum admittere, et tamquam Romanorum regi sibi fideliter obtemperare. Qui, ruptis aggeribus et aquis suum decursum acceptis, dictus electus fuit in eandem regalis sedis urbem solempniter et cum vexillis et crucibus more solito cum maxima solempnitate processionaliter intronizatus, in vigilia omnium sanctorum, anno Domini M° CC° XLVIII°, et in crastinum, scilicet in die omnium sanctorum, per archiepiscopum Coloniensem in regem Romanorum inunctus et coronatus. Post hec princeps et primates, accedentes singillatim ad regale solium, prestiterunt eidem debite fidelitatis homagium. Ubi per octo dies continuos residebat cum gaudio et leticia, de negociis imperii vigilanter pertractando: ubi eciam die octavo fuit ordinatum quod Otto Trajectensis episcopus, patruus, et Heinricus dux Brabancie, suus avunculus, ejusdem

regis consiliarii seu auxiliatores forent, et juvenilem animum ejus a belli strepitu temperarent. Dominus vero Lulbertus[1] regalis abbas Egmondensis, vir maturus et egregius, constitutus est ejus vicecancellarius.

Refert Bonifacius, episcopus Lausanensis vel Lossenensis[2], qui sepultus est apud Cameram, monasterium beate Marie prope Bruxellam, quod tempore suo, quo dictus rex Wilhelmus obsidebat urbem Aquensem, fuit in oratione ipse episcopus, et vidit in spiritu militem armatum, albis armis indutum, sedentem super equum album, habentem lanceam in manu sua; et alii milites sequebantur eum, similibus induti armis. Tunc cogitavit episcopus in corde suo : « Deus, quis est ipse, et quo est iturus? » Tunc venit angelus Domini et respondit cogitationibus suis : « Iste est sanctus Georgius, quem Deus misit in adjutorium regis Wilhelmi, qui hodie obtinebit victoriam, et ipse introducet regem in urbem Aquensem. » Et ita factum est.

De obsidione castri de Keyserwerde, et de prandio Alberti Magni facto Romanorum regi, Colonie, in conventu Fratrum Predicatorum. CAP. CXII.

Dum vero memoratus rex Wilhelmus proficiscebatur, civitates et castra regni Germanie visitando, in quibus ab omnibus cum magna obediencia et reverencia, ut decuit, recipiebatur, preterquam a castellano castri famosissimi de Keyserwerde, in quadam insula Reni inter Coloniam et Nuciam situati. Quare idem rex per terram et aquam ante ipsum castrum per annum et amplius obsidionem tenuit, antequam subjugare potuit. Quo tandem magnis laboribus et expensis expugnato, et in manibus regis tradito, et per ipsum munito, idem rex transtulit se ad civitatem Coloniensem, ut ibi in honore trium Magorum solempniter immolaret hostiam laudis in die epyphanie Domini.

[1] Lege *Lubbertus*, secundus hujus nominis abbas, et primus *abbas regalis*, qui obiit an. 1264. Alibi male legitur *Lambertus*, jam anno 1182 vita defunctus.

[2] Legendum *Refert auctor vitae sancti Bonifacii, episcopi Lausanensis*. Autor enim anonymus vitae, quam Bollandus edidit ex MSS. Corsendoncano et Rubeae Vallis (*Acta SS.* t. III februarii, p. 155), refert Bonifacium coelitus praenovisse victoriam regis Wilhelmi. Cfr. Butler, *Vies des Saints*, t. I, p. 434; édit. de Brux. 1846.

Albertus vero Magnus. episcopus Ratisponensis, frater ordinis Predicatorum, qui tunc apud Coloniam theologiam regebat, quique fuit magnus in nigromancia, major in phisica, maximus in theologia, supradictum regem Wilhelmum humiliter precabatur, ut in die solempni secum discumbere dignaretur. Cum autem fama dicti Alberti divulgabatur per totum orbem, ipse rex, sperans aliquod prodigiale videre, noluit eidem reverendo patri preces supplices denegare. Celebratis igitur epyphanie solempniis. idem episcopus a studio suo progrediens regem, qui ad monasterium fratrum Predicatorum advenerat cum sua familia, honorifice suscepit, quem extra cenaculum in quodam viridario secum adduxit, ubi ministeriales mire pulchritudinis affuerunt, qui ad convivialem leticiam quevis necessaria prepararunt. Fuit utique diebus illis hyemps asperrima, totaque superficies terre cooperta nive maxima, quare universa multitudo procerum murmurare cepit adversus episcopum, qui in tam horrido frigore convivas suos absque foco prandere jussit infra pomerium. Sed postquam dictus episcopus, futurorum infrascriptorum conscius, unacum rege resideret ad mensam, et omnis conviva, secundum statum dignitatis sue locatus, exspectaret escam, ecce glaciei et nivis immensa moles in momento disparuit, ac estivalis calor emicantibus radiis ferventer invaluit; terra germen edidit, et vernantes flores in mira venustate protulit; unaquevis arbor et frondes extemplo viruit, et maturos fructus ad vescendum cunctis exhibuit; vinea florens odorem suavitatis reddidit, et recentes uvas in ubertate magna cito prebuit: garritus volatilium applaudentibus alis illic insonuit, quarum grata modulatio cunctis accumbentibus magnam exultationem intulit. Quid ergo longius immoror? Algor hyemalis frigiditatis evanuit, et fervor estivalis caliditatis in tantum efferbuit, ut quidam discumbencium propter aëris intemperiem exutis duplicibus indumentis seminudos se facerent, et plerique sub frondosis arborum frondibus hinc inde refrigerium appeterent. Ministeriales vero detulerunt ubique copiosam epularum plenitudinem, ita ut superhabunde saciarent copiosam convivarum multitudinem. Et letatus est rex, cum similiter discumbentibus, in eadem terra tot et tanta cernens inaudita mirabilia. Expleto demum convivio, turba ministerialium quasi fantasma disparuit: garritus avium omnino siluit; germen arborum confestim evanuit; copia nivis iterato rediit, et repentinum gelu truculenter inhorruit, ut omnes, qui prius exutis vestibus desudaverant infra con-

vivium, nunc epulantes accelerarent ad ignem infra cenaculum. Hiis factis, dictus Albertus precabatur regem pro loco, in quo posset construere monasterium ordinis fratrum Predicatorum, in civitate Trajectensi inferiori: quod rex pie concessit, et donavit unum magnum campum, quem infra annum emit infra predictam civitatem, in quo solempne monasterium dicti ordinis hodierna die videtur edificatum. Denique, confirmatis ab eo privilegiis et libertatibus civitatis et ecclesie Trajectensis, idem rex gloriose susceptus est infra comitatum Hollandie, qui et in Haga regale palacium construxit.

Qualiter guerra inter predictum regem Wilhelmum et Florencium fratrem suum, ex una, et dominam Margaretam, comitissam Flandrie, Hannonie, etc., partibus ex altera vigens, fuit sedata; et de bello et victoria regis Wilhelmi contra Flandrenses[1]. Cap. CXIII.

Item supradictus rex Wilhelmus, per suas literas datas Bruxelle XVI° ka- 1251
lendas junii, indictione octava, anno Domini M° CC° LI°[2], suum prebuit consensum, quod Heinricus dux Lotharingie et Brabancie ad ejus peticionem suas dederat literas[3], quodsi per ipsum contra pacem, per reverendissimum patrem Albanensem episcopum, apostolice sedis legatum a latere, factam et reformatam inter ipsum regem Wilhelmum et Florencium fratrem suum, ex una parte, et dominam Margaretam, comitissam Flandrie et Hannonie, partibus ex altera, super juribus et aliis, que utraque pars in terra Zelandie ad se pertinere dicebat, venire contingeret, quod ipse dux contra regem Wilhelmum et Florencium, fratrem suum supradicte comitisse, consilio et auxilio adhereret.

Anno Domini M° CC° LIII°, Theobaldus de Ghusen[4] et Walfridus de 1253
Barro[5] comites, cum Ghyoto[6] et Johanne de Dampetra, filiis Margarete comi-

[1] Cfr. Butkens, *op. cit.* t. I, 255, et praesertim Kluit, *op. cit.* t. I, part. II, p. 287 et seqq., ubi in dissertatione *De nexu feudali inter Flandriam et Zelandiam* rem omnem optime illustrat.

[2] Lege 1258. Exstant Wilhelmi regis literae apud Kluit, *op. cit.* t. II, part. II, p. 588.

[3] Vide Henrici III literas de die 19 maii 1250, apud Kluit, *op. cit.* t. II, part. II, p. 586.

[4] Lege *Theobaldus Barrensis.*

[5] Lege *Godefridus Ghisnensis.*

[6] Lege *Guidone.*

tisse Flandrie, collegerunt innumerabilem exercitum ex Flandria, Francia, Picardia et Pictavia, magnam expedicionem insistentes [1] pro subjuganda Walacria. Wilhelmus autem rex e contra Florencium fratrem suum cum exercitu valido destinavit ad Zelandiam, ut Margarete comitisse contumeliosam edomaret arroganciam. Dux vero Brabancie, regis avunculus, controversiam reconciliari disponens, diem instituit ad interloquendum de concordia, quatenus utriusque partis exercitus sine conflictu rediret ad propria. Cum autem apud Antwarpiam triduanum tractaretur interloquium, Margareta comitissa, perperam intendens, occulta legatione mandavit exercitus sui capitaneis, ut extemplo Walacriam introirent, et, in absencia regis, cum Florencio preside fratre suo bellum anticiparent. At illi, mandatis comitisse festinanter obtemperantes, cum centum et quinquaginta millibus armatorum [2] transfretaverunt ad Walacriam, minime diffidentes contra Florencium obtinere victoriam. E contra vero Florencius preses cum tubis, stridolis et cornibus horrisonis in Westcapelle hostes viriliter aggressus est, de quibus inopinatum tropheum, die quarta mensis julii, potenter adeptus est. Fuit etenim in eodem bello tam cruenta strages et horrendum excidium, ut Hollandie et Zelandie populi permaximam multitudinem populi Flandrie et Francorum interimerent, et usque ad talum in occisorum cruore pugnando subsisterent. Interea rex, omnem rem gestam per festinum nuncium intelligens, et Margarete comitisse dolosam tradicionem intuens, deseruit Antwarpiam, et repentino remigio profectus est in Walacriam. Et ecce fugitivi Flandrenses et Franci depositis armis humillima prece regis adire presenciam postularunt, quos rex ipse misericordia motus suscepit ad gratiam. In eodem vero bello, de parte Flandrensium et Francorum, quinquaginta millia sunt occisa, quinquaginta millia submersa, et quinquaginta millia captivata. Rex vero comites de Ghusen et de Barro [3], duosque filios Margarete comitisse [4] captivos destinavit ad Hollandiam, qui et vulgarem populum omnino denudatum remisit ad Flandriam, ita quod unusquisque Flamingus, pisis virentibus perizomata circumplectens, et exinde braccas lumbis suis adaptans, ad Flandriam nudus reversus

[1] Forte legendum *praeparantes*.

[2] Militum numerum longe minorem alii scriptores referunt. Vid. Meyerum ad an. 1253.

[3] Seu *Comites Ghisnensem et Barrensem*.

[4] Scilicet Guidonem et Joannem de Dampetra.

est [1]: et rex triumphalem laudem ab hostibus suis inopinate potitus est. Margareta quidem comitissa, ruinam sue gentis amare deflens, sollicitavit Karolum Andegavensem comitem, fratrem sancti Ludovici Francorum regis, blandis suggestionibus et largis stipendiis, ut idem comes cum exercitu copioso demum ad Hannoniam veniret, demandans regi quod ipsum ad committendum prelium in deserta planicie de Ascha potenter exspectaret. Nec mora, quin et ipse rex cum electis bellatoribus in Ascham venit, et Karolum comitem ad tres dies ultra prefixum terminum exspectavit. Denique rex avulsis castris exercitum suum direxit ad Hannoniam, disponens circumvallare Karolum comitem infra Valenchinam; sed Karolus, magnanimitatem regis intuens, secessit ad Franciam, et extunc oppidani domino regi portas aperientes, recepti sunt ad gratiam. Demum per amicabiles internuncios Margareta comitissa Flandrensis amiciciam regis adepta est, et omnis controversie discordia in hunc modum prorsus terminata est, quatenus Johannes de Avennis, primogenitus ejusdem Margarete, sororius regis, comitatum Hannoniensem et terram Alostensem in hereditatem acciperet, et Guido, qui junior natu fuerat, comitatum Flandrensem possideret.

Litera per LXXII civitates missa regi Wilhelmo [2]. Cap. CXIV.

« Glorioso domino suo Romanorum regi Wilhelmo consules et judices plus quam LXX civitatum superioris Germanie debitam reverenciam et obsequium perennale. Excellencie vestre tenore presencium declaramus, quod nobis apud Magunciam existentibus, die XXIX^{a} mensis junii, ad generale colloquium, mediante nobili viro A. de Waldigge, imperialis aule justiciario, firme treuge stabiles super universis guerris et discordiis sunt statute. Quapropter majestatem regiam humiliter exoramus et consulimus, quantum licet, quatenus pacem terre salubriter inchoatam per literas

[1] Addit Jacobus Guysius (t. XV, p. 146) : *Unde proverbium :*

L'an mil deus cens cinquante-trois,
Firent Flamens brayes de pois.

[2] Hasce literas haec verba praecedunt in cod. MS. Johannis Miræi : *Eodem tempore venerunt ad regem Wilhelmum litterae septuaginta duarum civitatum, in haec verba.*

magnipotencie vestre jam dignemini confirmare, eo quod vestrum commodum, utilitatem et salutem importare dignoscuntur et honorem, scientes quod vestre serenitatis adventum nobis salubrem ad partes nostras cum ingenti desiderio prestolamur. Datum apud Magunciam, ultima die mensis junii. »

Tenor litere per papam regi Romanorum transmisse; et de interitu regis Wilhelmi de Hollandia. Cap. CXV.

1254. Anno Domini M°CC°LIIII° dominus papa, plerumque [1] gavisus de prosperitate regis, cardinalem legatum ad Hollandiam (*misit*), qui domino regi subsequentem destinavit epistolam [2] : « Innocencius episcopus, servus servorum Dei, excellentissimo filio Wilhelmo Romanorum regi salutem et apostolicam benedictionem. Postquam divina potencia, suam ecclesiam pacificare disponens, celsitudini tue manifesta bonitatis [3] signa pretendat de via per quam prospere procedas et regnes, ita quod, Conrardo, filio quondam Frederici olim imperatoris, sublato de medio, alius superstes jam non sit, qui, Deo tibi propicio, tuis valeat progressibus adversari, rogamus et requirimus [4] magnitudinem tuam, paternis monitis suadentes, ut dilecti filii nostri Petri sancti Georgii ad Velum Aureum dyaconi cardinalis et apostolice sedis legati, communicato consilio, a ceteris difficultatibus explicans, ad veniendum in Ytaliam apparatu regio succingaris, et festinanter ad apostolorum limina Deo duce te transferas, ibidem circa festum nativitatis Domini proxime venturum recepturus solempniter de manibus nostris imperii dyadema. Datum, etc. »

Est verum quod, cum memoratus rex Wilhelmus suum apparatum et provisionem fecerat, ad mandatum et requisitionem supradicti Innocencii pape quarti, cum valido regalis expedicionis exercitu proficiscendi versus Ytaliam, ad resistendum insolenciis adversariorum ecclesie et imperii, et ipsos ad pacem et obedienciam cohercendos, regalemque Ytalie regni

[1] Alias *plurimum*.

[2] Exstat apud Miræum, *Op. dipl.* t. I, p. 425.

[3] Vox *bonitatis* deest apud Miræum.

[4] Pro *requirimus* apud Miræum legitur *observamus*.

coronam in Mediolano, et deinde in urbe Romana infulam imperialem adipiscendum, supervenerunt sibi nova, qualiter Frisones ab insolenciis non desistentes terram suam Hollandie cedibus, rapinis et incendiis multipliciter vastarent. Quare idem rex, Ytalica sua expeditione postposita, ipsos primitus proposuit debellare, et illuc cum magno exercitu properans quamdam construxit munitionem apud Alcmaer, quam appellavit Thorenborch. V° kalendas februarii. Deinde accelerans ad Frisones debellandos, in loco dicto Hoechhoutwoude, ubi Frisones fuerunt adunati, tempore brumali dum aque fuerant congelate, taliter quod equestres et pedestres desuper transire poterant, ipse rex, armis regalibus decoratus, sedens super optimum dextrarium, super dictam glaciem in hostium aciem irruere proponens, suis non exspectatis a latere incaute juxta certam paludem, in qua canne nascuntur, ubi glacies erat fragilis et non ita tenax sicut in plano, glacie confracta in eandem incidit, et cum dextrario quidem vix fuit submersus : quod videntes Frisones, qui in ipsis cannis latebant, mox ex eisdem prosilientes ipsum regem occiderunt, antequam sui in auxilium venire poterant. Quod accidit II° nonas februarii, anno M° CC° LV°, ut habetur in cronicis Hollandie, anno regni sui VII°; alii dicunt anno M° CC° LI°, anno regni sui III° [1].

Et anno dehinc M° CC° LX° [2] obiit illustris regina, domina Elyzabeth, filia ducis Bruynswicensis, ipsius conthoralis, ex qua genuit unicum filium, nomine Florencium, qui sibi successit in comitatu Hollandie et Zelandie [3], in Middelburgensi monasterio tumulata. Deinde vero, anno M° CC° LXXXII° [4], Florencius comes Hollandie, filius regis Wilhelmi, expedicionem validam adversus Frisiam indixit, ut ossa patris sui deportaret ad Hollandiam; et tandem in quodam bello quidam Friso vetulus captus, ad vitam reservatus, sepulchrum regis prodiit, et Florencius comes cum paternis ossibus Trajectum adiit, ubi celebratis regalibus exequiis de Walacria transfretavit.

[1] Immo die 29 januarii an. 1256.

[2] Immo an. 1266. Cfr. Beka, *Chron. Hollandiae.*

[3] Florentius V secundo aetatis suae anno Wilhelmo in comitatu Hollandiae successit, tutorem nactus patruum suum Florentium, die 26 martii 1258 Antverpiae defunctum. Eo mortuo, ipsius soror Adelheydis et dux Brabantiae Henricus III tutores constituti sunt.

[4] Bellum, quod Florentius V gessit contra Frisones, duravit ab anno 1272 usque ad annum 1282.

et regale corpus in Middelburgensi monasterio tumulandum honorifice collocavit [1].

Testamentum Heinrici IIi ducis, in quo ipse et Heinricus filius ejus primogenitus multas libertates concesserunt patrie sue Brabancie, contentas in literis quarum tenor sequitur in hec verba [2]. Cap. CXVI.

1247. « Heinricus Deì gratia dux Lotharingie et Brabancie, et Heinricus filius ejus primogenitus universis et singulis presentes literas visuris salutem et sciencie veritatem. Noveritis quod nos, habita super hoc prius deliberatione sufficiente et consilio cum hominibus et fidelibus nostris et viris religiosis terre nostre, sub sacramento fidei, quam corporaliter prestitimus ob remedium animarum nostrarum et predecessorum nostrorum, fideliter promisimus, quod, ab hac die imperpetuum, terram nostram, quam nunc possidemus, ab illa exactione sive extorsione, que vulgariter dicitur mortua manus, absolvimus et quitamus. Promisimus etiam, similiter fide corporaliter prestita, quod volumus et observare debemus imperpetuum, ut in bonis illorum, qui vulgariter *havescoet* (spurii) dicuntur, si de terra nostra nati fuerunt et proximos habeant, succedant in dictis bonis proximiores secundum legem terre et consuetudinem; si vero fuerint adventicii, bona talium secundum legem terre hucusque servatam nostra sint et successorum nostrorum, salvo tamen per omnia, tam de alienigenis quam indigenis talibus, quod testamenta, que condiderint, robur habere debeant et fortitudinem. Promisimus modo predicto, quod ballivi nostri terram nostram regere debeant secundum judicium et sentenciam scabinorum aut aliorum hominum nostrorum, ad quos pertinet super hujusmodi sentencias dare aut judicare, nisi forsitan aliquid enorme acciderit, sicut incendium, violencia vel homicidium, aut aliquid aliud simile : in quo casu excessus hujusmodi de voluntate nostra et per consilium hominum nostrorum corrigentur. Et, si forsitan contigerit, aliquem ballivorum nostrorum aliter quam prescriptum est et preordinatum judicare, volu-

[1] Cfr. Beka, *Chron. Holland.*, p. 94.

[2] Exstant illae tabulae apud Miræum, *Op. dipl.* t. I, p. 205, et apud Butkens, *op. cit.* t. I, *Preuv.* p. 89.

mus et ordinamus, quod tam de ballivis ipsis quam de bonis ipsorum pro voluntate nostra absolute disponere debeamus. Promisimus eciam, modo predicto, quod expensas nostras de consilio hominum nostrorum ita moderabimus, quod exactiones faciendas in terra nostra de consilio bonorum et religiosorum facere debeamus. Volumus eciam preterea, quod annuatim imperpetuum quingente libre Lovanienses recipiantur, centum videlicet libre de redditibus nostris Lovanii, centum Bruxelle, centum Thenis, ducente de silva nostra de Sonhia, que per manus ipsorum, quos ad hoc ordinabimus, nomine restitutionis et eleëmosine imperpetuum distribuentur. Et ut premissa omnia per nos et successores nostros imperpetuum inviolabiliter observentur, presentes literas sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Actum et datum apud Lovanium, in die beati Vincencii, anno Domini M° CC° XLVII°. »

Iste Heinricus, ut scriptum est, obiit Lovanii, anno Domini M° CC° XLVII°, postquam victoriose rexerat annis XII, et sepultus est in ecclesia abbacie Villariensis [1].

De Heinrico hujus nominis Lotharingie et Brabancie duce III°, et ejus uxore et filiis eorundem. Cap. CXVII.

Mortuo Heinrico II° Lotharingie et Brabancie duce, successit sibi Heinricus ejus primogenitus, quem genuerat ex filia Philippi regis Romanorum II[i]. Hic Heinricus III[us] duxit in uxorem gloriosam dominam Aleydem, filiam incliti Hugonis ducis Burgundie, de qua genuit tres filios, scilicet Heinricum, Johannem et Godefridum. Qualiter autem Heinricus, qui major natu fuit, renunciavit juri suo, quod habebat in ducatu Brabancie, et ipsum ducatum dedit donatione inter vivos Johanni fratri suo secundogenito, quem Richardus frater regis Anglie, rex Romanorum, in ipsum ducatum instituit, quia de istis renunciatione, donatione et institucione plenarie fit mencio infra in gestis predicti Richardi et Alfonsi regis Hispanie, in reges Romanorum discorditer electorum, ideo supersedeo de hiis amplius scri-

[1] Typis paratam habemus disquisitionem (*Recherches sur les sépultures des ducs de Brabant à Villers et à Affligem*), qua illa Henrici II sepultura illustratur.

Et est sciendum pro enucleatione predictorum, quod inter Godefridum cum Barba primum ducem quinti status, qui incepit anno M° C° VI° usque ad supradictum dominum meum Philippum ducem modernum sub anno Domini M° CCCC° XLVI° effluxerunt anni CCC XXXIX, et inter memoratum Pipinum de Landen ducem primum et eundem dominum meum dominum Philippum ducem modernum anni D CC LXXXXVI; necnon inter Priamum ex Trojanis regem primum, et jam dictum dominum meum, dominum Philippum Burgundie, Lotharingie, Brabancie et Lymburgie ducem, anni M LXXVII, prout legentibus has Chronicas luculentius poterit apparere, semper sub correctione cujuslibet melius sentientis.

[1] Supra, p. 8 legitur : *quadraginta et octo.*

De libro generationis ducum Lotharingie et Brabancie.

Et ut fausta generatio claraque progenies tam regum Francorum ex Trojanis procedentium quam ducum Lotharingie et Brabancie, qui tam ex propagine dictorum Trojanorum quam Majoris domus dignitate (qua quidem dignitate a sublimitate regia modicum differente) originem traxerunt principalem, et successionis series eorumdem evidentius appareat, idcirco ad laudem et honorem metuendissimi et gratiosissimi domini mei domini Philippi, Dei gratia Burgundie, Lotharingie, Brabancie et Lymburgie ducis supradicti, ad instar libri generationis nomina eorumdem regum usque ad Lotharium magnum et secundum inclusive, necnon regum, ducum atque comitum ex eis procedentium, per quos successio dignoscitur propagata et in posteros continuata, et per quot annos regnaverunt et rexerunt, incipiendo a capite, scilicet a Priamo primo Trojanorum rege predicto et continuando ad prelibatum dominum meum dominum Philippum ducem modernum sub anno Domini M° CCCC° XLV° preallegato, gratia mihi annuente divina, sub correctione qua supra, succinctius quo potui scribere curavi sub forma verborum sequentium.

Liber generationis Philippi Burgundie, Lotharingie, Brabancie et Lymburgie ducis, filii sancti Karoli Magni, filii Lotharii, filii Priami [1].

Priamus autem, fausta Hectoris proles, a magno Priamo Trojanorum rege, ejusdem Hectoris patre, nomen et genus trahens, qui regnavit super Francos annis V, genuit Marcomirum; Marcomirus autem, qui regnavit annis XXXIIII, genuit Pharamundum; Pharamundus autem, qui regnavit annis XI, genuit Clodium; Clodius autem, qui regnavit annis XVIII, genuit Meroveum, a quo reges Francorum Merovingi dicuntur; Meroveus autem, qui regnavit annis X, genuit Hildericum; Hildericus autem, qui regnavit annis XXVI, genuit Clodoveum, qui a sancto Remigio baptizatur.

[1] Ille a Dyntero conscriptus *Liber generationis, etc.*, exstat in Cod. MS. Bibliothecae regiae Brux. n. 5757. Cfr. prooemium ad t. I, ubi agitur de scriptis Dynteri.

et Ludovicus appellatur; alii sex manserunt gentiles. Clodoveus autem, alias Ludovicus, qui regnavit annis XXX, genuit Lotharium et fratres ejus; Lotharius autem, qui regnavit annis XL, genuit Cilpericum et fratres ejus. Cilpericus autem, qui regnavit annis XXIII, genuit Lotharium Magnum et fratres ejus; Lotharius autem Magnus, qui regnavit annis XLIIII, genuit Dagobertum regem et Blichildem; ex Blichilde autem Ansbertus, dux Austrie superioris et senator Urbis, genuit Arnoldum; Arnoldus autem ex sancta Oda genuit sanctum Arnulphum; sanctus autem Arnulphus ex sancta Doda genuit gloriosum ducem Ansigisum; Ansigisus autem ex sancta Begga, filia Pipini de Landen primi ducis Lotharingie et Brabancie, que tunc Austria inferior dicebatur, Majorisque domus filii Karolomanni de Landen, principis Brabancie et Hasbanie, genuit Pipinum grossum alias de Herstallio. Qui quidem Ansigisus rexit annis XXXVIII, cui successit Pipinus de Herstallio filius suus predictus, cujus avus Pipinus de Landen, qui fuit Major domus temporibus regum Lotharii Magni, Dagoberti et Sigeberti, et qui postquam laudabiliter rexerat per annos XXXII, obiit tandem anno Domini DC° XL° VII°.

Pipinus autem de Herstallio rexit per annos XXIX, et genuit ex Alpaïde Karolum Martellum; Karolus autem Martellus regnavit annis XXVI, et genuit Pipinum Parvum ex duce et Majore domus factum regem Francorum, Hilderico rege deposito. Pipinus autem Parvus genuit sanctum Karolum Magnum, regnavitque annis XVIII. Karolus autem Magnus regnavit annis XLVI, genuitque Ludovicum Pium. Ludovicus autem Pius genuit Karolum Kalvum, regnavitque annis XXVII. Karolus autem Kalvus genuit Ludovicum Balbum, regnavitque annis XXXVII. Ludovicus autem Balbus genuit Karolum Simplicem, regnavitque annis duobus. Karolus autem Simplex genuit Ludovicum et regnavit annis XXIX. Ludovicus autem genuit Lotharium regem et Karolum ducem Lotharingie et Brabancie, regnavitque annis XXVII. Karolus autem dux et heres Francie rexit Lotharingiam annis XXIX, et genuit Gerbergam. Gerberga autem virgo, spoliata regno atque ducatu, duxit in virum Lambertum comitem Lovaniensem, qui ex ea genuit Heinricum comitem et marchionem imperii, regnavitque annis XIII. Heinricus autem rexit annis XXXIII et genuit Lambertum cum Barba. Lambertus autem cum Barba genuit Heinricum secundum, rexitque annis XV. Heinricus autem secundus genuit Heinri-

cum tercium, rexitque annis XI. Heinricus autem tercius, qui rexit annis XVI, genuit Godefridum cum Barba, primum ducem comitemque Lovaniensem et sacri imperii marchionem [1]. Godefridus autem primus dux, qui rexit annis XLIIII, genuit Godefridum secundum. Godefridus autem secundus rexit annis IIII [2], et genuit Godefridum tercium ducem. Godefridus autem tercius, qui genuit Heinricum hujus nominis primum ducem, rexit annis XLVI [3]. Heinricus autem dux primus, qui genuit Heinricum secundum, rexit per annos LII [4]. Heinricus autem secundus genuit Heinricum tercium, rexitque annis XII [5]. Heinricus autem dux tercius genuit Johannem hujus nominis primum ducem, rexitque annis XIIII [6]. Johannes autem

[1] Comitum Lovaniensium, qui ante Godefridi cum Barba aetatem exstiterunt, seriem non recte describit Dynterus. Cfr. supra p. 9.

[2] Immo *tres*.

[3] Obiit anno 1190.

[4] Lege *XLV;* obiit enim anno 1235.

[5] Obiit anno 1248.

[6] Quae sequuntur hoc modo leguntur in cit. Dynteri codice bibliothecae regiae : « Johannes » autem primus genuit Johannem secundum, » Johannes autem secundus genuit Johannem tercium, Johannes autem tercius genuit Johannam, » quae rexit Lotharingiam, Brabanciam et Lymburgiam et marchionatum Imperii per quinquaginta unum annos; genuit etiam Margaretam. » Ex Margareta autem Ludovicus comes Flandriae, etc., genuit Margaretam. Ex Margareta » autem Philippus, quondam Francorum regis » filius, dux Burgundiae et comes Flandrie, etc., » genuit Johannem, Anthonium et Philippum fratres. Facta autem divisione inter fratres, Johannes primogenitus, qui sortitus est Burgundiam, » Flandriam, etc., genuit Philippum secundum, » de quo infra habetur. Philippus autem tercio » genitus habuit comitatum Nyvernensem, etc.; » Anthonius autem secundo genitus, qui adeptus » est ducatus Lotharingie, Brabancie et Lymburgie atque marchionatum Sacri Imperii, genuit » Johannem quartum et Philippum primum, qui » successive unus post alium sibi succedentes obierunt nulla prole relicta. Philippus autem » hujus nominis dux secundus, filius Johannis, » filii Philippi ex Margareta filia Margarete, filiae » Johannis ducis tercii et sororis Johanne ducisse » predictorum, tamquam proximior et legitimus » heres Philippi hujus nominis ducis primi, filii » Anthonii prescripti, adeptus est ducatus Lotharingie, Brabancie et Lymburgie, Sacrique Imperii marchionatum, ex paterna et avita successione de propagine ducis Brabanciae sibi » debitos. Quem omnipotens ad regimen suarum » ditionum feliciter et longeve conservare dignetur cum incrementis prosperis et votivis ad » honorem Dei et profectum nationum sibi subditarum. Amen. — Compilatum per me De » Dynter, anno M° CCCC° XLIIII°. »

In eodem cit. cod. Dynterus addit ad marginem post verba : *Johannes autem tercius :* « Vide inferius alium modum ad signum tale ÷|÷; » ac deinde haec ad calcem genealogiae adscribit : « Sub correctione. Qui vellet, posset alio modo » ponere, videlicet : « *Johannes autem tercius genuit Margaretam. Ex Margareta autem Ludovicus, comes Flandrie, genuit Margaretam. Ex* » *qua Philippus, quondam Francorum regis filius,* » *dux Burgundie, genuit Johannem et fratres ejus.* » *Johannes autem genuit Philippum modernum* » *ducem.* Sed salvo judicio saniori hoc non videtur michi expediens propter magnum et patens » jus, quod per medium ducis Anthonii sibi et » suis successoribus ducibus Brabancie ad ducatus » Brabancie et Lymburgensem fuit acquisitum. »

primus, qui rexit annis XXXIIII, genuit Johannem secundum: Johannes autem secundus, qui genuit Johannem tercium, rexit annis XVIII. Johannes autem tercius, qui rexit annis XLIII, genuit Margaretam. Ex Margareta autem Ludovicus comes Flandrie genuit unam filiam nomine Margaretam. Ex eadem autem Margareta Philippus quondam Francorum regis filius, dux Burgundie et comes Flandrie, etc., genuit Johannem et fratres ejus. Johannes autem genuit Philippum ducem modernum Burgundie et Brabancie, etc., principantem sub anno Domini M° CCCC° XLV° supradicto, quem omnipotens Deus ad regimen suarum ditionum feliciter et longeve conservare dignetur cum incrementis prosperis et votivis ad honorem et profectum nationum sibi subditarum. Amen [1]. Philippus autem genuit Karolum ducem Burgundie et Brabancie, qui rexit annis X. Karolus autem genuit unicam filiam nomine Mariam. Ex qua Maximilianus dux Austrie, filius Frederici quarti imperatoris Romanorum, genuit Philippum.

Preterea est sciendum quod Johannes hujus nominis dux tercius etiam genuerat Johannam, que tanquam ducissa rexerat ducatus Lotharingie, Brabancie et Lymburgie per annos LI. Qui etiam, ut premittitur, genuit Margaretam, ex qua Ludovicus comes Flandrie genuit Margaretam. Ex eadem autem Margareta Philippus quondam Francorum regis filius, dux Burgundie et comes Flandrie, genuit Johannem, Anthonium et Philippum fratres [2].

Facta autem divisione inter fratres, Johannes primogenitus, qui sortitus est Burgundiam et Flandriam, genuit Philippum ducem supradictum. Philippus autem tercio genitus habuit comitatum Nyvernensem. Anthonius autem secundo genitus, qui post mortem ducisse Burgundie, adeptus est ducatus Lotharingie, Brabancie et Lymburgie atque marchionatum Sacri Imperii, genuit Johannem quartum et Philippum primum, qui successive unus post alium sibi succedentes obierunt, nulla prole relicta. Philippus autem modernus hujus nominis dux secundus, filius Johannis Burgundie

[1] Post hanc vocem *Amen* explicit cod. cit. bibl. regiae. Verba quae sequuntur ab amanuensi addita videntur in codice Corsendonkano quem quidem non ante annum 1482 conscriptum fuisse ex eo liquet, quod hoc loco memoretur Philippus Pulcher qui eo anno patri Maximiliano successit in comitatu Flandriae; Dynterus vero e vivis excessit anno 1448. Vide quae habentur in prooemio ad t. I de cod. MS. Corsendonkano.

[2] Eadem leguntur in cit. cod. bibl. regiae, prout relata sunt supra in, not. 6, p. 400.

ducis predicti ex Margareta, filia Margarete, filie Johannis ducis tercii et sororis Johanne ducisse predictorum, tanquam proximior heres Philippi hujus nominis ducis primi filii Anthonii prescripti, adeptus est ducatus et marchionatum. Johanna autem ducissa ac Anthonius, Johannes et Philippus sui filii, ideo non ponuntur in libro generationis prescripto, quia successio inclite domus sive prosapie Brabancie non fuit per ipsos in posteros propagata sive continuata [1].

Explicit prologus, incipiunt capitula libri quinti [2].

De electione Alphonsi regis Castelle et Richardi comitis Cornubie, fratris regis Anglie, in reges Romanorum in discordia celebrata.

Alphonsus rex constituit Heinricum Brabancie tercium ducem advocatum provincialem infra certas metas Alamannie.

[1] Cfr. supra, not. 6, p. 400.

[2] In aliis Codd. MSS. haec legitur capitulorum series :

Argumentum libri quinti. — Generatio ducum Lotharingiae et Brabantiae. — Liber generationis Philippi Burgundiae, Lotharingiae, Brabanciae et Lymburgiae ducis, filii sancti Karoli Magni, filii Lotharii, filii Priami.

De electione Alphonsi regis Castellae, et Richardi comitis Cornubiae fratris regis Angliae in reges Romanos in discordia celebrata. Cap. I.

De electione et regno Rodulphi. Cap. II.

De advocatia Aquensi. Cap. III.

De electione Adolphi comitis de Nassouw in regem Romanorum. Cap. IV.

De electione Alberti ducis Austriae in regem Romanorum. Cap. V.

De electione Henrici comitis Luxemburgensis in regem Romanorum. Cap. VI.

De Ludovico Bavariae et Frederico Austriae ducibus in discordia in reges Romanorum electis. Cap. VII.

De donatione propter nuptias per comitem Gelriae de comitatu Veluwe facta dominae Eleonorae sorori regis Angliae, quam sine consensu Ducis Brabantiae facere non potuit, quia idem comitatus ab ipso in feudum tenetur. Cap. VIII.

Qualiter Philippus rex Francorum requisivit Johannem ducem Brabantiae quatenus in ipsum compromitteret de contentione suborta et pendente inter ipsum ducem et Johannem regem Bohemiae et Reynaldum ducem de Valkenborch; quod dux facere recusavit, et consequenter de inimicitiis inter regem et ducem. Cap. IX.

Qualiter dux ad preces regis Francorum ad ipsum ivit in Franciam, et pacificati et confoederati post contracta inter ipsorum filium et filiam sponsalia ab invicem recesserunt et abierunt. Cap. X.

De nova guerra occasione oppidi Mechliniensis et fluminis Scaldae orta inter comitem Flandriae et ducem Brabantiae. Cap. XI.

Qualiter oppidum de Thiele fuit captum, et Landen combustum. Cap. XII.

Qualiter oppidum Hertogenrode ducatus Lymburgensis fuit captum. Cap. XIII.

Qualiter nonnulli principes venerunt ex Francia apud ducem; qui tantum praestiterunt, quod

Alphonsus electus predictus dedit Heinrico duci Brabancie tercio certam summam pecunie, ut sibi contra Richardum assisteret.

Qualiter post mortem Heinrici ducis tercii relicta ejus cum Heinrico primogenito suo regit Brabanciam, exclusis principibus qui tutelam filiorum suorum habere nitebantur.

Qualiter Heinricus primogenitus resignavit jus sibi in ducatu Brabancie quesitum, donando illud Johanni fratri suo secundo genito, prout in literis quarum tenores subsequuntur.

Qualiter dux Johannes fecit homagium regi Richardo de ducatu Brabancie.

De dote domine Aleïdis ducisse Brabancie, matre Johannis primi ducis, per regem Richardum confirmata.

De discordia sive guerra inter oppidum Lovaniense et dominum Walterum Berthout dominum Mechliniensem.

De infortunio et captione archiepiscopi Coloniensis, et qualiter aliqui Coloniam intrantes ipsam tenere moliuntur.

Codex Miraei aliique ex eo descripti notant dumtaxat capitula XLIII.

Qualiter comes de Marcha capitur et moritur; et qualiter Wilhelmus comes Juliacensis occiditur in civitate Aquensi.

Qualiter rex Bohemie occiditur per Rodulphum Romanorum regem.

De matrimonio, uxoribus, filiis et filiabus Johannis hujus nominis ducis primi.

De quodam mandato Rodulphi regis concernente ecclesiam sancti Servacii Trajectensis.

De quodam privilegio abbacie Parchensis.

Litera Rodulphi regis de non prejudicio data Johanni duci, quod ad petendum restaurationem Noviomagii, etc.

De castro Carpensi acquisito per Johannem ducem primum, ut patet per literam Rodulphi regis.

De emptione sive acquisitione ducatus Limburgie, facta per Johannem ducem primum antedictum.

Tenor literarum directarum magnificis viris de hujusmodi materia.

Tenor litere directe regi Romanorum super materia predicta.

De guerra orta inter Johannem ducem Brabancie et Reynaldum comitem Gelrie occasione ducatus Lymburgensis.

Qualiter Johannes dux, percepto quod comes Gelrie jus suum vendiderat comiti de Luxemburgo, suos adversarios persequitur.

De obsidione castri de Woerinck et bello ibidem conserto.

De partificatione facta domino Godefrido fratri ducis.

Dux et comes compromiserunt in Philippum regem Francorum de omnibus et singulis dictam guerram tangentibus; et sequitur ordinacio sive pronunciacio ejusdem Philippi Francorum regis.

Reynaldus comes Gelrie ratificat et approbat ordinacionem Philippi regis Francorum, prout in litera tenoris sequentis.

Idem Reynaldus comes renunciat omni juri quod habet in ducatu Lymburgie, etc., et absolvit feudales de juramentis sibi prestitis, prout in litera, etc.

Reynaldus comes rogat judicem, scabinos, consilium, magistros civium de Duysborch, ut obediant duci, quos absolvit a juramentis, etc., prout in litera, etc.

Reynaldus comes confitetur renunciasse juri, quod habet in Wassenberghe.

De castro et villa de Randenrode.

Tenor litere quitancie, per quam Godefridus et Emondus fratres dicti de Carpena super omni promissione, jure hereditario et debito, etc., Johannem ducem Brabancie quitarunt.

De privilegiis monetariis Brabancie concessis; confirmacio ducis Anthonii predicti privilegii.

Heinricus comes Lucemburgensis duxit in uxorem Margaretam filiam Johannis primi ducis Lotharingie, etc.

De electione Adolphi comitis de Nassouw in regem Romanorum, et de confirmatione sive privilegiis per ipsum duci Johanni primo concessis.

Johannes dux constituitur advocatus provincialis per regem Adolphum, ut sequitur.

De obitu Johannis primi trifarii ducis.

Mortuo Johanne primo duce succedit sibi filius suus Johannes dux secundus.

De privilegiis abbaciis de Foresto, de Tongerloo, de Haffligem et de Porceto concessis.

De divisione inter dominum ducem et dominos Grimbergenses.

De morte Adolphi regis Romanorum.

De privilegio per Albertum Romanorum regem Johanni secundo duci, heredibus et hominibus suis approbato, innovato et confirmato, prout in litera tenoris sequentis.

Qualiter Albertus rex post mortem Johannis comitis Hollandie, qui sine liberis decesserat, comitatum Hollandie tanquam vacantem imperio nititur incorporare; et ibi eciam de morte regis Alberti.

De guerra inter ducem et oppidum Mechliniense.

De privilegiis per Johannem ducem predictum et Johannem Berthout, dominos Mechlinienses, oppido Mechliniensi concessis.

De guerra Francie atque de bello de Cortryck.

De tribus mirabilibus que acciderunt tempore Johannis ducis secundi.

De confederatione inter ducem et oppida Brabancie et oppidum Mechliniense.

De quadam donatione facta per ducem fratribus Predicatoribus in Lovanio.

Quod dux Brabancie est advocatus abbacie de Berna Premonstratensis ordinis.

Pro abbacia de Porceto de villa de Vilen.

Qualiter Heinricus comes Lucemburgensis eligitur in regem Romanorum tempore Clementis pape V[i], et coronatur in Aquisgrani.

Heinricus rex confirmat Johanni duci secundo privilegium Philippi secundi regis in suis literis corporatum, prout in tenore litere sequentis.

De confirmatione Heinrici regis in regem Romanorum facta per Clementem papam V[um].

Heinricus rex revocat translationem fori salis et piscium de Antwerpia ad Mechliniam factam, quod forum Antwerpiensibus restituit, et dicto duci contulit ab ipso et imperio tenendum in feudum, prout patet ex tenore litere sequentis.

Rex Heinricus mandat oppidanis Antwerpiensibus, quod resumant forum, etc., prout in literis tenoris sequentis.

Qualiter Johannes filius regis Heinrici duxit in uxorem filiam regis Bohemie, et qualiter ipse Heinricus rex fuit coronatus in Mediolano.

Qualiter Heinricus rex coronatur in imperatorem.

De nonnullis immunitatibus, libertatibus et exemptionibus abbatibus, abbatissis et aliis religiosis Brabancie concessis.

De morte et sepultura dicti Johannis hujus nominis ducis secundi.

De aliquibus gestis Heinrici imperatoris VII[i].

De Johanne hujus nominis duce tercio, et ejus matrimonio ac filiis et filiabus suis.

De morte Heinrici imperatoris.

Quia mercatores Brabancie propter debita, que predecessores ipsius ducis contraxerant, ubique locorum arrestabantur, idcirco ipse dux commisit regimen suum prelatis et bonis oppidis Brabancie, ut ipsum ab hujusmodi debitis relevarent.

De Ludovico Bavarie et Frederico Austrie ducibus in discordia in reges Romanorum electis.

De tribus plagis que evenerunt tempore Johannis juvenis ducis suprascripti.

De guerra inter ducem et dominum de Valkenborch.

De oppido de Sittart.

De guerra inter Johannem ducem Brabancie et Wilhelmum comitem

Hannonie, Hollandie, etc., occasione dominii de Hoesden, super quo se compromiserunt in Gerardum comitem Juliacensem.

Tenor litere compromissi et pronunciationis inde secute.

Comes Clivensis recognoscit oppidum et terram de Hoesden tenere a duce Brabancie.

Sequitur informacio facta super jure oppidi, terre et dominii de Hoesden supradicti.

Comes Clivensis promittit domino de Hoesden infeudare filiam suam in dominio de Hoesden, si masculum heredem non habuerit.

Dominus de Hoesden promittit Johanni duci Brabancie tradere castrum de Hoesden infra certum terminum post suam requisitionem.

De secunda guerra orta inter ducem Brabancie et comitem Hollandie super alta justicia dominii de Grongele, que fuit per arbitros pacificata.

Supradicti arbitri promiserunt intrare Hoechstraten, et abhinc non recedere, donec pronunciaverint.

Pronunciatio arbitrorum.

Qualiter dominus de Sassenberghe vendidit Johanni duci Brabancie oppidum et dominium terre de Hoesden pro trecentis regalibus annuatim.

Qualiter comes Clivensis infeudavit fratrem suum in tota terra de Hoesden, excepta medietate dominii ejusdem.

Dux assignat filiis de Hoerne certam summam super teloneum de Hoesden annuatim.

De certa concordia facta inter ducem Brabancie et comitem Hollandie.

Johannes frater comitis Clivensis impignoravit omne jus, quod habuit in terra de Hoesden, pro summa quindecim millium regalium.

Qualiter castrum, oppidum et terra de Hoesden venit ex manibus ducis Brabancie in manus comitis Hollandie.

Qualiter dux et ducissa Brabancie transportarunt in dictum comitem Hollandie omne jus, quod habebant in castro, oppido et terra de Hoesden, excepto sono campane.

Qualiter dux Albertus Bavarie, comes Hannonie, Hollandie, etc., transportavit via pignoris castrum, oppidum et terram de Hoesden ad patriam sive terram Brabancie, ac de obsidione oppidi Montis Sancte Gertrudis.

Tenor litere testimonialis comitis Sancti Pauli de reductione castri, terre et oppidi de Hoesden ad patriam Brabancie.

Tenor litere testimonialis baronum et nobilium Brabancie super eodem.

Qualiter dominus dux Burgundie, Brabancie, etc. in literis sui jocundi adventus promisit Montem Sancte Gertrudis et Hoesden tenere et teneri facere ad terram suam Brabanciam.

Sequuntur ordinaciones, statuta, decreta et privilegia scholastico Bruxellensi per duces Brabancie super jure scholarum, etc. concessa, prout in literis, quarum tenores sequuntur.

Ordinacio ducis Johannis tercii super questione exorta inter civitatem Aquensem et villam de Walhorn super nemore et comitatu dicte civitatis, prout in litera tenoris sequentis.

Qualiter Otto dominus de Kuyck supportavit Johanni duci Brabancie et suis heredibus oppidum de Gravia, etc., quod idem dux dicto Ottoni et suis heredibus in feudum concessit, prout in litera tenoris sequentis.

Qualiter Ludovicus rex Romanorum per suas literas tenoris infrascripti infeudavit dictum Ottonem in terra Kuyckensi, excepto oppido de Gravia.

Tenor quitancie predicti Ottonis de V millibus librarum Turonensium, pro quibus ipse predictum oppidum vendidit.

Sophia comitissa Gelrie quitat ducem Johannem de consensu comitis Gelrie, sui conthoralis et mamburni, de sexcentis libris Turonensibus, quas annuatim habuit super redditus oppidi Trajectensis et ducatus Lymburgie.

Incidens de judeo baptizato.

Qualiter Ludovicus rex anno Domini M° CCC° XXVII° disponens et ad imperialem coronam aspirans scribit Hollandie comiti socero suo.

De pace facta inter ducem et dominum de Valkenborch super guerra, de qua supra fit mentio ante historiam de Hoesden.

De guerra orta inter Johannem regem Bohemie et Polonie comitemque Lucemburgensem ex una parte, et Johannem ducem Brabancie ex altera parte.

De conjugio inter Ludovicum de Bavaria regem Romanorum et filiam Wilhelmi comitis Hollandie.

Qualiter Reynaldus dominus de Valkenborch fuit de Lovanio ductus ad castrum de Genapia, et qualiter fuit de carceribus relaxatus : qui postea ab insolenciis non desistens iterum rebellat.

Qualiter dux Johannes obsedit circumcirca castrum et oppidum de Valkenborch.

Qualiter dux se submittens ordinacioni dicti regis super causam dictam de Valkenborch, soluta obsidione ad Brabanciam remeavit.

Qualiter Johannes dux Brabancie remisit Johanni regi homagium de marchionatu Arlionii et comitatu Rupis, quamdiu reges essent comites sive domini terre Lucemburgensis.

Qualiter comitatus Lucemburgensis, in quo prescripti marchionatus Arlionii et comitatus Rupensis sunt constituti, postea fuit per Karolum quartum imperatorem et Bohemie regem in ducatum erectus, et Wenceslaus frater ejus in ducem Lucemburgensem creatus, habetur infra ubi scribuntur gesta imperatoris predicti.

Qualiter Johannes rex Bohemie dictum suum sive ordinacionem proferre recusavit, et deinde rex atque dux se mutuo diffidarunt.

Qualiter Johannes dux Brabancie castrum Valkenburgis cepit et totum destruxit.

De salvaguardia abbatisse et conventus de Porceto, prout in litera tenoris sequentis.

De anno coronationis Ludovici et de epistola quam imperatrix scripsit matri sue in Hollandia existenti.

De donatione propter nupcias per comitem Gelrie de comitatu Velve, facta domine Alianore sorori regis Anglie : quam sine consensu ducis Brabancie facere non potuit, quia idem comitatus ab ipso in feudum tenetur.

Qualiter per imperatorem Ludovicum creatur in ducem Reynaldus comes Gelrie, qui traxerat matrimonium cum domina Alianora, sorore Eduwardi regis Anglie, et de liberis procreatis ex eadem.

Qualiter Philippus rex Francie requisivit Johannem ducem Brabancie, quatenus in ipsum compromitteret de contentione suborta et pendente inter ipsum ducem et Johannem regem Bohemie et Reynaldum de Valkenborch : quod dux facere recusavit.

Qualiter et ob quam causam rex Francorum ducem diffidavit.

De rege Bohemie, necnon aliis principibus, ecclesiasticis et secularibus, comitibusque, baronibus et terrarum dominis, numero XVI, qui contra supradictum Johannem Brabancie ducem se confederando ipsumque diffi-

dando, et propter hoc in oppido Sancti Trudonis convenientes, ipsum invadere proposuerunt et exterminare presumpserunt.

Qualiter dux Brabancie suis hostibus bellum indixit prope Helesen, qui ipsum debellare non audebant.

Qualiter dux ad preces regis Francorum ad ipsum profectus est in Franciam, et pacificati et confederati post contracta inter ipsorum filiam et filium sponsalia ab invicem recesserunt.

Qualiter post pacem inter regem Francorum et sibi adherentes atque ducem Brabancie factam nova guerra occasione oppidi Mechliniensis et fluminis Schalde orta fuit inter comitem Flandrie et sibi adherentes, numero XVII, ex una parte, et ducem Brabancie ex altera.

Qualiter ducatus Brabancie et Lymburgie circumquaque finibus inimicorum adeo fuerunt circumdati et interclusi per spacium IX mensium et XVIII dierum, quod nullus tute ingredi neque egredi poterat.

Qualiter Flandrenses et Brabantini, hincinde alter alterius terras circa limites assultando, vastarunt incendio et rapina.

Qualiter comes Barensis, veniens in auxilium ducis cum nonnullis militaribus Brabancie, Flandrenses victoriose superavit in loco dicto ten Hellekenne.

Qualiter oppidum Thiele fuit captum et oppidum de Landen combustum, et quedam alia hincinde acciderunt.

Qualiter oppidum Thsertogenrode fuit obsessum per duos menses.

Qualiter dux cum magna expeditione proficiscens versus oppidum Rode, animo suos adversarios debellandi et ipsum oppidum recuperandi, et qualiter nonnulli principes de Francia advenerunt.

Qualiter dux vexillis explicitis per diem integrum se cum suis tenuit ante Rode, bellum exspectando.

Qualiter dux remeavit versus Brabanciam, et terram Lossensem devastavit.

Qualiter nonnulli principes supranominati venerunt ex Francia ad ducem in Brabancia.

De tribus ammirandis que acciderunt, quum Brabancia per IX menses conclusa permansit.

Qualiter Philippus Francorum rex tanquam judex electus per partes predictas suam ordinacionem pronunciavit, cujus tenor sequitur.

De matrimonio per ordinacionem dicti regis Francorum facto inter filiam ducis Brabancie et filium comitis Gelrie.

De restitutione terre dominii Mechliniensis et de Herpen.

De permutatione juxta ordinacionem regis Francorum facta per et inter ducem Brabancie et ducem Gelrie de Thiele, etc. et Outhoesden, etc., prout in literis quarum tenores subsequuntur.

De obitu ducisse Brabancie.

Qualiter dux Brabancie habet transitum per comitatum Lossensem cum sua expeditione, prout in litera tenoris sequentis.

De privilegiis, libertatibus et immunitatibus per diversos duces Brabancie felicis recordationis prelatis et religiosis concessis : quorum tenores subsequuntur.

De adventu regis Anglie Eduwardi in Brabancia.

De privilegio per dictum Eduwardum regem Anglie mercatoribus et burgensibus ville Bruxellensis concessis.

Conceditur predicto Johanni duci libertas et potestas cudendi monetam auream sub titulo et nomine imperatoris.

Qualiter Wilhelmus comes Juliacensis per Ludovicum imperatorem creatur in marchionem, et qualiter filiam regis Anglie duxit in uxorem, ex qua magna generacio processit.

Qualiter Eduwardus rex Anglie proprie in persona se transtulit de Antwerpia versus imperatorem Ludovicum, tunc temporis apud Confluenciam existentem, qui eundem regem ibi instituit vicarium imperii generalem.

De legibus sive constitutionibus per antedictum Ludovicum imperatorem in solempni sua curia apud Confluenciam editis.

Citatur et monetur Johannes dux Brabancie ad comparendum certis loco, die et horis coram imperatoris vicario predicto, auditurus recitationem et insinuationem sententiarum, judiciorum et mandatorum a dicto imperatore emanatorum.

Dux Brabancie personaliter et peremptorie citatur, ut ad certos diem et locum, cum qua potuerit hominum armatorum multitudine, vicarium imperii accederet, secum vicarii expensis ulterius profecturus.

Expedicio regis Anglie et vicarii imperii prorogatur usque ad estatem proxime sequentem; tunc vicarius proficiscitur, quem dux sequitur et immediate scribit, etc.

De Jacobo de Artenvelde, et de confederacione facta inter regem Anglie et terras Brabancie et Flandrie.

De classe ducentarum navium per regem Francorum destinatarum in Zwen, quam rex Anglie bello navali vicit et superavit.

De dissentione et discordia exorta inter oppida Lovaniense et Bruxellense, utroque ipsorum sibi competere contendente ad partem dexteram domini ducis in suis expedicionibus generalibus sibi propinquius locari debere, etc.

Qualiter rex Eduwardus cum suis confederatis civitatem Tornacensem circumcinxit.

Qualiter domus et castrum de Meghen tenetur in feudum a duce Brabancie, ut habetur in litera tenoris sequentis.

Ludovicus imperator mandat abbatisse, decano et capitulo Nyvellensi et omnibus nobilibus Brabancie, quod obediant duci in omnibus juribus regalium feudorum et temporalitatum.

De morte Wilhelmi comitis Hannonie, Hollandie et Zelandie, qui habuit in uxorem Johannam filiam seniorem Johannis tercii ducis Brabancie.

De guerra inter episcopum et patriam Leodiensem.

De bello in Crissi.

De destructione castri de Arkenteel.

De bello inter episcopum Leodiensem et duces Brabancie et Gelrie ex una parte et Leodienses ex altera.

Capitur Calesium per regem Anglie.

De concordia et confederatione inita inter Philippum regem Francie et Johannem ducem Brabancie, inter eosdem et eorum successores perpetuo duraturam.

De feudo quod rex Francie Heinrico primogenito ducis Brabancie ejusque heredibus concessit.

De privilegiis per regem Francie duci et subditis patrie Brabancie concessis, perpetuo duraturis, prout in literis tenoris sequentis.

Qualiter Philippus rex Francie promittit procurare, quod comes Flandrie supportabat hereditarie Heinrico primogenito ducis Brabancie oppidum Mechliniense, prout in literis tenoris sequentis.

Sequitur tenor literarum comitis Flandrie, per quas promittit supportare seniori filio Johannis ducis Brabancie villam Mechliniensem, reco-

gnoscens se fore bene contentatum de recompensatione ejusdem ville per Philippum regem Francie.

De antiquo statu oppidi Mechliniensis.

Qualiter Hugo episcopus Leodiensis supportavit Johanni hujus nominis Brabancie duci secundo et suis successoribus usque ad terciam generacionem partem ville Mechliniensis ecclesie Leodiensi competentem.

Qualiter medietas ville Mechliniensis iterum reducta est ad ipsam ecclesiam Leodiensem.

Qualiter Wilhelmus comes Hannonie et Hollandie via pignoris acquisivit ab Adolpho episcopo Leodiensi medietatem ville Mechliniensis, et reliquam medietatem cum suis pertinenciis emit erga dominum Florencium Berthout, qui iterum partem suam fuit adeptus.

De matrimonio contracto inter Sophiam filiam unicam domini Florencii predicti et Reynaldum comitem Gelrie, filium Ottonis comitis Gelrie prefati.

Qualiter Adolphus de Marka episcopus Leodiensis partem sibi et ecclesie Leodiensi in oppido Mechliniensi pertinentem vendidit Ludovico comiti Flandrie.

Qualiter Reynaldus comes Gelrie, tamquam tutor et mamburnus senioris sue filie vendidit dicto comiti Flandrensi jus eidem sue filie post matris sue decessum devolutum in oppido Mechliniensi predicto.

Qualiter episcopus Leodiensis et comes Gelrie miserunt procuratores suos ad absolvendum oppidanos Mechlinienses a juramentis ipsis prestitis, et qualiter dictus comes Flandrie cum litteris emptionis misit procuratores ad capiendum possessionem.

De guerra orta inter comitem Flandrie et oppidum Mechliniense, et deinde inter eundem comitem et XVII principes et dominos terre sibi adherentes ex una parte. et Johannem tercium ducem Brabancie ex altera parte.

De pace contracta inter ducem Brabancie et comitem Flandrie, et qualiter oppidum Mechliniense et jurisdictionem ejusdem conjunctim tenebunt.

Qualiter Johannes dux Brabancie erga Ludovicum comitem Flandrensem emit omne jus, quod eidem comiti in dicto oppido Mechliniensi competere poterat, et qualiter papa eundem a juramento de ipso oppido non alienando prestito absolvit, etc.

Qualiter tres episcopi commissarii apostolici fecerunt coram eis citari episcopum et decanum et capitulum Leodiense, ad videndum dictum comitem Flandrie absolvi, etc., et secum dispensari, etc., vel dicendum causam quare hoc fieri non deberet.

De morte Ludovici comitis Flandrie in bello de Crissi, et qualiter juvenis Ludovicus comes Flandrie, dicti quondam Ludovici filius, contemplatione regis Francie Heinrico seniori filio ducis Brabancie supportavit oppidum Mechliniense cum pertinenciis suis universis. Tenores vero dictarum literarum regis et comitis, de quibus supra fit mentio, habentur supra ante rubricam de antiquo statu oppidi Mechliniensis. Qualiter postea oppidum Mechliniense venit ex manibus ducis Wenceslai et ducisse Johanne ad manus Ludovici comitis Flandrie, habetur infra, ubi scribuntur gesta ducis Wenceslai et ducisse Johanne predictorum.

Privilegium aureum per Karolum quartum Romanorum regem concessum ducibus et subditis Brabancie; sequitur forma verborum litere sue cedule scripte.

Executoria litere precedentis.

De inquisitione facienda super attentatis.

Imperator cassat attemptata contra privilegia prescripta.

Karolus quartus revocat quandam monitionem per ipsum factam abbatisse Nyvellensi.

Karolus rex mandat abbatisse et conventui Nyvellensi, quoniam novam abbatissam ibi assumi contigerit, quod illa debeat universa feuda et temporalitates suscipere a duce Brabancie.

Karolus rex mandat canonicabus et capitulo Nyvellensi, ut Mechtildi de Leuwenberch, que a duce Brabancie regalia suscepit, obediant.

Copia cujusdam litere confirmatorie Karoli Romanorum regis, per quam confirmat Johanni duci Brabancie et heredibus suis privilegium Alberti Romanorum regis in sua litera incorporatum.

Tenor litere confirmatorie Karoli regis, per quam predicto duci Johanni confirmat quandam literam confirmationis Heinrici Romanorum regis, avi sui, super privilegio Philippi.

Karolus rex confirmat Johanni duci Brabancie quandam literam Heinrici Romanorum regis, avi sui, facientem mentionem de foro salis et piscium.

De confirmatione predicti Karoli de quadam litera Frederici Romanorum regis de collatione oppidi Trajectensis.

Karolus confirmat illis de Buscoducis privilegium Heinrici VI^{i} imperatoris.

De obitu Walrami archiepiscopi Coloniensis.

Qualiter marchio Juliacensis a filiis suis capitur.

De morte Johannis domini de Valkenborch.

Qualiter ad humilem supplicationem Karoli Romanorum et Bohemie regis Innocencius papa VI^{us} statuit in Alemannie partibus festum de lancea et clavis Christi perpetuo celebrari, et largitus fuit ad hoc magnas indulgencias.

Qualiter Wenceslaus de Bohemia comes Lucemburgensis, frater Karoli Romanorum regis, per eundem regem in ducem et comitatus ejusdem in ducatum erigitur, patet in litera tenoris sequentis.

De partificatione, quam Johannes tercius dux Brabancie post obitum filiorum suorum sine liberis fecit inter tres filias suas : quam Karolus rex confirmat.

Qualiter Karolus Romanorum rex coronatur in imperatorem.

De obitu Johannis ducis tercii et ejus sepultura.

INCIPIT LIBER QUINTUS HUJUS CRONICE.

De electione Alphonsi regis Castelle, et Richardi Comitis Cornubie fratris regis Anglie in reges Romanos in discordia celebrata. Cap. I.

Anno incarnationis dominice M° CC° LV°, post mortem Frederici 1255. quondam Romanorum imperatoris secundi et Conradi filii sui in regem Romanorum electi, mortuo eciam Wilhelmo de Hollandia Romano rege suprascripto, principes Germanie electores imperii se in duas partes dividentes, una pars elegit Alphonsum regem Castelle, nepotem Philippi secundi dudum Romanorum regis, scilicet sue filie filium; altera vero Richardum Comitem Cornubie fratrem regis Anglie, consanguineum Ottonis quarti olim Romanorum imperatoris in reges Romanorum. Et dicitur, quod Richardus fuit Aquisgrani in regem coronatus. Istud autem scisma inter ipsos duos electos pro imperio obtinendo contendentes duravit annis XVIII vel circa.

Alphonsus rex Romanorum electus constituit Heinricum Brabancie ducem tercium provincialem infra certas metas Alemannie. Cap. II.

Orto autem hoc scismate sive discordia inter Alphonsum regem Romanorum electum, ac Castelle, Toleti, Legionis, Gallecie, Sivilie, Cordube, Murcie et Grenatie regem ex una, et Richardum Comitem Cornubie eciam electum in regem Romanorum partibus ex altera, dictus Alphonsus, anno Domini M° CC° LV°, anno vero regnorum suorum, Hispanie VI°, Romano-

rum vero I°; XVII° kalendas [1] novembris in civitate Burgensi constituit dominum Heinricum hujus nominis III^um^, ducem Burgundie et Brabancie, patrem Johannis hujus nominis postea primi ducis, universalem tutorem, custodem et defensorem vasallorum, civitatum, oppidorum, villarum, terrarum et omnium jurium imperii a Brabancia usque ad Renum, et a terminis dyocesis Treverensis in descensu Reni usque ad mare, cum potestate rebelles sibi corrigendi et ipsos reconciliandi, ac levandi penas pecuniarum, obventiones, redditus, proventus, etc., prout in literis desuper confectis plenius habetur.

Alphonsus electus predictus dedit Heinrico Brabancie duci tercio antedicto certam pecunie summam, ut sibi contra Richardum assisteret. Cap. III.

1258 Item idem Alphonsus anno Domini M° CC° LVIII°, XII° kalendas novembris, indictione secunda, apud Segoviam contulit memorato duci Heinrico decem millia librarum, quas Parisiis sibi solvere promisit ad certum terminum, ut sibi assisteret contra predictum Richardum adversarium suum; et alia decem millia librarum pro nonnullis nobilibus acquirendis et ad fidelitatem suam adducendis, etc.; prout in literis desuper confectis plenius continetur [2].

Qualiter post mortem Heinrici ducis tercii relicta ejus cum Heinrico primogenito suo rexit Brabanciam, exclusis principibus qui tutelam suorum filiorum habere nitebantur. Cap. IV.

1260. Anno Domini M° CC° LX°, mortuo Heinrico hujus nominis Lotharingie et Brabancie duce tercio, filii ejusdem ducis scilicet Heinricus, Johannes et Godefridus, adhuc impuberes et tum parvi existentes, quod arma ferre nequibant: quare Heinricus episcopus Leodiensis, et frater ejus Otto comes Gelrie, ac Heinricus lantgravius Thuringie tutelam sive mamburniam ipsorum habere nitebantur, cum quibus domina Aleidis ducissa, mater trium pue-

[1] Alias : *septimo kalendas.*

[2] Exstant apud Butkens, t. I, *Preuv.* p. 95.

rorum predictorum, taliter tractavit, quod a petitis se deportarunt, et sic ipsa domina ducissa, cum consensu et consilio trium statuum patrie Brabancie, prelibatis tribus filiis suis sub ejus cura et tutela permanentibus, cum Heinrico filio suo, qui major natu erat, eandem patriam Brabancie per septem annos vel circa fideliter et laudabiliter gubernabat.

Qualiter Heinricus primogenitus resignavit jus sibi in ducatu Brabancie quesitum, donando illud Johanni fratri suo secundogenito, qualiter in literis quarum tenores subsequuntur. CAP. V.

Deinde dictus Heinricus tunc appellatus Brabancie dux [1], dum ad etatem 1267. legitimam pervenerat, ab omni emancipatus tutela, et tam provecte etatis existens, ut secundum consuetudinem terre Brabancie suam hereditatem gerere et in ea ministrare potuit, de consilio illustrium Hugonis ducis Burgundie avi sui materni et Aleidis ducisse Brabancie genitricis sue, nec non de consensu ac in presentia majoris partis prelatorum, nobilium et burgensium Brabancie, omne jus, quod habebat in ducatu Lotharingie et Brabancie, voluntate spontanea resignavit et Johanni secundogenito fratri suo simpliciter et absolute donavit inter vivos.

Quod cum ex insinuatione ducisse matris et ducis patrui Heinrici predictorum ad notitiam supradicti Richardi Romanorum regis pervenerat, qui eidem regi humiliter supplicavit quatenus donacionem eandem acceptam et gratam habere ipsamque suis literis patentibus munire dignaretur: quapropter idem Richardus rex eorumdem precibus benigne annuens, Nicolao Reverendo Patri Cameracensi episcopo, cancellario suo et nobili viro Balduino de Avesnis suo consanguineo per suas certi tenoris literas commisit et mandavit quatenus, si debita informatione prehabita ipsis constiterit premissa fore vera, quod tunc donacionem hujusmodi, vice dicti regis solempniter acceptare curarent, et de eadem donacione per eorum patentes literas insinuationem facerent universis et singulis, et ab eodem Johanne, loco sui acciperent homagium et fidelitatis debite juramentum, tali conditione adjecta, quod, quam cito dicto regi infra fines regni Alemannie adesse

[1] Non tamen Henricus ille, qui quartus esset hujus nominis, in numero ducum ponitur.

contigerit, dictus Johannes homagium et fidelitatis debite juramentum ad primam requisitionem suam presentialiter innovare teneretur, prout hec et quedam alia in ejusdem regis desuper confectis literis plenius continentur et habentur.

Tenor vero dictarum literarum, de quibus supra immediate fit mentio, sequitur et est talis.

« Richardus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, venerabili Cameracensi episcopo, principi et cancellario suo carissimo, ac nobili viro Balduino de Avesnis, dilecto consanguineo et fideli suo, gratiam suam et omne bonum. Ex fide dignorum relatione didicimus, quod illustris sive spectabilis Heinricus, tunc dux Brabantie appellatus, nature donis sit usque adeo destitutus, utpote corpore imbecillis existens, et virtutibus animi, solertia, providentia quoque ita deficiens, quod nequaquam sit aptus aut habilis, ut existat in tanto culmine dignitatis, et quod velut princeps imperii ducatus honore refulgeat, nec servitium nostre majestati debitum nobis et imperio valeat exhibere; ac idem Heinricus ab omni emancipatus tutela totaliter, et secundum consuetudinem terre Brabancie tam provecte etatis existens, ut suam hereditatem gerere ac in ea ministrare potuerit absque tutoris sive mamburni auxilio, si defectus ipsius et impedimenta hujusmodi non obstarent; ductus consilio saniori, Johanni fratri suo minori natu secundogenito, qui bone indolis dicitur et probitatis eximie, virtuositate prepollens, ob causas predictas, coram nobis ac aliis pluribus nobilibus et imperii Romani fidelibus, libere donavit donatione inter vivos omne jus, quod habuit in ducatu Brabancie et Lotharingie, cum omnibus ejus pertinenciis, videlicet, homagiis, terris, villis, castris, pedagiis, fortalitiis, et breviter cum omnibus annexis eidem ducatui Brabancie et Lotharingie, quocumque nomine censeantur. Super quibus utique illustris vir Hugo dux Burgundie, avus maternus predicti Heinrici, ac inclita Aleidis ducissa Brabancie, genitrix memorati Heinrici, karissima princeps nostra, nobis humiliter supplicarunt, ut donacionem eandem, quam dictus Heinricus eidem Johanni fratri suo sic fecit, acceptam haberemus et gratam, ipsamque donacionem nostris sacris apicibus muniremus. Nos igitur eorumdem benignis precibus benignius annuentes, sinceritati vestre tenore presentium committimus et mandamus, quatenus finibus Brabancie vestram presentiam vicinantes, si preces veritate nitantur, et de consensu benevolo et

voluntate communi predicte Aleidis ducisse Brabancie, baronum et magnatum, et communium oppidorum ducatus ejusdem, vel majoris et sanioris partis eorum processerit, vice nostra, donacionem hujusmodi factam inter vivos eidem Johanni ab eodem Heinrico, seu resignationem aut concessionem hujusmodi de predicto ducatu Brabancie et Lotharingie, cum omnibus pertinentiis, prout superius est expressum, solempniter acceptare et approbare curetis, et de dicta donacione per vestras patentes litteras insinuationem universis et singulis faciatis, et ab eodem Johanne loco nostri, cum solempnitate qua decet, recipiatis homagium et fidelitatis debite juramentum, tali conditione adjecta pariter et expressa, videlicet quod, quam cito infra fines regni Alemannie nobis adesse contigerit, dictus Johannes tanquam princeps imperii, homagium et fidelitatis hujusmodi juramentum nobis teneatur ad primam requisitionem nostram specialiter denuo innovare ad primum requisitionem nostram. Quibus peractis legitime, prenotatum Johannem de predicto ducatu, loco nostri, curetis solempniter investiri, et mandetis et faciatis eidem auctoritate nostra ab universis et singulis hominibus et vasallis infeudatis atque tenentibus totius ducatus Brabancie, secundum consuetudinem terre, debita prestari et exhiberi homagia et fidelitatis debite juramenta [1]. Et quia majus sigillum nostrum propter guerrarum discrimina penes nos non habemus ad presens, minori sigillo nostro presentes literas jussimus communiri, unde propter hoc in negotio procedere nullatenus omittatis; nam, si necesse fuerit, sub majori sigillo easdem presentes literas dabimus, quam primum commode illud habere poterimus. Ea omnia, que superius sunt expressa, vestre prudentie committimus [2]. Datum in castris Straffordie prope Londinium, III° die junii, indictione X^a, anno Domini M° CC° LXVII°, regni vero nostri anno X°. »

Preterea est sciendum quod Nycholaus episcopus Cameracensis, Heinricus Afflighemensis, Bernardus Villariensis, Alardus de Parcho, S^{ti} Benedicti, Cisterciensis et Premonstratensis ordinum abbates, Ysabella abbatissa secularis ecclesie Nyvellensis, Balduinus de Avesnis dominus de Bellomonte, Walterus de Ayenghen [3], Walterus Berthout dominus Mechliniensis, Arnoldus dominus de Wesemale, Arnoldus dominus de Wael-

[1] Quae leguntur post *investiri*, desunt apud Butkens, t. I, *Preuv.* p. 102.

[2] Ibid. desunt quae leguntur hucusque post *communiri*.

[3] Walterus dominus de Enghien.

hem. Raygnaldus dominus de Falays notum faciunt per eorum patentes literas universis easdem visuris, insinuando et testificando, quod Heinricus primogenitus filius Heinrici tercii ducis Brabancie in eorum propter hoc et plurium militum et burgensium et aliorum hominum terre Brabancie constitutus presentia. jus quod habebat in ducatu Brabancie et ejus attinentiis Johanni fratri suo secundo post ipsum genito libere donavit donacione inter vivos, et juravit, tactis sacrosanctis evangeliis. quod contra donacionem hujusmodi in posterum non veniret; liberavitque et absolvit homines terre sue, presentes et absentes, a fidelitate et homagio sibi prestitis, rogando dictos homines terre sue. ut dictum Johannem fratrem suum pro duce tenerent ac fidelitatem et homagium ipsi prestarent et facerent. Johannes vero eosdem homines terre sue, quosdam specialiter et nominatim, alios vero in generali, rogavit, ut sibi tanquam duci homagium prestarent et fidelitatem, prout in dictis eorum literis latius continetur.

Tenor vero dictarum literarum, de quibus supra proxime fit mentio. sequitur et est talis.

« Nycholaus Dei gratia Cameracensis episcopus. Heinricus Afflighemensis. Bernardus Villariensis. Alardus de Parcho, sancti Benedicti, Cisterciensis, et Premonstratensis ordinum abbates, Ysabella. abbatissa secularis ecclesie Nyvellensis. Balduinus de Avesnis dominus de Bellomonte. Walterus dominus de Ayenghen. Walterus Berthout dominus Mechliniensis, Arnoldus dominus de Wesemale, Arnoldus de Waelhem, Raygnaldus dominus de Falays, universis presentes litteras visuris salutem. Noverit universitas vestra. quod Heinricus primogenitus filius Heinrici quondam ducis Brabancie magne memorie, in nostra propter hoc et plurium militum, burgensium et aliorum hominum terre Brabancie constitutus presentia, jus quod habebat, vel quod sibi competebat in ducatu Brabancie et ejus attinentiis sive pertinentiis. in homagiis, hominibus, oppidis, villis. castris. censibus, redditibus. teloniis sive pedagiis et aliis juribus, quocumque nomine censeantur, Johanni fratri suo secundo post ipsum genito libere et spontanee donavit donacione inter vivos. nihil juris sibi reservans in eisdem, et premissa guerpivit et effestucavit ad opus Johannis predicti. Juravit eciam Heinricus supradictus, tactis sacrosanctis evangeliis, quod contra donationem hujusmodi in posterum non veniret, et homines terre predicte, presentes et absentes, a fidelitate et homagio, que sibi prestiterunt.

seu fecerunt, eciam absolvit, rogans et monens homines dicte terre Brabancie feudales et alios, in donacione predicta presentes eciam et absentes, mandans eisdem ut dictum Johannem fratrem suum pro duce Brabancie tenerent et haberent, et eidem tanquam duci obedirent et servirent, sibique homagium prestarent et fidelitatem exhiberent. Johannes eciam antedictus homines dicte terre Brabancie feudales, nobiles et alios presentes in donacione hujusmodi, quosdam specialiter et nominatim, alios vero in generali, rogavit et monuit, ut sibi tanquam duci Brabancie homagium prestarent et fidelitatem. Nos igitur ad petitionem instantem dictorum Heinrici et Johannis, donacionem predictam et factum hujusmodi insinuamus universis, et in predictarum rerum testimonium ad petitionem ipsorum Heinrici et Johannis sigilla nostra literis presentibus sunt appensa. Actum et datum apud Cameracum, anno Domini M° CC° LXVII°, feria tercia ante Ascensionem Domini.

Quapropter Nycholaus Cameracensis episcopus, et Balduinus de Avesnis dominus de Bellomonte notum faciunt universis subscriptas literas, in quibus litera regis est incorporata, executioni debite demandasse, et signanter de cessione et collatione ab Heinrico facta ad opus Johannis de ducatu Brabancie, et eundem Johannem de dicto ducatu investivisse, etc., ac alia juxta traditam ipsis formam fecisse, prout in eisdem literis plenius continetur et habetur, quarum tenor sequitur sub verborum tenore sequenti :

« Nycholaus Dei gratia Cameracensis episcopus, et Balduinus de Avesnis dominus de Bellomonte, egregiis viris, universis hominibus vasallis infeudatis atque servientibus Lotharingie et Brabancie salutem in domino sempiternam. Literas incliti domini Richardi, Dei gratia Romanorum regis. recepimus in hec verba : « Richardus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, venerabili Cameracensi episcopo, principi et cancellario suo karissimo, ac nobili viro Balduino de Avesnis dilecto consanguineo et fideli suo, gratiam suam et omne bonum. Ex fide dignorum relatione didicimus, quod illustris sive spectabilis Heinricus tunc appellatus Brabancie dux, nature donis sic destitutus existit, etc. » (ut supra in prima litera Richardi regis.) « Cum igitur juxta traditam nobis formam, prout superius est expressum, vice et auctoritate regali, prefati Heinrici tunc appellati Brabancie ducis super ducatu Brabancie et Lotharingie libera cessione et resignatione recepta ad opus Johannis secundogeniti fratris sui.

et collatione a dicto Heinrico facta solempniter super hiis Johanni predicto, eundem Johannem cum solempnitate, qua decuit, investiverimus; de eisdem vos universos et singulos auctoritate regali predicta monendos duximus et hortandos, quatenus prenominato Johanni, Romani imperii principi et duci ac domino vestro, cum omni devotione fideliter adherentes et humiliter intendentes, sibi prestetis homagia et fidelitatis debite juramenta, ut duplicis tributo justitie exsolvendo, Deo que Dei, et Cesari que ipsius sunt, possitis commendabiles inveniri. Datum anno Domini M° CC° LXVII° in crastino Ascensionis Domini. »

Qualiter dux Johannes fecit Richardo regi homagium fidelitatis de ducatu Brabancie, prout sequitur. Cap. VI.

1268. « Richardus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, universis presentes literas inspecturis salutem et omne bonum. Ex hoc regie celsitudinis sceptrum ad alta provehitur, si virtutum fulgoribus illustratos benigno favore complectatur, ubi maxime probitatis insignia clari sanguinis generositate conformes videntur induere habitum in splendorem. Hinc est, quod nosse volumus universos, quod cum illustris Henricus, tunc appellatus Brabancie dux, prout per legitima nobis evidenter apparuit documenta, dudum ad etatem legitimam pervenisset, ad regimen principatus se sentiens prorsus inhabilem et penitus imbecillem, omne jus, quod habebat in ducatu Lotharingie et Brabancie, voluntate spontanea resignaverit, et inclito Johanni secundo genito fratri suo simpliciter et absolute donaverit inter vivos. Nos digna consideratione predictum Heinricum nature beneficiis adeo destitutum, quod velut princeps imperii debitum nobis et imperio servitium nequeat exhibere, dictumque Johannem tot et tantarum gratiositatum prestantia prepollentem ex conjecturis probabilibus cognoscentes, ut eum ad tanti regimen principatus idoneum arbitremur, predicti Heinrici super eodem ducatu resignatione recepta, illustris domine Aleidis ducisse Brabancie, nec non nobilium, vasallorum et communitatum ducatus ipsius interveniente consensu, prefatum ducatum Lotharingie et Brabancie cum omnibus attinentiis suis prenominato Johanni liberaliter et benigne porreximus, ipsumque cum solempnitatibus consuetis et debitis investi-

vimus, de eodem recepto ab eo homagio et fidelitatis debite juramento, presenti statuentes edicto ut a modo tanquam princeps imperii et Brabancie dux ab universis et singulis honoretur. In cujus rei testimonium, presens scriptum conscribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri. Datum Cameraci XVI° die augusti, indictione XI^a^, regni nostri anno XII° anno Domini M° CC°LXVIII. »

De dote domine Aleidis ducisse Brabancie matris Johannis primi ducis, per regem Richardum confirmata. Cap. VII.

« Richardus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, universis 1268.
sacri imperii Romani fidelibus presentes literas inspecturis gratiam suam et omne bonum. Ad universorum noticiam cupimus pervenire, quod constitutus nuper in nostra presentia illustris Johannes dux Brabancie et Lotharingie, dilectus princeps noster, ducatum Lotharingie et Brabancie, quem ratione nostri imperii tenere debet in feudum a nobis tanquam a Romano rege, cum solempnitate consueta et debita recepit in feudum et exinde nobis homagium prestitit et fidelitatis debite juramentum, dotalitio sive duario aut dote nobilis ducisse Aleidis matris sue semper salvo. Qui quidem dux in eadem receptione sui ducatus coram nobis et presentibus plurimis inferius advocatis, confessus fuit publice, quod recognovit predictam ducissam matrem suam dotatam fuisse ab Heinrico inclite recordationis quondam duce Brabancie patre suo in villa Geldoniensi et ejus pertinentiis ac in locis circum adjacentibus et vicinis, redditibus trium millium librarum Lovaniensium, et in villa de Genapia et ejus appendentiis quingentarum librarum ejusdem monete annis singulis jure dotalitii possidendis. Quam quidem dotem sive dotalitium aut duarium matri sue predicte in manus nostras humiliter reportavit. Nos itaque, qui debemus et tenemur quibuslibet fidelibus nostris inveniri et in justicia faciles et in gratia liberales, dotem hujusmodi seu dotalitium sive duarium in manus predicte ducisse reddidimus, et ea eidem ducisse regali auctoritate concessimus ab ipsa jure dotalitii libere possidenda. Testes qui interfuerunt, sunt hii : venerabilis Nycholaus Cameracensis episcopus, dilectus princeps et cancellarius noster; nobiles viri Walterus dominus de Ayenghen, Walterus dictus Berthout

dominus de Mechlinia, Heinricus dictus Berthout, frater ejus, Arnoldus dominus de Diest, Arnoldus dominus de Wesemale, Heinricus de Ascha, Heinricus dominus de Duffele, Egidius dictus Bertold, magnates Brabancie: Wilhelmus de Lira, et Robertus dictus Briseteste, milites et alii quamplures homines predicte terre. Actum apud Cameracum XX° die septembris, indictione XI^a^, anno Domini M° CC° LXVIII°, regni vero nostri anno XII°. »

Quibus omnibus, sicut premittitur, peractis, prelibatus Heinricus primogenitus et olim dux Brabancie fuit missus in Burgundiam in quodam monasterio in Divione constituto, in quo primo factus fuit monachus et deinde abbas.

De discordia sive guerra inter oppidum Lovaniense et dominum Walterum Berthout, dominum Mechliniensem. Cap. VIII.

Quibus, ut premittitur, peractis, oppidum Lovaniense propter certas rationes noluit Johannem recognoscere pro duce, ipsumque et ejus matrem ac ipsis adherentes excluserunt, imputantes (*Lovanienses*) domino Waltero de Berthout domino Mechliniensi, quod ad ejus instigationem et consilium Heinricus memoratus juri suo, quod habuit in et ad ducatum, renunciavit, et illud fratri suo donavit Johanni, qui ipsum a Richardo in feudum relevavit, sibi adherentes et obedientiam regis Alphonsi declinantes inimicantes propterea ipsi domino Waltero de Berthout. Deinde Lovanienses cum magna armorum multitudine, ipsis adsistentibus domino Arnoldo de Wesemale, quem in eorum capitaneum constituerant, terram dicti domini Walteri Bertholdi intrantes, ipsam cede et rapina devastare ceperunt. Quibus ipse dominus Walterus cum suis bello congressus, ipsos ad fugam coegit, quos sequens usque ad locum dictum Leepste [1], plures ipsorum prostravit et captivavit.

Demum pace reformata, ipse Johannes fuit in Lovanio et aliis oppidis Brabancie in ducem intronisatus et receptus cum fidelitate et obedientia debita et consueta, memorato Heinrico fratre suo misso in Divionem in Burgundia, ubi in quodam monasterio monachus et deinde abbas fuit factus.

Incidens de muliere in una manu ignem et in alia aquam deferente

Ludovicus rex Francie, cum esset in partibus transmarinis, vidit mulie-

[1] Alias : *Leeste.*

rem quandam in via, in una manu ignem, in alia aquam deferentem, voce magna clamantem : « Heu, heu, heu! » Fecit eam vocari ad se, cui ait : « Ad quid clamas, mulier, et ad quid tu fers illa elementa? » Cui ait mulier : « Domine, ignem fero ad comburendum gaudia paradisi; aquam autem ad extinguendum ignem inferni. » Cui rex : « Expone quod dicis. » — « Certe, domine, valde doleo super hoc, quod vix invenitur hodie, qui recte diligit Deum aut timeat; ymmo omnes diligunt Deum propter gaudia paradisi et timent propter penas inferni. Vellem consumpsisse, ut ab omnibus diligeretur Dominus et timeretur recte : diligeretur, inquam, propter se, quia bonus est, et timeretur propter se, quia justus et omnipotens est. »

Ludovicus rex Francorum iterum cum duobus filiis, adjuncto sibi rege Navarre, transfretavit, et in Carthagine cum uno filio obiit, et rex Navarre similiter in Sicilia obiit.

De infortunio et captione archiepiscopi Coloniensis, et qualiter aliqui Coloniam intrantes ipsam obtinere moliuntur. Cap. IX.

Conrardus archiepiscopus Coloniensis obiit, cui successit Sigibertus de 1268.
Valkenborch, prepositus Coloniensis, vir in negociis suis minime prosperatus; nam, cum ad reprimendas ecclesie Coloniensis injurias et propulsandas inimicorum infestationes multociens tam nobilium quam ministerialium copiosum produxisset exercitum, semper tamen pene inferior videbatur, ita ut a comite Juliacensi in loco, qui dicitur Marienholtz, suis partim fugientibus, partim captis, ibidem eciam ipse caperetur, et in castro Nydecke per triennium et sex menses in custodia haberetur. Hic vero non multum post a civibus Coloniensibus infra urbem capitur et custodie mancipatur. Quapropter exacerbati nobiles et potentes consanguinei archiepiscopi, dominus de Valkenborch, frater ejus, dux de Lymborch, comes de Clevo, nobilis de Heynsberch, congregata multitudine armatorum, Coloniam, per domum adherentem muro maximo aditu facto, intrant et civitatem obtinere moliuntur. At burgenses ad arma conclamant, et dominum de Valkenborch in ipso introitu equo sedentem, proch dolor! interficiunt, ducem Lymburgensem capiunt, et alios introgressos aut fundunt aut capiunt, exteriores autem arripiunt anno Domini M° CC° LXVIII°.

De advocacia civitatis Leodiensis; copia litere testimonialis Walrami ducis Lymburgensis qua docetur ducem Brabancie habere advocaciam civitatis Leodiensis. Cap. X.

1270. « Illustri viro domino suo karissimo Johanni, Dei gratia, Lotharingie et Brabancie duci Walramus dux de Lymburch, suus consanguineus et fidelis, debitum obsequium cum salute. Noscat dilectio vestra nos in crastinum beate Catherine apud Leodium fuisse, et ibidem auribus nostris audivisse quod magistri, scabini et jurati et tota communitas civitatis Leodiensis recognoverunt nobis, in presentia castellani vestri de Daelhem et militum vestrorum, qui presentes fuerunt, et coram nobis et militibus nostris, quod jus advocatie civitatis Leodiensis ad vos jure hereditario dignoscitur pertinere, et quandocumque et quotiescumque civitatem Leodiensem intrare volueritis, ipsi vos pro suprèmo advocato suo habebunt et legitimo defensore. Datum anno Domini M° CC° LXX°, feria V^a^ post dictum festum beate Catherine. »

In literis cujusdam concordie facte inter Johannem ducem Lotharingie et Brabancie et civitatem Leodiensem, continetur inter multa alia, quod dux Brabancie predictus et sui heredes debent esse supremi advocati predicte civitatis, et si ipse dux acquisierit advocatiam, quam Balduinus de Beaulmont teneret in Leodio, infra duodecim annos extunc proxime futuros, ad hoc facerent sibi subsidium de tribus millibus librarum Lovaniensium, et interim sibi solverent trecentas libras Lovanienses, prout in dictis literis inter multa alia latius continetur, que fuerunt date anno Domini M° CC° LXXVI°, die Lune post festum beati Petri ad vincula, que fuit prima dies augusti.

Capitulum Coloniense scribit ducisse et Johanni duci Brabancie ejus filio de defectu reddituum altaris trium Regum per quondam Heinricum ducem fundatum in ecclesia Coloniensi. Cap. XI.

1272 « Excellenti domine ac honorande ducisse Brabancie, ejusque filio Johanni illustri duci Brabancie et Lotharingie capitulum Coloniense, quid-

quid possunt obsequii et honoris. Cum reverendus in Christo pater ac dominus noster Engelbertus, Dei gratia archiepiscopus Coloniensis, ad quem, vacante decanatu ecclesie nostre, altaris sanctorum trium Regum spectat collatio ista vice, ipsum altare vacans per mortem Theoderici sacerdotis bone memorie Hermanno sacerdoti exhibitori presentium contulerit, ipse Hermannus, sibi debitum officium feliciter exsequens, ad illud altare fideliter deserviat et devote, excellencie vestre humiliter supplicamus quatenus habentes Deum pre oculis et fideliter advertentes qua devotione et humilitate vir strenuus et illustris Heinricus pie recordationis quondam dux Brabancie de sua et suorum predecessorum ac successorum salute juste et religiose cogitans, dictum altare construxerit ob reverentiam et honorem dictorum trium Regum, nec non et memoriam in nostra ecclesia perpetuo faciendam, illudque dotaverit duodecim marcharum redditibus annis singulis, sicut in privilegio a vestris predecessoribus super hoc confecto, cujus transcriptum vobis sub sigillo ecclesie nostre transmittimus, plenius continetur, que a vestris predecessoribus dicti altaris ministris sunt solute, licet tamen per sex annos continuos iidem redditus sint detenti, quorum requisitionem dilectis nobis in Christo Alexandro de Linepe et Johanni de Rimerbergis in nostra et Leodiensi ecclesia Canonicis commisimus, secundum quod in literis vobis ex parte nostra missis plenius videbitur contineri. Datum feria VI^a^ ante ramos palmarum, anno Domini M° CC° LXXII°.

Qualiter ducissa Austrie, filia quondam Frederici imperatoris, obtinuit apud reges Alphonsum et Richardum in discordia electos, quod ipsi juri ipsis in imperio acquisito renunciaverunt, ad opus filii sui, scilicet Rodulphi comitis de Havichburch. Cap. XII.

Postquam scisma ortum inter Alphonsum regem Castelle et Richardum comitem Cornubie fratrem regis Anglie, per electores Imperii in reges Romanorum in discordia electos, duraverat per XVIII annos vel circa, tandem ducissa Austrie, filia dicti Frederici quondam Romanorum imperatoris secundi, obtinuit apud illos duos electos de imperio contendentes, quod ipsi renunciaverunt juri ipsis acquisito ad opus filii sui, scilicet Rodulphi comitis de Apsburch sive Havichburch, quod ille eligeretur. Ex

cujus electione insurrexerat questio disputata Bononie per dominum Stephanum Pellonum; nam, ut predicitur, filia Frederici obtinuit apud illos duos electos, quod ipsi renunciaverunt, et demum rex Bohemie dedit filiam suam filio ipsius domine in uxorem. Post hec ipse filius ducisse concorditer eligitur a principibus in regem Romanorum, ut infra patebit suo loco. Et querebatur an valeret electio? et videbatur propter tria, que precesserant, quod non : primo, quia preces intercesserunt, quod renunciarent electi, et quod ille eligeretur; secundo, quia renunciatio invalida; tertio, propter successionem prohibitam, et ad hec omnia allegavit. Solvit tamen, quod electio valuerit, nec obstat quod de precibus dicitur, cum fierent pro digno, et remisit ad novellam de etate et qualitate, C. *tuam, c. II.* Et quod de successione dicitur, etiam non obstat, quia non per successionem, sed per electionem petitur confirmatio. Item mater succedere non potuit, ergo nec ipse per matrem.

Johannes Andreas refert eciam, quod ipse Fredericus post depositionem suam tenuit regnum Sicilie, et eo mortuo filius suus Conradus. Quo mortuo, alter filius Manfredus. Et hec fuere tempore Alexandri pape IV^{i} et Urbani pape IV^{i}.

Demum Clemens papa IV^{us} dedit regnum Sicilie domino Karolo fratri regis Francie, comiti Provincie, qui bellum habuit cum domino Manfredo, in quo et ipse Manfredus mortuus fuit. Demum Conradus filius dicti Conradi, dicens regnum ad se spectare, intravit Apuliam viriliter et potenter; sed ibi devictus et captus per dominum Karolum predictum decapitatus fuit secundum Johannem Andream.

De electione et regno Rodulphi. Cap. XIII.

1273. Anno Domini M° CC° LXXIII°, priusquam supradicti Alphonsus et Richardus reges in discordia electi juri ipsis ad imperium acquisito ad opus predicti Rodulphi renunciaverant, ut premittitur, principes Germanie electores imperii ad electionem regis apud Frankenvorde convenientes, supradictum Rodulphum in regem Romanorum, in imperatorem postea promovendum, concorditer elegerunt : qui per Gregorium papam X^{um} confirmatus, cum magna principum et procerum comitiva se transtulit ad

Aquisgranum, ubi fuit ab Engelberto archiepiscopo Coloniensi consecratus in regem, atque coronatus die XXVII[a] octobris, indictione II[a], anni prescripti. Hic regnavit annis XIX vel circa, et obiit anno Domini M° CC° XCI°, XVI° kalendas junii in civitate Spirensi, ubi est sepultus; et vacavit regnum mensibus IX et diebus V: et postea electus fuit Adolphus comes de Nassouw, ut infra patebit. Iste Rodulphus rex fuit in omnibus bene fortunatus, et filius obediencie quoad ecclesiam Romanam; tamen coronam imperialem non fuit adeptus.

Hic Rodulphus rex per suas certi tenoris literas majestatis sue sigillo communitas innovavit et confirmavit supradicto Johanni duci Lotharingie et Brabancie et suis hominibus universa feuda, jura, libertates, concessiones, collationes et sententias ab imperatoribus et regibus Romanorum suis predecessoribus, Frederico videlicet et suis antecessoribus, predicti ducis progenitoribus et hominibus eorumdem factas, concessas et latas, prout in eisdem sequentibus literis [1] plenius continetur.

« Rodulphus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, universis Romani imperii fidelibus gratiam suam et omne bonum. Cum omnis gloria sive potencia principatus in subditorum consistat precipue solidata fortunis, decet et expedit, ut quilibet, in quacumque preeminentia constitutus, sit subjectis in gratia liberalis. Tunc enim regalis dignitas vere laudis titulis sublimatur et eminenti decore prefulget, cum fidelium principum suorum devotionem clementer attendens eis de sua liberalitate innovat et confirmat, que a suis sibi predecessoribus sunt collata, eo quod non minus in observandis beneficiis quam largiendis laus regie dignitatis accrescat. Ea propter noscere volumus universos, tam posteros quam presentes, quod nos sincere devotionis fideique constantiam, quam illustris princeps noster Johannes dux Lotharingie et Brabancie ad celsitudinem nostram habere dignoscitur, attendentes eciam placida, fructuosa et grata servitia, que per eum nobis in posterum poterunt exhiberi, universa feuda, jura, libertates, concessiones, collationes et sententias a divis imperatoribus et regibus Romanorum, nostris predecessoribus, Frederico videlicet et antecessoribus suis, ejusdem ducis progenitoribus ac hominibus eorumdem factas, concessas et latas, prout rite ac provide facte, concesse et late noscuntur, predicto duci et

[1] Exstant etiam apud Butkens, t. I, *Pr.*, p. 105.

hominibus suis, auctoritate regalis culminis approbamus, innovamus, confirmamus, hujusque sceptri patrocinio communimus. Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostre approbationis, innovationis et confirmationis infringere, vel eidem in aliquo ausu temerario contraire. Quod si quis forsitan attentare presumpserit, gravem nostre indignationis offensam se noverit incursurum. In quorum omnium testimonium et evidentiam pleniorem presens scriptum exinde conscribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri. Datum Aquisgrani XXVII[a] die octobris, indictione secunda, anno Domini M° CC° LXXIII°, regni vero nostri anno primo. »

Qualiter dux Lotharingie et Brabancie est post imperium superior advocatus regalis sedis urbis Aquensis, ut patet ex literis tenorum sequentium. Cap. XIV.

1277 « Universis ad quos presentes litere pervenerint, nos judices, scabini consulatus, civium magistratus ac universi cives regalis sedis Aquensis notum facimus per presentes, quod, cum vir illustris dominus Johannes Lotharingie et Brabancie dux sit, sicut sui fuerunt progenitores, post imperii dominum superior advocatus, nobisque sit impertitus et quotidie impertiatur suum per amplius consilium, auxilium, assistenciam et favorem, nos ejus excellentiam digna vicissitudine prosequi cupientes, quidquid ei ratione predicte advocacie, qua apud nos fungitur, tenemur facere, faciemus, promittentes ejus acquiescere consiliis et sue gratie et benevolentie nos aptare, in omnibus imperii jure salvo. Datum dominica proxima post festum beati Urbani pape, anno Domini M° CC° LXXVII°. »

« Universis presentes literas inspecturis judices, scabini consulatus, civium magistratus et ceteri cives regalis sedis Aquensis salutem et cognoscere veritatem. Quoniam fragilis est hominum memoria, et gesta de levi oblivioni traduntur, nisi scriptis fuerint stabilita, notum facimus tam presentibus quam futuris, quod nos unanimiter recognoscimus illustrem principem dominum Johannem, Dei gratia Lotharingie et Brabancie ducem, nostrum esse, quemadmodum sui honorati predecessores fuerunt, superiorem advocatum, et nos ipsum et suum, qui in ducatu legitime successerit,

heredem pro nostro superiori confitemur et tenemus in perpetuum advocato: domino Johanni Lotharingie et Brabancie duci promittimus bona fide, quod eidem et heredi suo contra omnes, qui nunc subsunt nobis aut subesse poterunt [1], excepto serenissimo domino nostro Romanorum rege ac imperatore, assistemus fideliter consilio, auxilio et favore. Et ut premissa robur et certitudinem obtineant firmitatis, presentes literas eidem et suis heredibus, roboratas nostri sigilli munimine, contulimus in perpetuum duraturas. Datum Aquisgrani anno Domini M° CC° LXXX°, in crastino Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi. »

Dux promittit civitatem et cives Aquenses defendere et eis consilium, auxilium et favorem impertiri, prout in litera, cujus tenor sequitur. Cap. XV.

« Johannes, Dei gratia dux Lotharingie et Brabancie, universis tam presentibus quam futuris presentes literas visuris salutem et cognoscere veritatem. Ex debito nostri principatus hos non immerito promovemus et amplectimur gratia speciali, apud quos dignitatis officio fungimur et honoris : itaque nostrorum progenitorum, qui sedem et civitatem regalem Aquensem et ejus cives, ubi, sicut ipsi fuerunt, nos sumus superior advocatus, ab eo tempore cujus non extat memoria, sedulo promoverunt et conservaverunt, et pro studio [2] deffensarunt, vestigiis inherentes, tam ob reverentiam sacri Romani imperii quam ratione superioris advocacie, qua post imperium fungimur apud eos, item propter assistentiam nobis pactam, predictam sedem et civitatem regalem et ejus incolas sive cives conservare, promovere et omnia eis fructuosa facere ac impendere promittimus et tueri: et, dum requirere duxerint, eis favorem, consilium, auxilium et assistentiam impertiri promittimus, et prestare fideliter et benigne, atque universa et singula ipsis civibus Aquensibus bona fide servanda, nostrum qui in ducatu legitime successerit heredem in perpetuum obligamus; dantes de consilio nostrorum consiliariorum, pro nobis et pro predicto herede nostro, eisdem civibus Aquensibus, qui nunc sunt aut in futurum erunt, presentes 1280

[1] Apud Butkens, t. I, *Preuv.* p. 112 legitur : *qui nunc supersunt, aut poterunt superesse.*

[2] Apud Butkens loco *pro studio* legitur *studiose.*

in perpetuum duraturas literas cum appensione sigilli nostri ad firmum robur et in eternum testimonium super omnibus et singulis supradictis. Datum in Daelheym feria IVa post Pascha Domini, anno ejusdem M° CC° LXXX°. »

Qualiter comes de Marka capitur et moritur; et qualiter Wilhelmus comes Juliacensis occiditur in civitate Aquensi. CAP. XVI.

Hoc tempore[1] obiit Engelbertus archiepiscopus Coloniensis, cui successit Sigifridus de Westerburch, prepositus Maguntinensis. Engelbertus comes de Marka ab Hermanno nobili viro de Breyderfurt capitur et in vinculis moritur.

Anno IIII° Rodulphi regis, videlicet anno Domini M° CC° LXXVIII°, in vigilia beate Gertrudis virginis, Wilhelmus, comes Juliacensis civitatem Aquensem archiepiscopo Coloniensi Sigefrido confederatam dolo obtinere nititur, et incaute ingreditur, ac cives ad arma conclamantes, ipsum comitem et filium ejus primogenitum cum trecentis et LXVIII satellitibus (proch dolor) interficiunt, ac archiepiscopus, audacie gustu ex casu inimicorum accepto, terram comitis Juliacensis hostiliter invadit, cedibus, rapinis et incendiis cuncta devastans, et Juliacensem munitionem obsidione circumdans: at superstites comiti, et quotquot in tali trepidatione colligi poterant, congregati viriliter portas erumpunt et archiepiscopum et suos ferociter invadunt: sed tandem archiepiscopus victoria potitus munitionem illam cepit, et pro libito inibi cuncta disposuit. Ibi quoque et Colonienses pro archiepiscopo fortiter pugnasse memorantur, et aliqui ex eis occubuisse referuntur. Comes vero de Lutsemborch[2], consanguineus comitis Juliacensis, cum maximo exercitu intrat archiepiscopatum Coloniensem et Tulpetum obsidione cingit, sed inacte[3] discedit. Tandem, fidelibus archiepiscopi et amicis comitis mediantibus, tali conditione pax inter eos reformata est, ut archiepiscopus civitatem Juliacensem, et si qua alia invaserat, restitueret et deinceps nullus alium infestaret.

[1] Scilicet anno 1275.

[2] In chronico Coloniensi legitur *Lymborch*.

[3] In cod. Miræi legitur *nocte*.

Qualiter rex Bohemie in bello occiditur. Cap. XVII.

Eodem tempore, seu anno Domini M° CC° LXXVIII° Rodulphus rex 1278. expeditionem in Bohemiam molitur contra regem ejusdem provincie, occupatorem ducatus Austrie, et inito consilio rex Bohemie occiditur in conflictu: rex victoria potitur, sed tandem, principibus mediantibus, Wenceslaum, interfecti regis filium, in gratiam recepit, filiam suam eidem in matrimonium tradendo, et filium suum Adalbertum de ducatu Austrie investiendo.

Igitur Rodulphus rex conventum habuit Herbipolis, ubi multi principes erant congregati. Causa autem tante frequencie fuit, quod dominus papa Martinus IIII[us] et rex per omnem Germaniam de terris arabilibus quandam summam pecunie exigebant, ubi Sigefridus Coloniensis archiepiscopus inaudite et insolite exactioni mira constantia et libertate contradixit, et ita ea res processum non habuit, ac deinceps oblivioni et perpetuo silencio est tradita. Sicque Germania tota per eundem archiepiscopum in hodiernum diem ab eadem exactione libera permansit.

De matrimonio, uxoribus et filiis ac filiabus Johannis hujus nominis ducis primi. Cap. XVIII.

Supradictus Johannes hujus nominis dux primus duxit in uxorem Margaretam filiam Philippi regis Francorum qui in Arragonia decessit [1], cujus regis uxor secunda fuit soror ejusdem Johannis; que Margareta, in parturiendo, cum partu, proch dolor! ab hac luce migravit [2]. Deinde duxit aliam uxorem Margaretam nomine, filiam Guidonis comitis Flandrie, de qua genuit duos filios, scilicet Johannem, qui ei successit in ducatibus suis, et Godefridum qui parum vixit, atque duas filias, quarum primam, que vocabatur Margareta, duxit in uxorem Heinricus comes Luxemburgensis, postea Romanorum imperator; secundam vero nomine Mariam duxit in uxorem comes Sabaudie.

[1] Fallitur, nam Margareta, prima uxor Johannis I, erat filia sancti Ludovici regis Francorum.

[2] Scilicet anno 1271.

De quodam mandamento Rodulphi regis, concernente ecclesiam Sancti Servacii Trajectensem. Cap. XIX.

1282. Memoratus Rodulphus rex per suas certi tenoris literas datas in Oppenheim tercio idus aprilis anno Domini M° CC° LXXXII°, regni vero sui anno IX°, edicto regio mandavit sculteto, scabinis, consulibus et universis civibus Trajectensibus supra Mosam, quatenus ipsi, qui imperiales essent ad parochiam Sancti Johannis, frequentarent ad molendinum Brasii, quod ad ecclesiam Sancti Servacii derivatur, et non alibi molere nullatenus omitterent. Ad hec idem rex villico, qui pro tempore ipsis imperialibus hominibus prefuerit in oppido memorato, districte commisit, ut quicumque et quotiescumque a decano et capitulo ecclesie Sancti Servacii vel a camerario ejusdem ecclesie, qui preest molendino predicto et bonis aliis ejusdem ecclesie, fuerit requisitus, homines imperiales predictos in eodem molendino districte compelleret, et totalem violentiam, si necesse fuerit, nihilominus deponentes.

Inhibuit eciam idem rex supradictis sculteto, scabinis, consulibus et aliis predictis, ne de ad jurisdictionem ipsius molendini spectantibus, vel ad jurisdictionem aliorum bonorum quorumcumque, que prefatam ecclesiam Sancti Servacii respiciunt et specialiter cameram ejusdem ecclesie, se aliqualiter intromittere presumerent, sed camerarium ecclesie supradicte de eisdem cum suis canonicis et mansionariis ordinare et judicare libere promitterent [1], prout in eisdem literis latius continetur.

De quodam privilegio abbatie Parchensis. Cap. XX.

1283. « In nomine Domini amen. Johannes, Dei gratia dux Lotharingie et Brabancie, universis tam presentibus quam futuris presentes literas inspecturis in perpetuum salutem. Noveritis quod nos pro anime nostre animarumque antecessorum et successorum nostrorum salute, utilitati et paci presentium et futurorum fratrum ecclesie de Parcho, Premonstratensis

[1] Alias : *permitterent.*

ordinis, in posterum providere volentes, etc.... » Habetur clausula talis : « Quascumque vero possessiones et quecumque bona fratres ecclesie memorate in presenti possident, aut in futurum poterunt adipisci, tanquam verus, justus et debitus eorum advocatus tum ex imperiali commissione, tum ex antecessorum nostrorum successione, sub nostra nostrorumque successorum ducum dumtaxat esse recognoscimus et recipimus protectione et custodia, profitendo quod in hac eadem advocacia aliquem benefacere aut ipsam cuicumque committere vel conferre a nobis et nostris successoribus ducibus, eandem equalitatem alienando nec volumus nec valemus. Datum et actum anno Domini M° CC° LXXXIII°, nonis aprilis. »

Litera Rodulphi regis de non prejudicio dato Johanni duci ad petendum restaurationem Noviomagii. Cap. XXI.

« Rodulphus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, universis 1285.
presentes litteras inspecturis gratiam et omne bonum. Noveritis quod, cum illustris Johannes Lotharingie et Brabancie dux, princeps noster karissimus, ad instantiam et rogatum nostrum ad petendum LX carratas vini, restaurationem Noviomagii et eciam regalia ecclesie beate Gertrudis Nivellensis, nostris temporibus omnino supersederit et tacuerit tenere [1], quod dicta taciturnitas et dictarum suarum petitionum supersessio in aliquo jure suo sibi vel heredibus suis nullum prejudicium generet in futurum; nos, super premissis eidem duci cavere volentes, volumus et concedimus eidem, ut in nullis juribus, rebus, honoribus, privilegiis et instrumentis a divis Romanorum imperatoribus et regibus seu a nobis eidem vel suis successoribus collatis sua taciturnitas vel petitionum suarum supersessio sibi vel suis successoribus prejudicient, vel possint a nostris successoribus eidem opponi vel pretendi in futurum. Nolumus [2] eciam, quod petitio nostra, quam sibi fecimus, ut de supradictis taceret articulis tempore vite nostre, nobis vel successoribus nostris, vel imperio aliquod possit prejudicium generare, nec volumus quod dux vel successores sui predictam petitionem a nobis sibi factam possit in futurum aliquatenus trahere in exemplum, nec eciam

[1] Alias : *petere.*

[2] Alias : *Volumus.*

nos seu nostri successores vice versa. In cujus rei testimonium presentes literas majestatis nostre sigillo jussimus roborari. Datum Basilee [1] XIIII° Kalendas martii, indictione XI^{a}, anno Domini M°CC°LXXXIII°, regni vero nostri anno X°. »

De castro Carpensi per Johannem ducem primum prelibatum acquisito, ut patet per literam Rodulphi regis, cujus tenor sequitur ac est talis [2]. Cap. XXII.

1284 « Rodulphus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, universis sacri Romani imperii fidelibus presentes literas inspecturis gratiam suam et omne bonum. Attendentes devotionem purissimam ac incontaminate fidei claritatem, quibus illustris Johannes dux Brabancie, princeps noster karissimus, ad instar progenitorum suorum nobilium, qui constanter in fide coaluerunt imperii erga nos, et idem servet imperium, sibi Castrum Carpense cum suis pertinentiis, eo modo et jure quibus ipsum quondam Wenemarus de Gymmenich bone memorie a nobis et eodem imperio tenuit et possedit, libenter et liberaliter duximus concedendum. In cujus rei testimonium presens scriptum exinde conscribi et majestatis nostre sigillo fecimus communiri. Datum Erstein III° Idus februarii, indictione XII^{a}, anno Domini M° CC° LXXXIIII°, regni vero nostri XI°. »

Idem tamen dux Johannes dedit heredibus dicti Wenemari pro predictis castro et pertinentiis summam pecunie, prout patet in litera quitancie, que sequitur infra ante privilegium monetarium.

De emptione sive acquisitione ducatus Lymburgensis facta per Johannem ducem primum antedictum. Cap. XXIII.

1282 Qualiter Adolphus comes Montensis transtulit ducatum Lymburgensem cum omnibus bonis et juribus ad ipsum ducatum pertinentibus et aliis bonis, que quondam dominus Walramus dux Lymburgensis patruus suus.

[1] Apud Butkens, t. I p. 116 desideratur *Basilee.*

[2] Vid. Butkens, *Op. cit.* p. 119, et Miræi *Op. dipl.* t. I, p. 591.

nec non domina Ermengardis filia sua, olim comitissa Gelrie, tenebant, dum viverent, ad ipsum ex morte utriusque tanquam heredem legitimum devoluta, donationis titulo transtulit in Johannem ducem Lotharingie et Brabancie, simpliciter et de plano, patet per tenores duarum literarum ipsius comitis, quarum una dirigitur magnificis viris, etc., et altera regi Romanorum, quarum tenores successive sequuntur.

« Magnificis et honorabilibus viris, dominis suis karissimis cujuscumque status, dignitatis, aut preeminentie existant, ad quos presentes litere pervenerint, Adolphus comes de Monte cum debite fidelitatis promptitudine quidquid potest obsequii, reverentie et honoris. Cum nos ducatum Lymburgensem, cum omnibus bonis et juribus ad ipsum ducatum pertinentibus, cum aliis bonis que felicis recordationis dominus Walramus dux Lymburgensis patruus meus, necnon domina Ermengardis filia sua, olim comitissa Gelrie, tenebant, dum viverent, ad nos ex morte utriusque tanquam ad heredem legitimum devoluta, donationis titulo transtulerimus in illustrem principem dominum Johannem ducem Lotharingie et Brabancie, dominum nostrum, simpliciter et de plano, dominationem pariter et honestatem vestram devote requirimus, quatenus ipsi domino nostro duci ducatum ipsum et bona ad ipsum ducatum pertinentia, nec non et alia bona ad nos, ut predictum est, ex successione hereditaria devoluta concedere dignemini cum solempnitatibus ad hujusmodi concessionem debitis et consuetis. Datum anno Domini M° CC° LXXXII°, die jovis post Pentecosten. »

Tenor vero alterius litere, que dirigitur regi Romanorum, sequitur et est talis.

« Serenissimo domino suo Rodulpho, Dei gratia Romanorum regi semper Augusto, Adolphus comes de Monte cum debite fidelitatis promptitudine quidquid potest obsequii, reverentie et honoris. Cum nos ducatum Lymburgensem cum omnibus bonis que felicis recordationis dominus Walramus dux Lymburgensis, patruus noster, nec non domina Ermengardis filia sua, olim comitissa Gelrie, tenebant, dum viverent, ad nos ex morte utriusque tanquam ad legitimum heredem devoluta, donationis titulo transtulerimus in illustrem principem dominum Johannem ducem Lotharingie et Brabancie, dominum nostrum, simpliciter et de plano, dominationem pariter et magnificentie vestre celsitudinem devote requirimus,

quatenus ipsi domino duci ducatum ipsum et bona ad ipsum ducatum pertinentia, prout a vobis dependent, concedere dignemini cum solempnitatibus ad hujusmodi concessionem debitis et consuetis. Datum anno Domini M° CC° LXXXII°, feria quinta post Pentecosten. »

De guerra orta inter Johannem ducem Lotharingie et Brabancie et Reynaldum comitem Gelrie, occasione ducatus Lymburgensis. CAP. XXIV.

Postquam Johannes dux Lotharingie et Brabancie erga Adolphum comitem Montensem ducatum Lymburgensem cum suis pertinentiis legitime emerat sive acquisiverat, ut premittitur, et idem dux ad ipsius ducatus possessionem adipiscendam proficisceretur, Reynaldus comes Gelrie se opposuit dicto duci, allegans quod non obstante emptione per comitem Montensem de dicto ducatu sibi facta, nihilominus idem ducatus ac ususfructus sive vite ductus ejusdem ad ipsum spectare et pertinere deberent, quandiu vitam duceret in humanis, ea scilicet de causa quia predicti quondam Walrami ducis Lymburgensis filiam unicam, Ermengardem nomine, habuerat in uxorem. Quam quidem causam irrationabilem et omni juri et equitati dissonam prelibatus Johannes dux admittere recusans, prefatum Reynaldum comitem debite summari, moneri ac requiri fecit, quatenus sibi dictum ducatum castraque et oppida ipsius, que occupata tenebat, dimittere et indilate sibi cedere curaret. Quod quia ipse comes facere renuit et contradixit, ipse dux hoc egre ferens, eundem comitem publice diffidavit.

Orta igitur guerra inter Johannem ducem Lotharingie et Brabancie, et Reynaldum comitem Gelrie occasione ducatus Lymburgie, Reynaldus suum in auxilium et subsidium acquisivit Sigefridum archiepiscopum Coloniensem, Heinricum comitem Lucemburgensem, dominum Walramum ejus fratrem, et dominum Walramum dominum de Valkenborck, Heinricum de Westerburch fratrem archiepiscopi Coloniensis et plures alios. Quod dux sentiens, incunctanter terras ipsorum hostiliter invadens, incendiis, cedibus et rapinis cuncta depopulando devastavit. Comes vero Gelrie, vice versa, cum suis confederatis confinia ducis consimilibus damnis invadere non formidabat, cepit oppidum ducis, Thiele vocatum, et destruxit. Dux

autem cepit duas insulas comitis ad manum suam, scilicet Boemelrewerde et Thielrewerde, et in insula Boemelrewerde castrum construxit apud Driele, ex quo ipsi comiti guerram fecit: que guerra diu duravit. Tandem consilio amicorum utriusque partis, datis hinc inde treugis, sub spe pacis reformande fuit ordinatum, quod super premissis generose tractaturi ad certam diem convenirent in oppido Trajectensi supra Mosam.

Qualiter dux Johannes, percepto quod comes Gelrie jus suum vendiderat comiti de Lucemburgo, suos adversarios persequitur[1]. Cap. XXV.

Dux siquidem satisfaciendo tractatui die condicta applicuit in Trajecto. Cui inibi partis sibi adverse adventum expectanti venerunt certa, vera et indubitata nova, quod comes Gelrie suique confederati essent in Valkenborch, nullum pretendentes inire tractatum, quodque ipse comes, persuasu archiepiscopi Coloniensis, jus suum vendiderat comiti Lucemburgensi predicto. Dux vero hoc egre ferens, sperans ipsum archiepiscopum in oppido Valkenborch invenire, ipsumque inibi obsidere proponens, illuc die sequenti cum nobilibus, baronibus, militibus, militaribus et aliis fidelibus suis in sua comitiva existentibus direxit suos gressus. Quod archiepiscopus per exploratores suos percipiens, illico abhinc fuga dilapsus, ad propria remeavit, similiter et alii sine mora recesserunt. Quem quidem archiepiscopum dux predictus intrepide insequitur per terras inimicorum usque ad Reni fluenta, ubi propria in persona equum, cui insidebat, adaquavit sive vadavit, et ultra progrediens terram ipsius archiepiscopi per plures dies cedibus, incendiis et rapinis devastavit, jussitque fructiferas arbores ante oppidum Bonnense, quod obsidione premebat, excidi et vites radicitus exstirpari, et insuper canes suos venaticos de Boitsfort ex Brabancia adduci fecit, causa venandi in silvis dicti archiepiscopi, acsi ibidem non animo guerrandi sed solatii et letitie causa advenisset.

Quibus sic peractis prefatus dux ante castrum Valkenborch obsidionem posuit, et postquam illam tenuerat per IX septimanas vel circa, et illud adhuc non expugnaverat, Guido comes Flandrie, cujus filiam dictus dux

[1] Cfr. *Magnum Chron. Belgicum*, apud Pistorium t. III p. 279 et seqq.

habuit in uxorem, tractavit taliter, quod dominus Walramus, dominus de Valkenborch, inter cetera promisit, quod amplius contra ipsum non insurgeret, sub pena quatuor millium marcharum argenti, pro qua dictus Guido comes Flandrie fidejussor permansit apud ducem predictum. Et insuper idem Walramus, juxta tenorem tractatus hujusmodi, sine mora dicto duci tradidit omnes claves quas habuit ad Lymborch pertinentes, et sic dicto castro inexpugnato, dux obsidionem solvit. Ubi coci negligenter quandam lebetem sive ollam eneam in campis dimiserunt, que fuit in dicto castro portata, quam nepos suus Johannes dux tercius postmodum recuperavit, dum dictum castrum demolivit : que quidem lebes sive olla dicitur esse in castro Trium Fontium. Et quia dictus dominus Walramus, dominus de Valkenborch, dicto duci fidem et tractatum non servavit, sed contra ducem ante castrum Woerinck insurrexit, ideo predictam penam quatuor millium marcharum commisit, quam dictus dux postea a dicto comite Flandrie tanquam ejus fidejussore recuperavit, ex eo quod ipse comes dictum Walramum de dicta pena indempnem promiserat relevare.

De obsidione castri de Woerinck, et de bello ibidem conserto. Cap. XXVI.

1288. Cum itaque dux ipse totam illam terram ferro et igne, ut premittitur, pervagasset, et nemo compareret, qui ejus potentie atque violentie resisteret, et eapropter sua cum expeditione versus terram Lymburgensem ad ipsam suo dominatui subjugandam proponeret proficisci, comites Montensis et Juliacensis atque cives urbis Coloniensis ipsum ducem deprecabantur, quatenus castrum Woerinck archiepiscopi Coloniensis, in terra ipsius situatum (in quo nonnulli raptores latitarunt, qui ex eo exilientes repentinis incursibus mercatores, peregrinos et alios viatores super viam et stratam publicam spoliare et depredari solebant), obsidere et viam assecurare dignaretur, asserentes quod securus conductus per eandem stratam ad ipsum tanquam ducem Lymburgensem spectaret. Dux vero, juste ipsorum petitioni annuens, incunctanter castris in circuitu positis, castrum Woerinck obsidione cinxit, qua durante obsidione Sigefridus archiepiscopus Coloniensis, undique collectis armatorum copiis, Reynaldus comes Gelrie, cum totis suis viribus, Heinricus comes Lucemburgensis et Walra-

mus ejus frater, cum aliis duobus fratribus et multitudine armatorum copiosa, Adolphus comes de Nassouw, postea Romanorum rex, cum valido Teutonicorum exercitu, Walramus de Valkenborch, dominus nobilis de Lymborch, et Heinricus de Westerburch, frater archiepiscopi Coloniensis, et comes de Moerse, cum potestate magna, applicuerunt in campis prope Woerinck, animo ducem Johannem debellandi, proponentes in animo firmiter ipsum cum suis occidere, vel ad minus captivare debere, cum decem viros contra unum habere viderentur. Johannes vero, qui pro parte sua habuit Adolphum comitem Montensem, Walramum comitem Juliacensem, Everardum comitem de Marcka et cives Colonienses, intrepidus ex castris suis egrediens in campum, suos confederatos et fideles subditos animose exhortabatur, dicens se justam causam bellandi habere, et pro tanto de victoria non hesitans se cum hostibus fortune vices velle experiri, quia non in multitudine, sed potius a Deo venit salus et victoria. Hujusmodi exhortationibus animati, tribusque ordinatis cohortibus, omnes una secum unanimi voluntate, tanquam leones famelici, quos fames stimulat, ad stabula cursitant armentorum, ita in hostes irruunt : stridor balistarum, tinnitus gladiorum, fragor hastarum et hinnitus equorum terribiliter invaluit: clamor in celum tollitur, pugna summa virtute conseritur. Maxima multitudo Teutonicorum ab insolentiis non desistentium, plus prede quam pugne intendentium, ad spoliandum castra ducis se diverterunt. Dux cum suis non curans de castris, consertissimam hostium aciem irrumpit, et, veluti uberrime segetes procella tempestatis deseviente prosternuntur, ita ferro cedit stravitque aciem supradictam, ut nunquam vel raro ante illa tempora in regno Germanie in ullo prelio tantun sanguinis nobilium sit effusum.

In eodem enim bello interierunt Heinricus comes Lucemburgensis, dominus Walramus ejus frater; Heinricus eciam de Westerburch, frater archiepiscopi Coloniensis, et duo alii fratres occubuerunt, et plus quam mille tam milites quam militares ibidem cecidisse memorantur, dempta innumerabili equitum turba, que bellicosos Brabantinorum assultus ferre non valentes, latibulum fuge querentes, quandam lutosam paludem loco conflictus contiguam intrantes, paludem ipsam terram firmam existimantes, cum equis et armis fuerunt suffocati. De parte vero ducis ultra sexaginta homines non corruerunt, inter quos dominus Waltherus Berthout et dominus Arnoldus de Zeelhem extiterunt. Archiepiscopus vero Coloniensis

et comites Gelrie, de Nassouw, de Moerse, et dominus de Valkenborch cum multis aliis nobilibus fuerunt captivati.

Dux autem victoria potitus triumphum reportavit. Comes Gelrie a duce Johanne captivus abducitur: archiepiscopus Sigefridus a comite Adolpho de Monte in vincula conjicitur, et ecclesia Coloniensis vehementer humiliatur. Nam comes Juliacensis Walramus castrum Tulpetum, quod inexpugnabile videbatur, solotenus destruxit, et Everardus comes de Marcka oppida et castra in ducatu Westphalie devastavit. Hoc autem bellum, quod fuit equestre, duravit ab hora tertiarum usque ad nonam horam, et fuit commissum ipso die sancti Bonifacii, junii die V^{a}, in campo existente prope Woerinck, cui contigua adjacet palus lutosa predicta, anno Domini M^{o} CC^{o} LXXXVIII^{o}, anno ducatus sui XXVII^{o}, inclusis annis quibus mater sua cum fratre suo Henrico gubernaverat ducatum. Finito bello, dux castrum Woerinck dirui sive demoliri fecit, et captos in eo jussit decollari.

De partificatione Facta domino Godefrido fratri ducis. Cap. XXVII.

Dominus Godefridus frater ducis, dominus de Aerschot et de Viersen, fuit in bello de Woerinck, in quo strenuos actus militares exercuit. Huic Godefrido Johannes dux frater ejus in partificatione fraternali assignavit oppidum de Aerschot, oppidum Zichen, cum multis villis ruralibus et campestribus et ipsarum pertinentiis ac justitiis altis atque bassis : in quibus dictus dux tantummodo reservavit sibi advocatiam trium ecclesiarum in dicta terra sitarum, scilicet abbatie Everbodiensis, prioratus de Bierbeke et preceptorie de Bekevort, quarum trium et aliarum ecclesiarum advocatiam dux Brabancie pro tempore existens tenet in feudum ab imperio Romano. Qui quidem dominus Godefridus et dominus Johannes ejus filius interierunt in bello, quod fuit inter regem Francie et Flamingos apud Cortryck, die IX^{a} junii, anno Domini M^{o} CCC^{o} II^{o}, in quo conflictu doloroso ceciderunt, cum eodem domino Godefrido, quos secum ex Brabancia in auxilium regis adduxerat, nobiles subscripti : scilicet de Wesemale, de Boutershem et de Waelhem barones; domini Arnoldus de Eechout et Johannes ejus filius, dominus Laurentius Volkart, et filius dominus de Waelhem, dominus Heinricus de Wylre, et dominus Arnoldus Vander-

hofstad, cum quatuor suis nepotibus, dominus Gendolphus de Wyneghem et dominus Wilhelmus de Redingen: omnes milites, cum multis aliis militaribus, quorum anime in pace requiescant. Amen.

Dux et comes compromiserunt in Philippum Francorum regem de omnibus et singulis dictam guerram quamlibet spectantibus. Cap. XXVIII.

Supradicto vero Reynaldo comite Gelrie in prelibato bello apud Woerinck 1289.
per memoratum Johannem ducem Brabancie capto, ac ejus vinculis carceralibus mancipato, existente guerra inter ipsos ratione ducatus Lymburgensis, serenissimus Philippus, Dei gratia Francorum rex, suas interposuit vices ad procurandam liberationem dicti comitis, et pacem inter ducem et comitem reformandam. Tandem, post diversos tractatus per prefatum regem inter eos habitos, iidem dux et comes de omnibus et singulis dictam guerram et comitis liberationem quomodolibet concernentibus in dictum regem de alto in bassum compromiserunt. Cujus vigore compromissi memoratus rex, utrorumque rationibus auditis, servatisque servandis, suum dictum sive suam ordinationem protulit sive promulgavit in modum sequentem[1]:

« Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod, cum inter nobiles viros Johannem Lotharingie, Brabancie et Lymburgie ducem ex parte una, et Reynaldum comitem Gelrie ex altera, gravis fuisset ratione ducatus Lymburgensis orta contentio, et existente guerra inter eos occasione hujusmodi ducatus, Deus, cujus sunt occulta judicia, prefatum comitem ab ipso duce capi permisisset ac ejus vinculis carceralibus mancipari: post diversos tractatus per nos interpositos, quibus liberationem dicti comitis procurare, et pacem et concordiam inter eos solidam reformare temptavimus, ipso comite, data hinc inde treuga, de permissione dicti ducis in manu nostra existente. Tandem ipsi bonorum omnium auctori placuit eorum cordibus inspirare, quod in nos, super omnibus et singulis dictam contentionem et liberationem predicti comitis quomodolibet tangentibus, compromiserunt de alto et basso.

[1] Cfr. Butkens *op. cit.* t. I, p. 322, et *Pr.* p. 123 et Ernst, *Hist de Limbourg*, t. VI, p. 391.

et ad planiorem[1] viam pacis habendam dilectus et fidelis noster Guido comes Flandrie, marchio Namurcensis, super prestatione quatuor millium marcharum argenti, quas a Walramo domino Falquemontis dux Brabancie, ratione cujusdam pene sibi commisse, ut dicebat, petebat, de qua pena dictus comes Flandrie ipsum Walramum liberare promiserat, et indempnem, ut dicitur, servare, cum hujusmodi pene prestatio dictam contentionem tangere videretur, in nos similiter compromisit; promittentes tam ipse comes Flandrie quam memorati dux et comes Gelrie tenere, servare et complere quidquid super hiis et eorum singulis ordinandum aut dicendum videremus, sub bonorum suorum omnium obligatione, juramentis solempniter appositis et aliis cautionibus competentibus adjectis. Deinde utrorumque rationibus auditis, et nobis informatis de omnibus de quibus erat in hac parte informatio habenda, tandem prefatis duce et comitibus, sabbato ante festum beati Luce evangeliste anno Domini M° CC° LXXXIX°, Parisiis in presentia nostra constitutis, et ab ipsis collata in nos ab eisdem potestate prorogata ad ea omnia, que dictum nostrum continet, eciamsi de aliquibus eorum non sit in compromissis facta mentio expressa, dictum nostrum seu ordinationem nostram protulimus in hunc modum :

« Dicimus et ordinamus Reynaldum comitem Gelrie esse de carcere seu prisione ducis Brabancie liberandum, et eum penitus liberamus; consequenter interrogavimus ipsum comitem, si ipse ratum habeat compromissum ab eo, ut premittitur, in nos factum, et quidquid exinde actum erat. Qui statim respondit, a carcere liberatus, quod id ratificabat, et in omnibus approbabat.

» Item dicimus et ordinamus, quod idem comes Gelrie quitet in perpetuum dicto duci, quidquid habet vel habere potest in ducatu seu terra Lymburgensi et ejus pertinentiis.

» Item dicimus et ordinamus, quod dictus comes Gelrie expresse quitet in perpetuum eidem duci castra Dusemborch[2] et Wassemberghe, de Hoerne[3] et de Spremont[4], cum eorum pertinentiis, et quod hoc statim significet archiepiscopo Coloniensi per suas literas patentes.

» Item dicimus et ordinamus, quod idem comes Gelrie de illis octo mil-

[1] Alias *pleniorem*.
[2] Alias *de Usemborch*.
[3] Alias *de Herve*.
[4] Seu *Sprimont*.

libus marchis et sexcentis marchis Coloniensibus, pro quibus obligavit idem comes castrum de Wassemberghe archiepiscopo Coloniensi, solvat dicto duci quatuor millia marcharum, et trecentas marchas Colonienses in instantibus octavis omnium Sanctorum apud Bruxellas, et de aliis quatuor millibus et trecentis marchis liber et immunis existat idem comes.

» Item dicimus et ordinamus, quod idem comes Gelrie castra Dusemborch et Wassemberghe cum eorum pertinentiis liberet de obligatione et onere mille et ducentarum marcharum debitarum preposito Aquensi, et sexcentarum marcharum debitarum Gerardo de Juliaco, et centum marcharum debitarum Sibrecto de Donckre [1] militi, solvendo infra proxime futurum festum nominati sancti Johannis Baptiste, ipsas summas marcharum dictis creditoribus vel ipsi duci Brabancie, et sic comes Gelrie immunis ab hujusmodi liberatione remanebit.

» Item dicimus et ordinamus, quod, si inventum fuerit, quod dictus comes Gelrie oneravit aliquibus redditibus vel concussionibus perpetuis castra de Dusemborch, de Wassemberghe, de Hoerne [2], de Spremont, vel eorum pertinentiis aliquid, vel inde quidquid alienaverit post decessum comitisse Ermingardis, quondam uxoris sue, tenetur inde facere restitutionem dicto duci, scilicet [3] pro singulis denariis perpetue concessionis vel perpetui oneris decem denarios in pecunia numerata, et quod ea teneatur liberare de aliis debitis seu pensionibus, ad vitam vel ad certum tempus, si que sint, impositis post obitum predicte comitisse.

» Item dicimus et ordinamus, quod prefatus dux Brabancie ab omnibus dampnis et offensis, per ipsum aut suos dicto comiti vel suis per guerram datis vel illatis, immunis sit perpetuo et quietus.

» Item, quod comes Gelrie reddat dicto duci villam suam de Thiele in statu in quo nunc est, que fuit per guerram destructa.

» Item dicimus et ordinamus, quod comes Gelrie ab omnimoda prestatione et redemptione, pro sua liberatione solvenda, in perpetuum absolutus et immunis existat;

» Et similiter de dampnis et offensis datis dicto duci Brabancie et suis per ipsum comitem Gelrie et per suos, guerra durante.

[1] Apud Butkens legitur : *Sybresko Dondeerse.*

[2] Seu *de Herve.*

[3] Apud Ernst pro *scilicet* legitur *saltem.*

» Item dicimus et ordinamus, quod dux Brabancie eidem comiti restituat duas insulas, scilicet Bommelrewerde et Thielrewerde, quas ipse post motam contentionem super ipsum comitem cepit, salvo duci homagio suo pro ipsis, et hoc salvo quod idem dux infra instans festum nativitatis Domini diruere valeat, si sibi placuerit, castrum vocatum Driele, quod in predicta insula de Bommelrewerde, postquam venit ad manum suam, construxit.

» Preterea dicimus et ordinamus, quod dictus comes Flandrie solvat dicto duci apud Bruxellas infra instantes octavas omnium Sanctorum quatuor millia marcharum, quas dux Brabancie a Walramo domino de Falquemonte pro pena, ut dictum est, petebat: et eis solutis, idem dominus Falquemontis ab earum prestatione sit immunis.

» Item, quod dictus comes Flandrensis reddat et deliberet dicto duci, infra ipsas octavas, dicta castra seu domos de Hoerne[1] et de Spremont, sicut ea tenet: ita tamen quod ipse dux Brabancie tenetur ante nativitatem Domini solvere dicto comiti Flandrie totum precium quo Chono de Lonchin miles hereditatem suam, scilicet Lonchin cum pertinentiis suis, vendidit ipsi comiti Flandrie, vel promittere quod idem comes Flandrie, vel illi quibus ipse dictam hereditatem tradet, eam pacifice teneant, salvo jure suo.

» Item dicimus et ordinamus, quod sit inter ducem Brabancie et comitem Gelrie concordia et pax firma, et quod boni de cetero sint amici, et quod sibi invicem remittant omne odium et rancorem, et quod in pace hujusmodi includantur omnes confederati, hinc inde, et nominatim ex parte ducis predicti, Hollandie, de Montibus, Juliaci, de Clevis ac de la Marcka comites, et homines de Colonia et de Aquis, et ex parte comitis Gelrensis dictus dominus Falquemontis: et quod si illi de Colonia et Aquis vel eorum aliqui habent petitiones vel querelas adversus comitem Gelrie, vel idem comes adversus eos vel eorum aliquem, de hiis sit in ordinatione comitis Flandrie et ducis predictorum.

» Retinemus insuper nobis potestatem declarandi, interpretandi et perficiendi omnia et singula de premissis dicto nostro et ordinatione hujusmodi contentis, si in eis dubietas vel obscuritas emergat: precipientes ut, si essent coram nobis aliqui, qui ad homagium ratione ducatus Lymburgensis tenerentur, illud duci Brabancie exhiberent. Ad quod preceptum dictus

[1] Seu *de Here*.

dominus Falquemontis, de licentia dicti comitis Gelrie, statim fecit coram nobis homagium dicto duci pro hiis, que tenet de Lymburgensi ducatu.

» Quam ordinationem seu dictum nostrum, sicut superius continetur, tam ipse dux quam dictus comes Gelrie atque comes Flandrie, quatenus eum tangit, acceptaverunt, laudaverunt et approbaverunt, penitus et expresse, coram nobis quitationes et promissiones per nos superius ordinatas hinc inde facientes ibidem, et dantes sibi invicem osculum in signum reformationis, amoris et pacis, omnem rancorem et odium sibi hinc inde dimiserunt, ipso comite Gelrie dicto duci pro terra ipsa, quam de feudo ejus tenet, homagium solitum faciente.

» Actum fuit preterea de utriusque partis assensu, quod illa debita, que debentur a dicto duce Brabancie hominibus terre dicti comitis Gelrie, vel ab ipso comite hominibus terre ducis predicti, recuperentur et peti possint, indeque procedat executio justitie, acsi nulla guerra fuisset.

» Item quod omnes illi, qui sua feuda vel terras diviserunt [1] aut quitaverunt, ut ipsum comitem Gelrie vel ducem Brabancie juvarent, omnino recuperent, et ad eorum quemlibet sua hereditas revertatur.

» Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes literas sigillo nostro fecimus communiri. Actum Parisiis, sabbato ante festum beati Luce evangeliste, anno Domini M° CC° LXXXIX°, supradicto mense octobri. »

Reynaldus comes Gelrie ratificat et approbat dictum sive ordinationem regis Philippi, prout patet ex littera cujus tenor sequitur [2]. Cap. XXIX.

« Nos Reynaldus comes Gelrie notum facimus universis tam presentibus 1289
quam futuris, quod nos literas magnifici principis domini Philippi, Dei gratia serenissimi Francorum regis, vidimus tenorem qui sequitur : Philippus, Dei gratia Francorum rex, notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod, cum inter nobiles viros Johannem Lotharingie, Brabancie et Lymburgie ducem ex parte una, et Reynaldum comitem Gelrie

[1] Apud Butkens et Ernst rectius legitur *dimiserunt.*

[2] Cfr. Butkens, t. I, *Preuv.* p. 124, et Ernst, *Hist. de Limbourg*, t. VI p. 395.

ex altera gravis fuisset ratione ducatus Lymburgensis orta contentio, etc.: et sic terminatur : Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes literas sigillo nostro fecimus communiri. Actum Parisiis anno Domini M° CC° LXXXIX°, supradicto mense octobri. Nos supranominatus comes Gelrensis, omnia et singula contenta in supradicto dicto seu ordinatione domini regis supradicti ratificantes et approbantes, ea, sicut superius sunt expressa, tenere, servare et complere ac in nullo contravenire in futurum promittimus, sub juramento et obligatione predictis. Et ad majorem eorum firmitatem, et in testimonium premissorum, presentes literas sigilli nostri fecimus impressione muniri. Acta fuerunt hec Parisiis, anno et mense supradictis. »

Reynaldus comes Gelrie renunciat omni juri quod habere posset in ducatu Lymburgensi et in castris, etc., et absolvit feudales de juramentis sibi prestitis, prout in litera tenoris sequentis. Cap. XXX.

1289. « Nos Reynaldus comes Gelrie notum facimus universis, quod nos existentes compos rerum et corporis, omni juri quod in ducatu terre Lymburgensis, in castro videlicet et oppido de Lymburch, in Spremont, Rode, Wassemberch, Duysborch [1] et ceteris omnibus attinentiis, in omnibus fidelibus ministerialibus et vasallis habuimus ac habemus, aut nos habere forsitan putabamus, quocumque modo tale jus nobis fuerit acquisitum, ad opus et usus illustris principis domini nostri Johannis Lotharingie, Brabancie et de Lymborch ducis, ac heredum suorum, perpetualiter renunciamus, et nos renunciasse confitemur, pure et simpliciter, per presentes omne jus hujusmodi ad ejusdem domini nostri ducis manus et dominium reportantes, quod eciam de nobis transferimus in eundem, in hiis omnibus nullo nobis jure penitus reservato : rogantes, immo volentes, ut omnes ad predictum ducatum Lymburgie et ad predicta loca et ad eorum attinentia pertinentes, ipsi domino nostro duci et ejus heredibus obtemperent in hiis perpetuo, et obediant reverenter. Preterea omnes fideles vasallos, homines

[1] Apud Butkens, t. I, *Preuv.* p. 125, legitur t. VI, p. 396.
Ysenborch. Cfr. Ernst, *Histoire de Limbourg*.

sive ministeriales, ad predictum ducatum et loca predicta et eorum attinencia pertinentes, qui nobis fecerunt homagium, ab hujusmodi homagio, fidelitate et juramento nobis factis absolvimus, et absolutos esse presentibus denunciamus, rogantes et volentes ut ipsi domino nostro duci homagium et fidelitatem faciant, et sint ei tanquam suo vero domino in omnibus obedientes. In quorum omnium testimonium, fidem et robur perpetuo valiturum nos sepedicto [1] domino nostro duci et ejus heredibus presens instrumentum sigillo nostro dedimus communitum. Actum et datum sabbato ante festum Luce evangeliste, anno Domini M° CC° LXXXIX°. »

Reynaldus comes rogat judices, scabinos, consules, magistros civium et cives de Duysborch, ut obediant duci, quos absolvit a juramentis sibi prestitis, et confitetur se renunciasse juri quod habebat in Wessemberch, ut patet in literis quarum tenores sequuntur [2]. CAP. XXXI.

« Reynaldus comes Gelrie prudentibus viris, suis dilectis judicibus, scabinis, consulibus, magistris civium et civibus de Duysborch universis salutem et omne bonum. 1289.

» Quoniam nos, in [3] proximorum et amicorum nostrorum consilio, cum magnifico principe domino nostro Johanne Lotharingie, Brabancie et Lymburgie duce totaliter reconciliati sumus, quod pro grato gerimus et accepto, nos omni juri quod in ducatu Lymburgie et apud vos in Duysborch et in ejus attinenciis habuimus seu habemus, ad opus et usus dicti domini nostri ducis et heredum suorum, renunciamus, et nos renunciasse presentibus confitemur, cedentes ei locum nostrum, et predictum jus de nobis transferimus in eundem, instantius vos rogantes, quatenus ipsi domino nostro duci pareatis in omnibus reverenter. Nos enim vos singulos et universos a fidelitate et homagio seu juramento, quod vel quam nobis prestititis, absolvimus, pure et simpliciter, et vos ab hiis absolutos presentibus proclamamus. In cujus rei testimonium nostrum sigillum

[1] Alias *supradicto*.

[2] Cfr. Ernst, *op. cit.* t. VI, p. 596 et 597.

[3] Apud Butkens et Ernst legitur *de*.

literis presentibus est appensum. Actum et datum sabbato ante festum beati Luce evangeliste, anno Domini M° CC° LXXXIX°. »

1289. « Universis ad quos presentes litere pervenerint nos Reynaldus comes Gelrie notum facimus, confitentes quod nos, existentes compos rerum et corporis, omni juri quod in terra de Wessemberch [1], in castro ibidem et in eorum attinenciis omnibus et vasallis habuimus aut habemus, aut nos habere forsitan putabamus, quocumque modo tale jus nobis fuerit acquisitum, ad opus et usus illustris principis domini nostri Johannis Lotharingie, Brabancie et de Lymborch ducis ac heredum suorum renunciamus, et nos perpetualiter renunciasse confitemur, pure et simpliciter, per presentes, omne jus hujusmodi ad ejusdem domini nostri ducis manus et dominium reportantes, quod eciam de nobis transferimus in eundem. Preterea renunciamus perpetualiter, ad opus et usus ejusdem domini nostri ducis et heredum suorum, omnibus gratiis, conventionibus et obligationibus a reverendo patre domino nostro Sigefrido, Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopo, super contentis tam supra quam infra in hac patenti litera, ore, manibus suis, vel patentibus literis nobis factis. Quas gratias, conventiones et obligationes quoad nos mortuas et quitas clamamus, et predicto domino nostro duci petimus et volumus esse utiles et valentes, supradictum Sigefridum dominum nostrum archiepiscopum Coloniensem propensius exorantes ut prenotatas gratias, conventiones et obligationes memorato domino nostro duci prodesse et ei esse valentes et utiles sustineat, et eum non impediat in eisdem; sed ut predicta terra de Wessemberch [2] et castris ac ejus attinenciis ipsi et sui heredes quiete et pacifice gaudeant et fruantur, permittat liberaliter et benigne, ac eum eciam promoveat in eisdem.

» Insuper omne feodum vel feoda, quod vel que ratione ducatus Lymburgensis ab eodem domino nostro archiepiscopo Coloniensi recepimus, ad opus et usus supradicti domini nostri ducis et heredum suorum supportamus, et eidem simpliciter renunciamus, ac ei concedi cum omni plenitudine petimus, et ipsum de hujusmodi feodo seu feodis investiri. In quorum omnium testimonium, fidem et robur perpetuo valiturum, nos sepedicto [3]

[1] Alias *Wassemberg*.

[2] Seu *Wassemberg*.

[3] Seu *supradicto*.

domino nostro duci et ejus heredibus presens instrumentum sigillo nostro dedimus communitum. Actum et datum sabbato ante festum beati Luce evangeliste, anno Domini M° CC° LXXXIX°. »

De castro et villa de Randenrode. Cap. XXXII.

» Nos Ludovicus dominus de Randenrode notum facimus universis pre- 1289
sens scriptum visuris et audituris, et tenore presentium protestamur, quod nos castrum et villam de Randenrode infra fossata sitam recepimus ab illustri viro domino Johanne duce Lotharingie, Brabancie et Lymburgie in feudo, sub omnibus conditionibus que in literis nobis ab eodem duce assignatis et super hoc confectis plenius continentur, in omni suo jure, prout Gerardus quondam dominus de Randenrode, avus noster bone memorie, a domino Heinrico quondam duce Lymburgie, et tunc temporis a comite de Monte, pie memorie, tenuit in feudum. In cujus rei testimonium presens scriptum sigillo proprio fecimus roborari. Datum et actum anno Domini M° CC° LXXXIX°, feria VI^a^ proxima ante Natale Domini. »

Tenor litere quitancie per quam Godefridus et Emondus, dicti de Carpena, super omni promissione jure hereditario et debito, etc., Johannem ducem Brabancie quitarunt, sequitur et est talis. Cap. XXXIII.

» Universis presentes literas inspecturis Godefridus et Emondus, dicti de 1289.
Carpena [1], fratres, noticiam veritatis cum salute. Notum sit universis, quod nos illustrem principem dominum nostrum Johannem, Dei gratia ducem Lotharingie, Brabancie et Lymburgie, super omnium promissione nobis aut aliis quibuscumque pro nobis facta, et omni debito jure hereditario, aut quocumque alio modo ad nos spectante, et querelis, actionibus et petitionibus universis, quas erga dominum nostrum ducem habebamus, aut habere poteramus, spontanee renunciamus, ipsum dominum nostrum de eisdem quitum clamantes, ipsum et suos pro nobis et nostris in perpetuum absolven-

[1] Seu *Kerpena*.

tes : unde honestos viros avunculos nostros dilectos, Arnoldum de Bachem, Arnoldum de Gemmenich, Johannem de Gemmenich et Wenemarum de Geldorp, milites, requirimus et rogamus, quia sigilla non habemus, quatenus in premissorum testimonium sigilla sua presentibus literis apponant. Et nos Arnoldus de Bachem, Arnoldus de Gemmenich, Johannes de Gemmenich et Wenemarus de Geldorp, milites, ad instantiam et requisitionem Godefridi et Emondi de Carpena, nostrorum nepotum dilectorum, in testimonium et fidem premissorum sigilla nostra presentibus literis duximus apponenda. Datum anno Domini M° CC° LXXXIX°, dominica post octavas Purificationis. »

De privilegiis monetariis Brabancie concessis. Cap. XXXIV.

1291 Item anno Domini M° CC° XCI°, mense julio, supradictus Johannes dux Lotharingie, Brabancie et Lymburgie per suas certi tenoris literas concessit monetariis Brabancie nonnulla privilegia, immunitates, exemptiones atque libertates, in dictis suis literis comprehensas, quarum tenor sequitur, estque talis [1] :

« Wy Jan, by der gratien Ons Heeren hertoge van Lottryck, van Brabant ende van Lymborch, maken cont allen denghenen die dese letteren sullen sien oft hooren lesen, dat wy hebben gegeven ende geven, om gemeynen oorboir van onsen lande, onsen lieven knapen, beide van Bruessel ende van Lovene munteren ende wereklude, dese pointen die hiernaer volgende zyn.

» Het es te verstaene dat wy hen hebben gegeven ende geven, om gemeynen oorboire, ende om allen twist te belettene, die tuschen de voerschreven knapen moech geschien ende oec gevallen, datter samen syn negentich in Brabant onder munter ende werekluden, ende niet meer; van desen knapen selen syn vyftich tot Bruessel ende veertich te Lovene; ende dese knapen selen syn alle van eenen geselschap, ende sy selen 't leeren alle die goeder liede kinderen, die 't begeeren te leerene, ende dien sy haer goets

[1] Cfr. *Revue de la Numismatique belge*, t. I, p. 44, ubi exstat simile fere privilegium anni 1298; et infra not. ad cap. XII versionis gallicae.

betrouwen. Ende waneer datter een sterft, die ter geselschap behoert, so sal men nemen eenen die hem naest belanck is, ende dies werdich is, ende makene in syn stad [1] die daer doot is. Ware dat sake oock dat hy bleff sonder maech oft geboorte [2], so moeten sy nemen eenen van den munteren dies 't best weerdich is, ende daer't oock die menichte van der geselschape overeendraeght, ende die sal men maken geselle. Ende soe moet deghene diet dan werden, sal geven den ambachte seven pont brunschachte [3].

» Ende van desen voorgenoemden XC werckluden ende munteren, so selen wy voregenoempt Jan hertoge van Brabant mogen setten ende maken X werckluden, ende die selen se ons bewysen ende noemen by naemen ende beschryven in eenen brief buyten desen caerthe, ende besegelen met hore segelen, beyde de munters ende die wercklude van Bruessel ende Loven. Ende wie van desen X werckluden werden sal geselle, hy moet geven seven pont brunschachte den gesellen van den ambachte, also dick als sy veranderen. Ende wy hertoch Jan voerschreven henne mogen neghenen werckman noch muntere maken, die een en sterve van desen thienen, die sy ons beschreven hebben, ende besegelt in eene lettre met hore segelen. Ende als een sterft, so mogen wy hertoge Jan voergenoempt eenen nemen in de munte, die ses merck silvers geeft in platen wercken mach alleene op eenen dach, alsoo als't recht bewyst.

» Voerts, soe geven wy onsen munteren ende werckluden, om gemeynen oorboire, ende om dat wy de vremde luden altyt inne kemen, dat niemant en sal in al onsen munten van Brabant wercken noch munten, dan onse wercklude ende onse munters, alsoelange als onse muntmeestere delivrantie mogen doene ende d'werck vermogen. Ware oeck dat sake dat die voergenoemde munters ende wercklude d'werck niet en vermochten, soe mach die muntmeestere vreempde werckluden ontbieden, buyten gerechten munters, ende, alse dan onse liede d'werck vermogen, soe moet den muntmeestere den vreemden werckluden oorloff geven.

» Voerts so hebben wy hen gegeven ende geven dat sy quyt syn van alrehande hervaerden, tenne ware van lantweren.

[1] *Plaets.* In cit. privilegio anni 1298 additur: *vereman.*

[2] Id est *zonder nakomelingen.*

[3] In cit. privilegio legitur: *Sal geven den ambachte vyf pond, ende den meester tien scellinge, et selec paiements al se in 't lant geed.*

» Voerts, willen wy dat se allen denghenen, die in valsche munte wercken, ende daer men 't op geprouven kan, vuyt hare geselschap doen, ende eenen anderen in syn stad maken: daertoe willen wy dat se setten twee knapen, die sy daertoe kiesen van jare te jare, alsoe al se tot hiere hebben gedaen, overmids den muntmeestere ende de knapen van der vore partie ende den waerdeyne.

» Voerts, willen wy, ees 't dat sake dat se hebben onder hen siecke oft crancke, die niet wercken en mogen, dat sy hen selen geven halff alsoe vele als een man wint, syn se arm syn se ryke. Ende, om dat wy willen onse munters ende onse werckluden van pylicheiden verhueden, ende dat egheenen twist onder hen en come, soe willen wy, wie dat eenigen twist of pylicheide begint, slaet, doet oft werpt, dat hy 's sy om thien stuyvers [1]: d'anderdiel [2] van dese forfayte willen wy dat die knapen bekeeren selen te Gods eeren; d'ander derdendiel sal heffen onsen muntmeestere oft onse waerdeyn, tot onsen behoeff; ende 't derde derdendiel den twee knapen dien toe geset syn, ende den waerdeyn ende de gemeynten, daer die meneger overeendragen.

» Voerts, willen wy ende geven hen dat onse muntmeestere ende twee vercorene knapen ende onse waerdeyn sullen zyn hore rechtere van alrehande stucken, henne ware van overdade ofte van mincksele ende van corporelen wonden.

» Voerts, willen wy ende geven hen dat egheen rechtere niemanden van hen arresteren en mach binnen onse munten, henne ware van stucke daer sy d'lyff om hadden verbuert.

» Voerts, wat muntere oft wercmans meestere silver oft platen t'huys droege, ofte muntysere, ende overnacht hielde, hy waer's om ses schilde [3], ende die selen gaen gelyck den anderen forfayten.

» Voerts, willen wy dat egheen knape henne mach silver ontfaen te muntene, als munter, hyne sy alsoe goet loeflyck werkman, dat hy mach wercken ses merck silvers gheeffs in platen, alleene op eenen dach, alsoe als 't recht wyst.

» Voerts, willen wy dat sy gelyck silver ende platen ontfaen evenvele.

[1] In cit. priv. *thien scellinge.*

[2] *D'een derdendiel?*

[3] In cit. priv. *tien scellinge.*

henne ware oft die muntmeestere hadde te doene, ende diet dan over hadde ontfaen, sout affstaen als 't hen deen heite van den twee gecooren knapen, en henne dadde hy 's niet, hy waer's om drie schellinge, ende die gaen gelyck den anderen forrefayten, ten ware also dat die muntmeestere verladen ware van silver. Ware oeck dat sake dat eenich muntere oft werckman sculdich ware synen geselle oft den muntmeestere van geleender schult, oft waer af dat ware, het en ware ondersproken, dat moeste hy hen gelden van half synen lone, op dat hy 's hem beclagede, ende op hem toonen mochte, het ware van schoude voer schepenen gemaect. Voerts. willen wy dat onse munters ende onse werckluden haer dinc alsoe ordineren dat sy even vele winnen.

» Voerts, willen wy, waer eenich knape die eenen anderen ontdroege syn getouwte oft syn silver oft gelt, van voeren henne, hy waer's om ses stuyvers [1], op dat hy's hem beclaeghde, ende die souden gaen gelyck den vorseyden forfayten. Ware oeck dat sake dat eenich geselle van der munten over den anderen claeghde, hy ne mocht volbringen en volcomen, hy waer 's op twelf penningen, ende volquaem hy 's so gouwt degene daer hi over clagede : dit forfayt gaet gelyck den anderen. Waer oeck dat sacke dat de muntmeestere oft onse knapen eenich point vertiede dat onser munten ende den werckluden oorborlyck ware, dat willen wy dat men dat houde, gelyck dat sy 't selen setten.

» Voerts, willen wy dat eenich knape die tot ons quame te toenen eenige stucken die ons oorberlyck waren, ende onser munten ende oock den knapen, dattene daerom de meester niet en sal excuseren. Ende om dat die wercklude ende die munters van Bruessele ende van Loven onsen goeden moete behouden willen, ende om dat wy hen vryheden gegheven hebben. soe geloven se ons, dat sy ons selen om sulcken loen wercken als die koninck van Vrancryck, oft alsse de koninck van Ingelant, oft alsse die greve van Vlaendren wercken doen horen gerechten werckluden, die in hare landen woenen ende die geboren syn vuyt horen landen, henne ware also dat de een partye van den lande d'andere verdryven woude, ofte om min gelts wercken dat hen onse knapen van Brabant, die vore syn geseit, mogen houden aen den besten loen altyt van den drie heeren die vore syn genoemt.

[1] Ibid. *tien scellinge.*

» Ende wy hertoghe Jan verbieden dat se nimmermeer colen en coopen binnen al onsen lande om mede te werckene. Voerts, soe gheven wy onsen lieven knapen, beide munteren ende werckluden, omme dat sy sitten over ons werck sonder hoede, wy dat van buyten der munten quame, over hen ende sloechse ochte quetsete, syn lyff ende goet ware t'onsen wille.

» Ende wy Jan, by der gratien Ons Heere hertoghe van Lottrycke, van Brabant ende van Lymborch, hebben gegheven dese pointen die hier vore geseit syn ende beschreven, om twist te belettene, ende om oorboir dier wy inne versien hebben, ende puerlyck door Gode ende om die salicheit van onser ziele, ende om die verlichtenisse van den sielen daer wy aff komen syn, ende die naer komen sullen, ende geloven met goeder trouwen dat wy se nimmermeer breken en selen, noch occasien soecken, noch doen soecken te brekene.

» Ende om dat wy willen dat se gestadicheit hebben tennimmers behoeft, so hebben wy aengehangen in orconden onsen propren segel. Dese vorwaerden waren gemaecht ende gegeven in't jaer Ons Heeren doe men schreeff M° CC° XC° ende een, in de hoymaent. »

Quas quidem literas, omnia et singula in iisdem contenta, Anthonius, Dei gratia Lotharingie, Brabantie et Lymburgie dux, sacrique imperii marchio, per suas certi tenoris literas, in quibus predicte litere sunt incorporate, confirmavit, ratificavit et approbavit. Et nihilominus idem dux Anthonius dictis monetariis nonnullas alias atque novas libertates et immunitates concessit, in iisdem suis literis specificatas et declaratas, quarum tenor sequitur, et est talis :

» Anthoine, par la grâce de Dieu, duc de Lothier, de Brabant et de Lymbourch, marquis du Saint Empire, savoir faisons à tous présens et advenir, Veu et par nos amez et féaulx messire Pierre de Cranedonc, nostre chancellier, les gens de nostre conseil et de noz comptes fait veoir, visiter et examiner diligentement certaines lettres patentes de feu de bonne mémoire le duc Jehan de Lothier, de Brabant et de Lymbourch, nostre prédécesseur, que Dieu absoille, seellées de cire blanche, en laz de soye vermeil, et données l'an mil deux cens quatre-vingz et unze, en mois de juillet, desquelles lettres le teneur s'ensuit de mot à autre : Wy Jan by der gratien Ons Heeren, etc. » ut supra proxime, id est, dicta litera totaliter incorporata est in hiis; post cujus incorporationem sequitur :

« Lesquelles lettres cy-dedens incorporées, ensamble toutes les grâces, franchises et libertez par icelles données, ottroyées et concédées à noz bien amez les ouvriers et monnoyers de la compaingnie de noz monnoyers de Brabant, nous, à l'umble supplication de nozdiz ouvriers et monnoyers, avons loées, gréés, approuvées et confirmées, et par le teneur de ces présentes, de nostre grâce espéciale, plaine puissanse et certaine science, louons, gréons, approuvons, confirmons, voulons, ottroyons et consantons que desdittes grâces, franchises et libertez, et chascune d'icelles, nozdiz ouvriers et monnoyers, et chascun d'eulx, usent et joyssent d'ores en avant, plainement et entièrement, en la forme et manière contenues èsdittes lettres. Et, en oultre, en ampliant nostreditte grâce, nous, considérans les bons et loyaulx services que nozdiz ouvriers et monnoyers ont fais en tamps passé à nos prédécesseurs, ducs de Brabant, auxquels Nostre-Seigneur face vray pardon, et qu'ilz nous font de jour en jour, et espérons qu'ilz facent cy-après au faict de nos monnoyes; et afin que eulx, qui sont noz subgez natifz, et selon la teneur des lettres dessusdittes tenuz de nous servir devant tous aultres ès ouvrages de nosdittes monnoyes, n'ayent causes d'aller demourer en estranges contrées, ne quérir aucunes franchises ou libertez dessoubz aucuns aultres princes ou seigneurs, avons, oultre et pardessus les grâces, franchises et libertez contenues et déclarées èsdittes lettres, en augmentation d'icelles, lesquelles demourront adez en leur force et viguer, ottroyé, donné et concédé, et par ces meismes présentes, de certaine science et plaine puissance, comme devant est dict, pour nous, noz hoirs et successeurs, ottroyons, donnons et concédons a nozdiz ouvriers et monnoyers, et chascun d'eulx, perpétuellement et tousjours, les franchises et libertez cy-après déclarées.

» C'est à savoir que nozdiz ouvriers et monnoyers, leurs femmes et familliers [1], ou aucuns d'eulx, ouvrans ou non ouvrans, ne seront tenuz de respondre d'ores en avant, ne d'estre à droit endevant aucuns de noz justiciers ou officiers dedens noz duché, pays, villes et seignories de Brabant, pour quelzconque cause, forfaiture ou meffait que ce soit, excepté seulement de meurdre, larrecin et rapt, et aultres cas pour lesquelz ils pourroient fourfaire la vie, ou recevoir mutilation ès membres: pour lesquelz cas ilz respon-

[1] Alias *familles*.

droient, et seroient tenuz de respondre, par devant ceulz de nozdiz justiciers et officiers, ou aultres qu'il appartiendroit, et de tous aultres cas seront tenuz de respondre et respondront par devant les maistres et prévostz de nozdiz monnoyes, et non par devant aultres, lesquelz maistres et prévostz de nozdiz monnoyers seront tenuz d'en faire telles punition et correction qu'il appartiendra selon l'exigence des meffaictz.

» Item, que nozdiz ouvriers monnoyers, leurs femmes et familliers devantdiz, ouvrans ou non ouvrans, alans, séjournans et retournans, ne poulront estre prins, arrestez ou empeschez en nozdiz duché, pays, villes et seignories de Brabant, sinon pour les cas dont dessus est faict mention, ou pour aucun d'iceulx, ou pour debtes èsquelles ils seroient expressément obligez, et avecques ce seront francs, quittez et exempts de toutes tailles, prières, exactions, services de guerres, impostz nouveaulx et aultres charges quelconques, qui de par nous ou nozdiz hoirs et successeurs seront mis sus en nozdiz duchié, pays et seignories de Brabant, excepté seulement s'il advenoit (que Dieu ne veuille) que nous ou nostre aisné filz, ou nozdiz hoirs et successeurs, ducz de Brabant, ou leurs aisnez filz, fussions ou fussent prins en fait de guerre; èsquelz cas ilz seroient tenuz de contribuer ainsi que noz aultres bonnes gens et subgez des lieuz où ilz tiendroient leurs demourances.

» Item, nozdiz ouvriers et monnoyers, leurs familliers et serviteurs, et chascun d'eulx, ouvrans et non ouvrans, pourront, quant bon leur semblera, franchement porter leurs armures, paisiblement sans mesfaire, pour les garde, seurté et deffense de leurs personnes et biens, ainsi que font nous aultres serviteurs.

» Si donnons en mandement à noz séneschal et recheveur général de Brabant, à noz mayeur de Louvain et ammant de Bruxelles, à nostre bailly de nostre commun pays de Brabant, et à noz escoutètes d'Anvers et de Bois-le-Duc, à nostre mayeur de Tielemont, et tous nous aultres justiciers et officiers de nostredit pays de Brabant, qui à présent sont et seront en tamps à venir, a leurs lieutenans, et à chascun d'eux endroit soy, et si comme a lui appartiendra, que nozdiz ouvriers et monnoyers, et ceulx qui après eulx le seront, leurs femmes et familliers, et chascun d'eulx, ouvrans et non ouvrans, en quelque lieu qu'ilz soient en nozdiz duchié, pays et seignories de Brabant, maintiennent et gardent, et fassent tenir, maintenir

et garder vigoureusement, de par nous, chascun ès termes et limites de son office, en toutes leurs grâces, franchises et libertez, specifiées et déclarées ès aultres lettres dessus incorporées, et en ces présentes lettres et chascune d'icelles, sans leur faire, ne souffrir estre faict, en corps ne en biens, aucun trouble, destourbier ou empeschement, comment ne par quelconques personnes que ce soit, au contraire. Et affin que toutes ces choses soient et demeurent fermes et estables à tousjours, nous avons à ces lettres faict mettre nostre grand seel en laz de soye et cire verde, sauf en aultres choses nostre droict, et l'aultruy en toutes.

» Cecy fut faict au mois d'aougst, l'an de grâce mil quatre cens et onze. Subsigné par monseigneur le duc en son conseil, auquel nous Jean de Schonevorst, le seigneur de Heverlé, Guillaume Blondel et plusieurs aultres estiez. Le Marchant. Collation est faicte aux lettres originaulx encorporées en ces présentes. Je le Marchant visa. »

Superscripte litere fuerunt confirmate per ducem Philippum I^um^, per suas literas datas Bruxelle, tercia die februarii anno Domini M^o^ CCCC^o^ XVIII^o^, presentibus cancellario Rotsel, Grand Montz, Diebier, G. Coele.

Sequitur tenor litere per quam dux Johannes conquisivit in suum hominem comitem de Katzenelleboge[1]. Cap. XXXV.

« Nos Johannes dux Lotharingie, Brabancie et Lymburgie notum faci- 1292
mus universis, quod nos, attendentes sincere fidei, constantie et devotionis studium, quibus vir nobilis Everhardus comes de Katzenelleboge amicitie nostre studuit se jam longis temporibus applicare, cupientes ut ad id quod nobis hactenus voluntarie exhibuit, de cetero ex debito teneatur, ipsum in nostrum hominem duximus conquirendum, promittentes eidem, et per has nostras literas obligantes, quod deinceps singulis annis eidem comiti in festo purificationis beate Marie virginis, et suis heredibus, ducentas libras denariorum Lovaniensium persolvemus, quas in redditibus nostris in Bruxella sibi assignamus recipiendas, donec eidem duo millia librarum Lovaniensium persolvamus[2], receptis in sortem non computandis: hoc

[1] Vid. Butkens, t. I, *Preuv.* p. 129.

[2] Butkens legit *persolvantur*.

adjecto quod, si defecerimus in solutione predicte pecunie termino memorato, ipse comes Everhardus, sine offensa nostra et violatione pacis generalis, possit et debeat nostra pignora capere et tenere: solutis vero predictis duobus millibus librarum Lovaniensium, idem comes ex tunc deinceps, et sui heredes in posterum, recipient et tenebunt a nobis et nostris heredibus in feudum castrum Stadeck, cum suis juribus et pertinentiis ac proventibus, et inde erunt nostri et heredum nostrorum homines et vasalli. In cujus rei testimonium et munimen dedimus ipsi comiti presentes literas sigilli nostri appensione roboratas. Datum anno Domini M° CC° XCII°, feria quarta post festum beati Remigii. »

Heinricus comes Luxemburgensis duxit in uxorem Margaretam filiam ducis Lotharingie, Brabancie et Lymburgie. Cap. XXXVI.

1292 Anno IV° post bellum de Woerinck, videlicet anno Domini M° CC° XCII°, prehabito tractatu debito et opportuno inter predictum Johannem primum, trifarium ducem, ex una parte, et Heinricum comitem Lucemburgensem, postea imperatorum Romanorum, ex altera, tam super matrimonio contrahendo inter eundem Heinricum comitem et Margaretam filiam ducis predicti, quam super pace reformanda inter eosdem, ob necem genitoris dicti comitis et suorum patruorum [1] in bello de Woerinck occisorum, tandem omnipotentis Dei inspirante gratia, memorati dux et comes, primo et principaliter, quidquid odii, rancoris seu dissentionis inter eosdem habitum fuerat, quomodocumque evenerit, puro corde invicem remiserunt, nunquam deinceps recordandum. Quo facto prelibatus dux, prehabita dispensatione a Nicolao papa quarto, super impedimento consanguinitatis [2], dedit Margaretam filiam suam predictam prefato comiti legitimam in uxorem, ex qua idem comes genuit Johannem comitem Lucemburgensem, postea regem Bohemie et Polonie, qui fuit pater Karoli quarti Romanorum imperatoris, Wenceslai ducis Lucemburgensis, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis, et Heinrici, patris Judoci marchionis Moravie, postea in Romanorum regem

[1] Alias *patrinorum.*

[2] Sponsi tertio consanguinitatis gradu sibi invicem jungebantur.

electi, ac regine Francie, videlicet uxoris Joannis Francorum regis, qui ex ea genuit Karolum Francorum regem, Ludovicum Andegavensem, prout inferius etiam dicetur.

De electione Adolphi comitis de Nassouw in regem Romanorum. Cap. XXXVII.

Cum post mortem Rodulphi regis regnum Romanum vacaverat mensibus 1292
novem et diebus quinque[1], principes Germanie electores imperii, ad electionem futuri regis apud Franckenvorde convenientes, tempore Nicolai pape quinti, Adolphum comitem de Nassouw concorditer elegerunt, qui a Sigifrido archiepiscopo Coloniensi Aquisgrani consecratus est et coronatus in regem, anno Domini M° CC° XCII°, mensis maii die prima[2]: et regnavit annis sex vel circiter. Hic Adolphus rex confirmavit Johanni duci Brabancie et hominibus suis sua privilegia, ut in litera cujus tenor sequitur[3]:

« Adolphus, Dei gratia Romanorum rex semper augustus, universis imperii Romani fidelibus gratiam suam et omne bonum. Cum omnis gloria sive potentia principatus in subditorum consistat precipue solidata fortunis, decet et expedit, ut quilibet, in quacumque preeminentia constitutus, sit subjectis in gratia liberalis; tunc enim regalis dignitas vere laudis titulis sublimatur, et eminenti decore prefulget, cum, fidelium principum suorum devotionem clementer attendens, eis de sua liberalitate innovat et confirmat, que a suis sibi predecessoribus sunt collata, eo quod non minus in observandis beneficiis quam elargiendis laus regie dignitatis accrescat. Eapropter nosse volumus universos, tam posteros quam presentes, quod nos, sincere devotionis fideique constantiam, quam illustris princeps noster, Johannes Lotharingie Brabancie et Lymburgie dux, ad celsitudinem nostram habere dignoscitur, attendentes, et considerantes placida, fructuosa et grata servitia, que per eum nobis in posterum poterunt exhiberi, universa feuda, jura, libertates, concessiones, collationes et sententias, a divis impera-

[1] Mensibus decem et dimidio duravit interregnum; Rudolphus enim obiit die 15 julii 1291, et Adolphus Nassovius electus est die 5 maii 1292.

[2] Lege *quinta*.

[3] Exstat apud Butkens, t. I, *Preuv.* p. 127.

toribus et regibus Romanorum, nostris predecessoribus, Rodulpho et Frederico, ante latam in ipsum per Apostolicum depositionis sententiam, ac ipsius Frederici antecessoribus, necnon hominibus eorundem ac ipsi duci[1] factas, concessas et latas, prout rite et provide facte, concesse ac late noscuntur, predicto duci ac hominibus suis auctoritate regalis culminis approbamus, innovamus, confirmamus, et hujus scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre approbationis, innovationis et confirmationis infringere, vel eidem in aliquo ausu temerario contraire. Quod si quis forsitan attemptare presumpserit, gravem nostre indignationis offensam se noverit incursurum. In quorum omnium testimonium et evidentiam pleniorem presens scriptum exinde conscribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri. Datum Aquisgrani, XVII° kalendas octobris, anno Domini M° CC° XCII°, regni vero nostri anno primo. »

Johannes dux constituitur advocatus provincialis per regem Adolphum, prout sequitur. Cap. XXXVIII.

1292. Item idem Adolphus per alias certi tenoris literas[2], datas anno Domini M° CC° XCII°, XIIII° kalendas decembris, indictione V^a^, regni sui anno primo, constituit Johannem Lotharingie, Brabancie et Lymburgie ducem, quem ex parte circumspectionis et fidei merita sibi reddiderunt amabilem, et eximie virtutis prestantia effecit cariorem, advocatum provincialem, rectorem et judicem generalem in aquis et in terris, ad exercendum omnia que pacis observantiam respiciunt, et advocati principalis ad officium pertinere noscuntur, suo et imperii nomine exercenda, a partibus circa fluvium Moselle usque ad partes maris quod Zee vocatur, et ex parte Reni altera versus Westphaliam. Quocirca commisit et mandavit universis principibus, tam ecclesiasticis quam secularibus, prelatis, baronibus, comitibus, nobilibus, ministerialibus, militibus, vasallis, communitatibus, castris, villis, ceterisque sacri imperii fidelibus, in partibus predictis constitutis, et in pace communi juratis, quatenus predictum ducem hylares et devoti suscipere, sibique, ac substituto seu substitutis, vel sub-

[1] *Ac ipsius ducis*, apud Butkens.

[2] Exstant apud Butkens, t. I, *Preuv.* p. 128.

stituendo seu substituendis ab ipso, in premissis reverenter parere et humiliter pronis affectionibus obedire curarent, etc., prout in scriptis literis plenius continetur.

De obitu Johannis primi, ducis triphari. Cap. XXXIX.

Anno Domini M° CC° XCIIII° comes Barensis venit in Brabanciam ex Anglia cum filia regis Anglie, quam duxerat in uxorem. Johannes vero dux, ob reverentiam et honorem ipsorum, perrexit cum ipsis usque ad Barum, ubi fuerunt hastiludia inter milites et nobiles experta. Contigit quod ipse Johannes, cupiens complacere comiti Barensi et ejus sponse et universe tam militie quam dominarum congregationi, hastiludiavit cum quodam nobili [1], et in tertia justa fuit in musculo brachii sui mucrone lancee vulneratus, taliter quod inde moriebatur. Quod accidit ipso die sancte Crucis, que fuit III^{a} maii anno predicto. Cujus corpus fuit transportatum Bruxellas, et ecclesiastice sepulture traditum in ecclesia Fratrum Minorum ibidem. Iste dux Johannes fuerat ad LXX torneamenta infallibilia in remotis partis, puta in Francia, in Anglia et in Germania [2]. 1294.

Mortuo Johanne primo duce, succedit sibi filius suus Johannes dux secundus. Cap. XL.

Mortuo Johanne trifario duce primo suprascripto, sibi successit in ducatibus Lotharingie, Brabancie et Lymburgie, sacrique imperii marchionatu, Johannes filius suus, hujus nominis dux secundus, qui attendens quod juxta sacre scripture eloquium pax non queritur, ut bellum exerceatur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur, quodque bellum non debet esse voluntatis sed necessitatis, ut Deus liberet a necessitate et conservet in pace; idcirco, licet in vita debellabat, nihilominus erat bellando pacificus, ut eos, quos expugnare poterat, ad pacis utilitatem vincendo perduceret; et sic tan-

[1] Petrus de Beaufremont.

[2] Cfr. *Magnum Chron. Belgicum*, apud Pistorium, t. III, p. 281 et 282.

quam princeps pacificus, urgente necessitate, erat bellicosissimus, videlicet ad terrarum suarum deffensionem, jurisque et honoris sui conservationem, ac injuriarum amotionem et delictorum sive excessuum correctionem. Suo enim tempore justa ex causa obsidebat longo tempore castrum et oppidum de Wassemberghe, que tandem vi armorum cepit, et cum suis pertinentiis sibi subjugavit. Cepit etiam oppidum Montis Sancte Gertrudis. Ipse etiam, ad instantiam comitis de Marcka et ad humiles preces cujusdam nobilis vidue, que, ut ipsam ab oppressionibus et injuriis tueretur, per juramentum suum militare requisivit, posuit obsidionem ante oppidum de Reckelichausen in Westphalia constitutum. Quod quia restituere recusavit, quod eidem vidue per injurias abstulerat, ipsum oppidum vi armorum cepit, et vidue, quod eidem improbe fuerat irrogatum, fecit emendari. Ipse eciam dux in una prima die maii communitatem oppidi Bruxellensis, sibi tunc inobedientem et rebellem, que cum vexillis et signis armorum bellicis exiverat, in pratis Vilvordiensibus superavit et prostravit, et ad suam obedientiam reflexit. Vicit etiam quodam tempore quandam magnam congregationem plebis ex diversis partibus adunatam juxta castrum suum de Genapia, quod obsidione cinxerat, ad capiendum nonnullos judeos in eodem castro, de consensu ducis tuitionis causa constitutos.

De privilegio abbatie Forestensis. Cap. XLI.

1297. « Nos Johannes, Dei gratia dux Lotharingie, Brabancie et Lymburgie, universis presentes literas inspecturis vel visuris seu audituris salutem et omne bonum, cum notitia veritatis. Universitati vestre tenore presentium declaramus et notum esse volumus, quod dilectis nostris religiosis mulieribus et discretis abbatisse et conventui monasterii de Foresto, etc. » Habetur hec clausula : « Advocatiam nihilominus predictarum possessionum omnium ac bonorum ad dictas religiosas, in quocumque loco sub nostro dominio in presenti existentium, seu in posterum ab eisdem acquirendorum, nobis solis ac nostris successoribus reservamus, sicut a nostris est predecessoribus et a nobis hactenus habita et servata. Datum anno Domini M° CC° XCVII°, mense januario. »

De privilegio abbatie Tungerloënsis. Cap. XLII.

« Johannes, Dei gratia Lotharingie, Brabancie et Lymburgie dux universis presentes literas inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod nos viros religiosos, abbatem et conventum de Tongerloo, ordinis Premonstratensis, sub nostra protectione et tuitione, tanquam verus advocatus, suscipientes, omnes libertates, immunitates et gratias eisdem a nobis et predecessoribus nostris concessas, seu ab aliis quibuscumque, etc., dictis religiosis in perpetuum tenore presentium confirmamus, etc. Datum anno Domini M° CC° XCVII°, mense februario. » 1297.

De privilegio abbatie Haffligheмensis. Cap. XLIII.

« Nos Johannes, Dei gratia dux Lotharingie, Brabancie et Lymburgie universis presentes literas inspecturis salutem et omne bonum, cum notitia veritatis. Universitati vestre tenore presentium declaramus et notum esse volumus, quod dilectis nostris viris religiosis et discretis, abbati et conventui monasterii Haffiighemensis, etc. » Habetur talis clausula : « Advocatiam nihilominus predictarum possessionum omnium et bonorum ad religiosos, in quocumque loco sub nostro dominio existentium, seu in posterum acquirendorum, nobis solis ac successoribus nostris reservamus, sicut a nostris est predecessoribus et a nobis hactenus habita et servata, volentes quod de omnibus et singulis possessionibus sive bonis predictis, si contingit ipsos religiosos predictos aliquoties infestari, calumpniari seu in causam trahi, quod premissa causa seu calumpnia coram nobis aut nostris officialibus solummodo ventiletur. Datum anno Domini M° CC° XCVII°, mense januario. »

De privilegio abbatie de Porceto. Cap. XLIV.

« Nos Johannes, Dei gratia dux Lotharingie, Brabancie et Lymburgie, etc. Notum esse volumus universis, quod nos, ob remedium anime 1297

nostre necnon et antecessorum nostrorum animarum parentum, conventui dominarum Deo famulantium in ecclesia beati Johannis Baptiste apud Porcetum Cisterciensis ordinis liberaliter concedimus, et volumus, quod dictus conventus et sui nuncii, cum rebus et personis earum, in Gelopia et in Dobach ab omni jure cujuslibet thelonii et vectigalis liberi sint et exempti, precipientes obnixius ne aliquis in hoc requirens eos molestare presumat. Cujus vero collationis devotionem dictus conventus attendens, nobis plenam fraternitatem et communionem omnium orationum et benefactorum, que fiunt in eadem ecclesia, contulerunt. Et, ne predicta ab aliquo in posterum possint infringi vel inficiari, presenti scripto sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini M° CC° XCVII°, in die beati Andree apostoli. »

Que quidem litera fuit confirmata per inclite memorie Johannem hujus nominis ducem quartum, anno Domini M° CCC° XVIII°, mensis maii die XIIII^a^. et postea etiam confirmata per quondam ducem Philippum ducem Brabancie, bone memorie, anno Domini M° CCC° XXX°, mensis maii die XXIX^a^.

De divisione inter dominum ducem et dominos Grimbergenses[1]. Cap. XLV.

1202. « Wy Jan, by der gratien Gods hertoghe van Lottryck, van Brabant ende van Lymborch, ende wy Godevaert, grave van Vianen[2], ende wy Geraert van Aa, heeren van Grimberghen, maken condt allen denghenen die dese letteren selen lesen oft hooren lesen, dat wy, om alrehande twist ende om alrehande donckernisse te verclaerne ende te besteden, alse van onsen gemeynen heerscape[3] van Grimbergen hebben gemaect, ende willecoert by onsen gemeynen vrienden ende rade dese pointen te houdene, ende dese ordinantie vast ende gestadich emmermeer, die hier naer beschreven syn : dat is te verstaene, welck tyt dat ons heeren van Grimberghen oft onsen knapen die hertoge ontbiet om gemeyne oorloghe oft om chevanchien, so

[1] Cfr. Butkens, t. I, p. 327, et *Preuv.* p. 129.
[2] Seu *Vianden.*
[3] *Heerschappye.*

selen wy heeren van Grimberghen onsen heere den hertoge hulpen ten gemeynen oorloge op onsen cost, ende te chevanchie op synen cost, naer onse macht, gelyck dat hy dat ons ontbiet; ende soe selen wy hebben dat van s'hertoghen maysemede lieden, die binnen Grimberghen geseten syn, in dese manieren, wye dat t'huys bleve van s'hertogen lieden oft wederkeerden, des men niet georloven en mach sonder des hertoghe wille, die man t'ors verbeurde X lib., ende die man te voete X schel.[1], ende nochtans moesten se wederkeeren 't oorloghe : dese mesdaet sal de hertoge heffen halff, ende d'ander helfft leveren heeren van Grimberghen, vuytgenomen denghenen die boven LX jaren syn, oft die nootsaken hebben. Voertaane en mach nyemant maysemede thoonen, ten sy vander moeder syden : dat is te verstaen van denghenen die tot hiertoe als maysemede liede nich geseten en hebben, ende van denghenen die se bethoenen willen, daertoe moet men toch setten der heeren knapen daer sy se vuyt thoonen willen. Voert, alle dieghene die op desen dach als maysemede lieden geseten hebben, die selen ter toe blyven ende haer naercomelingen. Wanneer oock dat des hertogen maysemede lieden, oft syn poorteren, die in't lant van Grimberghen woonachtich syn, verboren 't sy lyff oft goet, haer lyff ende haer have, syn wy heeren van Grimberghen sculdich den hertoghe te leveren waer ment gecrygen mach, maer 't jaerlycx inkomen van den erve van eygen ende leene blyft den heere van Grimberghen, tot dat sy haeren pais maken. Ende als sy den pais hebben jegen den hertoghe, so hebben sy hem jegen de heeren van Grimberghen, ende moeten weder hebben haer eygen ende haer leene. Ende desgelycx so hebben der heeren van Grimberghen lieden jegen den hertoghe die in synen lande geseten syn. Voerts, als men maeck vredelycken coren by mannen ende by scepenen omme des lants oorboir, so wiene breeckt hy betere de heere van Grimberghe naer den vonnisse. Voort, welcken tyt dat men gebiet geleyt vuyter kercken, ende men dat doet by mannen ende by scepenen, wat mesdade dat daeraff valt, alsoe verre als 't vonnis deylt, heffen[2] de heere van Grimberghen. Waer oock dat sacke dat eenich poortere misdaet verbeurde in den lande van Grimberghen, bleve hy gevaen metter veerscher daet, dat moeste hy beteren den heere van Grimberghen

[1] Apud Butkens legitur : *die man te peerd verbeurde* 10 *schell., ende die man te voete* 10 *stuvers.*

[2] Alias *hebben.*

naer den vonnisse. Ende ontvoer hy buyten den lande van Grimberghen . ende niet en worde gevaen metter veersscher daet, so waer hy quyt jegen den heere van Grimberghen. Voert en mogen des hertogen knapen negheen hachte doen noch saisine binnen den lande van Grimberghen, onversocht der heeren knape. Waer oock dat van grover mesdaden dat geviele in 't lant van Grimberghen, so welcker heeren knapen datter toe quamen, sy mochten daer die hant aen slaen, behouwelick alle haren rechten. Waer oock dat sake dat liede quamen binnen den gemeynen heerscappye van Grimberghen van buyten lants, daer de hertoghen egheen maysemede en volght, ende die te voren tot des hertoghen maysemede niet en hoorden, die selen blyven den heeren van Grimberghen.

» Wie oeck poorteren ter Kapellen ofte Vilvorden werden willen, sy mogen 't doen in manieren dat sy plegen, moeten allen dienst daer sy te voren aff becommeert waren, alsoe verre als men 't in den vonnisse verreyken mach, vore den heere daer zy te voren toebehoorden, op dat sy binnen den jare gecalengiert werden, ende indien dat poorterschap in stade staet, sal sy moeten toenen met scepenen ende op der scepenen eedt, op welcken dach hy poortere weert. Wie oock dat wille mach hem ontpoorteren, behouwelick der poerte rechte ende den commer daer hy op dien dach aff becommert is. Waer men oeck vaert in oorloghen, soe hebben de heeren van Grimberghen dat voervechten ende de achterhoede, ende daermede syn sy quyt van der schiltwachten. Voorts, als die heeren van Grimberghen varen in oorloghen des hertogen oft in thencien [1], soe mogen sy peerde ontleenen daer sy se vinden binnen haren gemeynen lande van Grimberghen, ende leveren se ridderen ende knapen die se behoeven, ende men mach van des hertogen halven negeen peerden nemen binnen de gemeyne heerscappye van Grimberghen. Voorts, en mach myn heere de hertoghe negeen dienst nemen van der abdyen van Grimberghen, noch van gheenen goede dat daer toe behoert, dat binnen den gemeynen heerscappe van Grimberghen gelegen is. Behouwelick dat des hertoghen honden een ghifte jaerliex sullen hebben van eender nacht ende van eenen dage in die abdye van Grimberghen, ende in elck van haren hoven in 't lant van Grimberghen staende. Oock mach de grave van Vianen [2] lombaerde houden binnen sy-

[1] *Chevauchien.* [2] *Vianden.*

nen sonderlinghen lande. Voert, der poorters goede, die vuyt den lande van Grimberghen syn poorteren oft werden, dat nu te dienste staet, moet den heeren van Grimberghen dienen te huwelicke, te ridderscappe ende te gevaenisse, alsoe verre als sy 't geloeft hebben. Voort alle dese stucken, gelyck dat se hier beschreven syn, die de heeren van Grimberghen gemeyn hebben, sal die grave van Vianen in sonderlingen heerschap [1] hebben.

» Ende om dat wy willen dat alle desen ordinantien ende voorwaerden gestadich ende vast blyven, soe hebben wy onsen segel in oorconscappe doen hanghen aen dese letteren, die gemaect waren ende gegeven in den jaer Ons Heeren doen men schreeff M CC XCII, des maendaghs vore S[t] Pauwels dach apostel. »

De morte Adolphi regis. Cap. XLVI.

Supradictus Adolphus rex fuit homo magnanimus et magni consilii, juvenis etate et senex moribus, et quia negligentius se ad principes, qui eum ad culmen tanti honoris evexerant, componens, et militaris ordinis homines eis preponens fuit, odia eorum contra se provocavit: unde Gerardus Maguntinus archiepiscopus, regi propinquitate consanguinitatis cunjunctus, episcopus Argentinensis et ceteri nobiles superiorum partium, indignatione commoti, illustrem ducem Austrie, nomine Albertum, filium regis Rodulphi, evocaverunt, et ut regnum obtineret hortabantur. Qui exercitu copioso adunato, cum ipsis munitionem quandam regno attinentem obsidione circumdederunt; sed Adolphus rex his eventibus minime perterritus cum multa sequela armatorum eos invadit. In pugna vero rex cecidit, et multi captivi abducuntur, anno Domini M° CC° XCVIII°. 1298

[1] *Heerschap* deest apud Butkens,

De electione Alberti ducis Austrie in regem Romanorum; de privilegio per Albertum Romanorum regem Johanni secundo duci, heredibus et hominibus suis approbato, innovato et confirmato. Cap. XLVII.

1298 Anno Domini M° CC° XCVIII°. Adolpho rege mortuo, principes Germanie, Moguntie congregati, Albertum ducem Austrie in regem eligunt, qui Aquisgrani a Wicboldo archiepiscopo Coloniensi coronatus, regnavit a Cesare Augusto XCII° loco, annis circa decem. Atque hic Albertus in regem electus concessit Johanni II duci Brabancie et hominibus suis nonnulla privilegia, confirmavitque predecessorum suorum privilegia ipsis concessa, ut sequitur [1] :

« Albertus, Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, universis sacri Romani imperii fidelibus gratiam suam et omne bonum. Cum omnis gloria sive potencia principatus in subditorum consistat precipue solidata fortunis, decet et expedit, ut quilibet, in quacumque preeminentia constitutus, sit subjectis in gratia liberalis. Tunc enim regalis dignitas vere laudis titulis sublimatur et eminenti decore prefulget, cum fidelium principum suorum devotionem clementer attendens, eis de sua liberalitate innovat et confirmat, que a suis sibi predecessoribns sunt collata, eo quod non minus in observandis beneficiis quam elargiendis laus regie dignitatis accrescat. Eapropter nosse volumus universos, tam posteros quam presentes, quod nos sincere devotionis fideique constantiam, quam illustris princeps noster Johannes, Dei gratia dux Lotharingie, Brabancie et Lymburgie, ad celsitudinem nostram habere dinoscitur, attendentes: considerantes eciam placida, fructuosa et grata servicia, que per eum in posterum nobis poterunt exhiberi, universa feuda, jura, libertates, concessiones, collationes et sententias a divis imperatoribus et regibus Romanorum, nostris predecessoribus, Philippo videlicet, secundo Frederico [2], Heinrico, Rodulpho nostro patre, et Adolpho, ejusdem ducis progenitoribus ac hominibus eorumdem factas, concessas et latas, prout rite ac provide facte, concesse et late noscuntur: et specialiter gratias et concessiones ac collationes de abbacia Nyvellensi, civitate et ecclesia beati Servacii Trajectensis, cum omnibus

[1] Cfr. Butkens, t. I, *Preuv.* p. 135. [2] *Secundo Frederico,* deest apud Butkens.

appendenciis, honoribus, juribus et justiciis, extra civitatem et infra, de comitatu de Dagispurgo, de LX carratis vini, de successione filiarum suarum in feudis suis libera, si heredem masculum non habuerit, de sentencia lata apud Franckvorde et a principibus approbata, quod de universis bonis, de ducatu suo moventibus, omnium heredum mortuis parentibus de jure tutor habeatur, et aliis quibuscumque predicto duci, heredibus [1] ac hominibus suis, auctoritate regalis culminis approbamus, innovamus, confirmamus, et hujus scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre approbationis, innovationis ac confirmationis infringere, vel eidem in aliquo ausu temerario contraire: quod qui forsitan attemptare presumpserit, gravem nostre indignationis offensam se noverit incursurum. In quorum omnium testimonium et evidenciam pleniorem presens scriptum exinde conscribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri. Datum Colonie, anno Domini M° CC° XCVIII°, quinto kalendas decembris, indictione XI^{a}, regni nostri anno primo. »

Hic Albertus misit solempnes nuncios ad Bonifacium papam VIII^{um}, in urbe Romana tunc residentem, scilicet anno Domini M° CC° XCIX°, pro confirmatione electionis sue obtinenda, quam idem papa multis rationibus tunc confirmare recusavit, dicens eam penitus fore nullam, signanter ex eo quod ipse Albertus in legem lese majestatis deliquit, interficiendo dominum suum Adolphum Romanorum regem. Est tamen verum, quod Bonifacius papa, videns quod male steterat cum rege Francie, et quod ipse regi mandaverat, quod regnum Francie ab ipso in feudum reciperet, et quod nemo per Franciam ad curiam venire potuit Romanam, ipse Bonifacius in odium regis Francie electionem dicti Alberti, quam ante repulerat, confirmavit, scilicet anno Domini M° CCC° [2], in die Assumptionis beate Marie, qua die idem papa, Anagnie residens, regem Francie excommunicatum nuntiari et publicari mandavit, dictoque Alberto regi regnum Francie vere [3] subjecit, sicut et alia regna [4].

[1] Butkens non recte legit *praedecessoribus*.

[2] Lege 1303.

[3] In aliis codd. pro *vere* habetur *verbo*.

[4] In *Magno chron. belg.* apud Pistorium t. III p. 303 legitur : *Eidemque Alberto verbo non opere regnum Franciae subjecit sicut et alia regna.*

Qualiter Albertus rex post mortem Johannis comitis Hollandie, etc., qui sine liberis decesserat, comitatum Hollandie tanquam vacantem imperio nitebatur incorporare. Cap. XLVIII.

Preterea est sciendum quod, defuncto sine liberis Johanne comite Hollandie, filio Florentii filii Wilhelmi Romanorum regis et Hollandie comitis, Johannes comes Hannonie, filius Johannis de Avesnis, comitis predicti, et Aleydis comitisse Hannonie, sororis Wilhelmi regis et comitis predicti, effectus est comes Hollandie, qui habens in uxorem Philippam filiam comitis Lucemburgensis, ex qua genuit Johannem primogenitum, in bello Curtracensi a Flamingis occisum, et Wilhelmum, sibi succedentem comitem, Johannem dominum de Bellomonte, Henricum Cameracensem canonicum [1], domicellum Walramum, ex quo, ut fertur, descenderunt domini de Brederode, Johannam abbatissam Fontalacensem, Margaretam Attrebatensem, Aleydem comitissam Claremontensem, Mariam comitissam de Burbonis et Machtildem dominam de Nyle. Hic Johannes primo dominationis sue tempore [2] cum expeditione valida remigravit ad Zelandiam [3], ubi contra rebellionem Johannis de Renesse demum in magna laude optinuit victoriam. Johannes itaque de Renesse devictus transfugit ad Albertum Romanorum regem pro subsidio, asserens quod comitatus Hollandie post obitum Johannis ultimi Hollandie comitis Romano vacaret imperio. Albertus ergo rex occulte descendens ad Hollandiam, disseminavit hujusmodi literas per universam provinciam :

« Noverint universi, quod Albertus invictus Romanorum rex vacantem Hollandie principatum Romano potenter incorporabit imperio, que Carolus Calvus rex Francorum et imperator Romanorum Theodorico primo comiti donavit in feudum. »

Igitur Albertus rex anno Domini M° CCC° descendit usque ad Noviomagium ad subjugandum comitatum Hollandie, adducens secum Maguntinensem, Coloniensem et Treverensem archiepiscopos cum plerisque primatibus regionis Allemanie. E contra vero Johannes comes armipotenter venit in Brunswerde, ubi metatis castris super ripam Wale, assidue cepit

[1] In aliis codd. habetur *cancellariam.*

[2] Scilicet anno 1299.

[3] In Miræi cod. legitur : *regnavit in Zelandia.*

investigare, qualiter ad expugnandum regis exercitum magis commode posset transire, sed ecce, rex, multitudinem vexillorum, pulchritudinem castrorum et fortitudinem armigerorum Hollandie exercitus a cacumine magne turris castri Noviomagensis procul intuens, et se delusum a Zelandis existimans, retrocessit ad Cranenborch, ut altera die repatriaret in Austriam. Archiepiscopus vero Coloniensis, pro regis honore conservando, pacem extunc elaborare studuit : qui tandem sub hac forma compositionis arbitrium suum edidit, quatenus ipse comes dicto regi prestaret fidelitatis homagium, quo facto primates extemplo reversi sunt ad propria.

Supradictus vero Johannes, quondam Hollandie comes, solus inter suos predecessores omnes sine liberis et sine militari nomine defunctus est : cui successit Johannes comes Hannonie predictus, tanquam ei proximior heres ex parte matris sue, domine Aleïdis, prelibati regis Wilhelmi sororis suprascripte, in cujus filium, scilicet Johannem comitem Hannonie, comitatus Hannonie et Hollandie sunt conjuncti. Huic Johanni successit in dictis Hannonie et Hollandie comitatibus Wilhelmus filius suus, qui ducens in uxorem Johannam filiam domini Caroli comitis de Valesio et sororem regis Philippi Francie, ex qua genuit Margaretam Romanam imperatricem, uxorem scilicet imperatoris Ludovici de Bavaria, Johannam Juliacencem comitissam, Philippam Anglie reginam, et Wilhelmum, succedentem sibi Hannonie et Zelandie comitem, qui duxerat in uxorem Johannam filiam Johannis tercii Brabancie ducis.

Quo quidem Wilhelmo per Frisones occiso et sine liberis mortuo, successerunt sibi successive Wilhelmus et Albertus, filii imperatricis Margarete, ejusdem quondam comitis Wilhelmi sororis antescripte. Supradictus vero Albertus fuit avus gratiosi domini mei Philippi, scilicet filius filie sue, quam Johannes, quondam dux Burgundie, duxerat in uxorem, qui ex ea genuit Philippum ducem modernum predictum, sub anno Domini M° CCCC° XLV° principantem.

Igitur rex Albertus Johannem filium fratris sui, ducem Allemanie sive Suevie, propter juvenilem ejus etatem apud se honeste detinuit, et quo adolesceret, provinciam illam prudencioribus gubernandam commisit : ubi Johannes, irritatus et malis consiliatoribus usus, dictum Albertum patruum suum, haud suspicantem, proch dolor! interfecit, anno Domini M° CCC° VIII°. Qui profugus et exul in Italia degens, tandem ibi captus per

Heinricum imperatorem, successorem Alberti, in civitate Pisana carceri mancipatus vitam finivit, cujus et omnes complices a filiis Alberti regis mala morte consumpti sunt, et omnia eis attinencia funditus eversa. Hic Albertus fuit honorifice sepultus in Austria in civitate Vienna.

De guerra inter ducem et oppidum Mechliniense. Cap. XLIX.

Supradictus vero Johannes secundus dux, suo tempore, propter inobedientiam et rebellionem burgensium et incolarum oppidi Mechliniensis, ante ipsum oppidum, cum communi patria Brabancie castra metando, obsidionem posuit. Qua durante obsidione nonnulli de exercitu marchionatus, credentes ex relatione quorumdam mendicantium, pro pace tractanda laborantium, quod treuge fuissent, et propterea sine armis incedebant, per Mechlinienses, qui ex oppido prosilientes in ipsos irruerunt, prostrati, capti et vulnerati, inter quos interierunt dominus Gerardus de Vorselaer, et dominus Godefridus de Lira, milites: et tandem ipsi Mechlinienses, in quodam conflictu navali prope Rupelmonde victi atque superati, se reddiderunt in manibus prefati ducis.

De privilegiis per Johannem Lotharingie, Brabancie et Lymburgie ducem et Johannem Berthout dominum oppido Mechliniensi concessis. Cap. L.

1301 Item est sciendum, quod memoratus dux Johannes et Johannes Berthout dominus Mechliniensis, per eorum patentes literas datas anno Domini M° CCC° I°, ipso die sancte Lucie, concesserunt et dederunt dicto oppido Mechliniensi nonnulla privilegia, jura, immunitates atque libertates, et inter cetera, quod fora piscium, salis et avene maneant in Mechlinia, et cujuslibet generis fluctus sine impedimento ipsorum et dominorum quorumlibet, salvo jure ipsorum, sine fraude et malo ingenio. Que quidem clausula de theutonico in latinum est translata, et, ut certius sententia sive sensus appareat, sequitur clausula in vulgari theutonico, prout in literis scriptis habetur, et est talis:

« Voert, dat die vischmerct, die soutmerct ende havermerct blyven te

Mechelen, ende alrehande vlot, ongelet van ons ende van allen heeren, behoudelyck onsen rechte sonder argelist. »

Deinde post nonnullas alias clausulas sequitur clausula talis :

« Voert, dat wy noch gheen heere daer onse poorteren van Mechelen onder gegoet syn, binnen onsen lande beden moghen noch hen, noch hore goet om geenre hande stucken, ende daeraff geloven wy se quyt te houden, dat is te verstane diegeenre die tot huertoe gheen bede gehouden en hebben, noch schuldich syn te gelden metten rechte. »

Cujus clausule translatio talis est, sub correctione : Et ultra, quod nos nec aliquis dominus sub quo nostri Mechlinienses sunt hereditati, sive bona tenent infra terram nostram, non poterimus neque poterit nec ipsos neque ipsorum bona pro qualicumque talliare, sive precarias ab ipsis exigere, et super hoc promittimus ipsos quitos observare : hoc est intelligendum illos, qui usque huc nullam precariam solverunt neque solvere tenentur de jure: prout et multa alia in dictis ipsorum literis reperiuntur contenta ipsorum sigillis communitis, quas eciam pro majori securitate sigillaverunt Heinricus comes Lucemburgensis [1], Godefridus de Brabancia, dominus de Aerschot et de Viersen, Arnoldus comes de Loen, de Chiny, Withelmus de Juliaco, prepositus Trajectensis, Godefridus comes de Viana, Walramus dominus de Valkenborch et de Monjoie, Johannes dominus de Kuyck, Arnoldus dominus de Waelhem, Gherardus dominus de Dyest, Gherardus dominus de Rotselaer, Arnoldus dominus de Wesemale, Heinricus dominus de Boutersem, dominus Johannes de Berlaer, Gherardus dominus de Wesemale, dominus de Bergis, dominus Egidius Berthout, Heinricus dominus de Duffele, et oppida Lovaniense, Bruxellense, Thenense, Nivellense, de Busco Ducis et Leeuwense.

Sed ista fora, quia sine consensu imperatoris fuerunt de Antwerpia translata, postea per Heinricum imperatorem Romanorum extiterunt revocata, et in Antwerpia reposita, ut infra clare patebit, ubi scribuntur gesta Heinrici imperatoris predicti de Lucemburgo vocati [2].

[1] In quibusdam codd. legitur : *comes Lymburgensis.* [2] Vide infra cap. LX, p. 481.

De guerra Francie et Flandrie atque de bello de Cortryck. Cap. LI.

1302. Preterea est sciendum, quod tempore Adolphi regis Romanorum suprascripti incepit vigere maxima guerra inter Philippum regem Francie et Eduwardum regem Anglie, et inter Francigenos et Flamingos, que duravit per annos XX vel circiter : unde rex Anglie aliquos principes ad resistendum regi Francie precio sibi conciliat, comitemque Flandrie, ut idem ipse sentiat, invitat. Sed quibusdam a fide deficientibus, comes Flandrie a rege Francie captivus abducitur, ac tota Flandria ejusdem dominio mancipatur: unde et procuratores regis Francie paulo insolencius agere, domos incursare, uxores et filias civium violare et multa tyrannice agere ceperunt. Quapropter Brugenses nimium irritati omnes Gallicos, paucis evadentibus, interfecerunt. Quo nuncio rex Francie accepto, omnem virtutem sui regni ad ulciscendas suas injurias in Flandriam remittit : quibus Flamingi apud oppidum dictum Cortryck occurrentes, plus quam sex millia ex ipsis occiderunt, et deinceps jugum Francie invito rege ex suo collo excusserunt. Hoc enim bellum accidit tempore Alberti Romanorum regis, anno M° CCC° II°, mensis julii die XI°, scilicet in die Translationis sancti Benedicti. In quo cecidit flos milicie ex Francia; interiit eciam in eodem bello dominus Godefridus de Brabancia, dominus de Aerschot et de Viersen, patruus dicti ducis Johannis, et dominus Johannes ejus filius, cum multis baronibus, militibus et militaribus ex Brabancia, ut supra in gestis Johannis primi ducis est descriptum [1].

De tribus mirabilibus que acciderunt tempore hujus Johannis ducis secundi. Cap. LII.

In hujus ducis Johannis tempore acciderunt tria mirabilia. Primum fuit, quod communitas in quolibet oppido insurrexit contra ducem et nobiles oppidorum, et ex parte communitatis instituebantur judices, scabini et ceteri rectores : quod duravit quoadusque idem dux Johannes commu-

[1] Vid. t. I, p. 569.

nitatem Bruxellensem in pratis Vilvordiensibus prostravit, in prima die maii. Secundum, quod post bellum de Cortryck venerunt aliqui populares, dicentes quod essent iidem domini, qui in dicto bello dicebantur interfecti fuisse : unus illorum dixit se esse dominum Johannem filium Godefridi de Brabancia prescripti, et propterea scutum ejus armorum, positum in ecclesia sancte Gudule Bruxellensi, fuit amotum; alter dixit, quod esset dominus Arnoldus de Crayenhem, et fuerunt pro talibus in Brabancia habiti, tenti et reputati. Quibus propter metum communitatis nemo audebat contradicere. Quos, eorum nequitia prius detecta, memoratus dux fecit postea capi, et in squalore carceris amara morte consumi. Tercium, quod quedam gens humilis status ex diversis terris congregata proficisci volebat ad redimendam Terram Sanctam, sine ductore, sine capitaneo, et quoscumque judeos apprehendere poterant, trucidabant. Quapropter prefatus dux judeis, qui sub sua protectione in Brabancia extra loca firmata degebant, castrum suum de Genapia ad ipsorum tutamen concessit, ante quod dicte gentes obsidionem posuerunt. Quas ipse dux, quia obsidionem solvere et de terra sua recedere recusaverant, debellavit, et plures ipsarum interfecit; relique fugientes, dominum papam, qui tunc cum sua curia Romana in Avinione residebat, adibant : qui ipsas repedare coegit.

De confederatione inter ducem et oppida Brabancie ex una, et oppidum Mechliniense partibus ex altera. Cap. LIII.

Item prelibati Johannis tempore, idem dux et oppida Brabancie ex una parte, et oppidum Mechliniense ex altera, inierunt certam confederationem, in qua, inter cetera, magistri communitatis, scabini, jurati et totum consilium Mechliniense, pro ipsis et ipsorum oppido predicto, et pro successoribus suis, promiserunt in bona fide, quod in expeditionibus generalibus ipsius ducis proficiscerentur, quemadmodum ipsi et ipsorum progenitores hactenus fecerunt, prout hoc et quedam alia in literis desuper confectis latius continentur.

De quadam donatione facta per ducem Fratribus Predicatoribus [1]. CAP. LIV.

1305 Anno M° CCC° V° (*Johannes II*) dedit quoque Predicatoribus Lovaniensibus predium quoddam, ut ex sequentibus literis patet :

« Johannes, Dei gratia dux Lotharingie, Brabancie et Lymburgie, universis presentes literas inspecturis salutem et omne bonum. Noveritis nos contulisse propter Deum Fratribus Predicatoribus de Lovanio planiciem jacentem juxta cemeterium Fratrum Predicatorum predictorum, ab angulo cemiterii prefati usque ad molendinum in longitudine, et a cemiterio usque ad aquam in latitudine, ad muniendam dictam planiciem pro ipsorum fratrum commodo, secundum quod eis videbitur expedire. In cujus rei testimonium hiis presentibus literis sigillum nostrum duximus apponendum. Datum Fure, in crastinum beati Dyonisii, anno Domini M° CCC° V°. »

Qualiter dux Brabancie est advocatus abbatie de Berna Premonstratensis ordinis. CAP. LV.

1306 « Universis, ad quos presentes literas contigerit pervenire, Gerardus Dei gratia abbas ecclesie beate Marie in Berna, ordinis Premonstratensis, Trajectensis dyocesis, totusque ejusdem loci conventus, salutem cum notitia veritatis. Cum quidam quondam ecclesie nostre abbaciam seu defensionem ipsius ecclesie nostre et omnium rerum seu possessionum nostrarum temporalium, ubicumque existentium, illustri et magnifico viro domino Heinrico quondam duci Brabancie, et suis successoribus ducibus Brabancie, in perpetuum a serenissimo imperatori Frederico, qui tunc Romano prefuit imperio, et a domino Wilhelmo comite Hollandie immediate successore et ibidem in regem electo, comitatum seriose, sic mera testatur veritas, impetravit [2]; nos abbas et conventus predicti illustrem et magnificum virum dominum Johannem Dei gratia nunc ducem Lotharingie, Brabancie

[1] Cfr. De Jonghe, *Belgium Dominican.* p. 150.

[2] In Miræi cod. legitur : *Comitatum seriose, sincera testatur veritas, impetravit.*

et Lymburgie ex potestate suis antecessoribus antiquitus commissa, advocatum et deffensorem nostri et nostre ecclesie, nostrarumque rerum mobilium, presentium et futurarum, ubicumque existentium, cognoscimus et testamur presentium testimonio literarum nostris sigillis sigillatarum. Datum anno Domini M° CCC° VI°, feria tercia post octavas Pasche. »

De abbatissa de Porceto et villa de Vilen. CAP. LVI.

« Universis presentes literas visuris et audituris Johannes, Dei gracia 1307.
Lotharingie, Brabancie et Lymburgie dux, salutem et rei geste cognoscere veritatem. Significaverunt nobis sepius humiliter conquerendo religiosa in Christo abbatissa et conventus de Porceto, Cisterciensis ordinis, Coloniensis dyocesis, quod ipse jam dudum in earum bonis et juribus ac rebus aliis, in territorio ville de Vilen ad eas juste et ab antiquo ibidem pertinentibus, per officiatos ducatus Lymburgensis existant plus debito et contra justiciam oppresse et quotidie opprimantur : super quibus dicta abbatissa et conventus a nobis sibi subveniri humiliter supplicarunt. Nos igitur, qui in voto gerimus, ut status debitus omnium subjectorum, et presertim religiosorum, permaneat illibatus, supplicationem dictarum abbatisse et conventus, modis quibus convenit, volentes rationabiliter solidare, super premissis et tangentibus, per nobiles viros dominum Johannem de Kuyck et Florentium Berthout, dominum de Berlair et alios nostros consiliarios juratos, necnon dominum Godefridum de Pomereeo, in terra Lymburgensi dapiferum, veritatem inquiri fecimus et jussimus diligenter; ex quorum inquisitione et relatione veridica dictas abbatissam et conventum, et omnia jura, que ipse antiquitus in dicta villa de Vilen et ejus territorio habuerunt et habere consueverunt, restituimus libere et solute, et esse volumus ad plenum restitutos : mandantes per presentes nostras literas nostris officiatis, presentibus et futuris dicti nostri ducatus Lymburgensis, ut ipsi predictas abbatissam et conventum omnibus bonis et juribus suis in dicto territorio prefate ville de Vilen et ejus attinentiis, per se et suos, prout ea ab antiquo habuerunt et exercere consueverunt, juxta formam privilegiorum, eisdem abbatisse et conventui ac eorum monasterio super hiis a Romanis imperatoribus et regibus indultorum, de cetero uti et perfrui permittant pacifice

et quiete. Et ut premissa perpetuam obtineant firmitatem, sigillum nostrum pro nobis et nostris successoribus quibuscumque jussimus apponi huic scripto in testimonium firmius super ipso. Datum anno Domini M° CCC° VII°. mense julio. »

Que quidem litera fuit confirmata per inclite memorie quondam Johannem hujus nominis ducem quartum, anno Domini M° CCCC° XVIII°, mensis maii die XXIIII^a, et fuit postea etiam confirmata per quondam ducem Philippum bone memorie, anno Domini M° CCCC° XXX°, mensis maii die XXIX^a [1].

Qualiter Heinricus comes Lucemburgensis eligitur in regem Romanorum, tempore Clementis pape. CAP. LVII.

1308. Anno Domini M° CCC° VIII°, post occisionem Alberti regis, in die beate Katherine virginis, electores imperii convenientes similiter in quadam villa prope Confluentiam, que Reynse nominatur, ducem Heinricum comitem Lucemburgensem in regem Romanorum concorditer elegerunt, et dehinc in Franckenvorde procedentes eum publice in regem nominarunt. Qui in festo Epyphanie Domini immediate sequentis apud Aquisgranum per Heinricum archiepiscopum Coloniensem unctus fuit in regem et coronatus, scilicet anno Domini M° CCC° IX°.

Heinricus rex confirmat Johanni duci Lotharingie, Brabancie et Lymburgie privilegium Philippi secundi regis Romanorum, suis literis incorporatum [2]. CAP. LVIII.

1309. « Heinricus, Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, universis sacri imperii Romani fidelibus, ad quos presentes litere pervenerint, tam presentibus quam futuris, graciam suam et omne bonum. Dive memorie Philippus secundus, Romanorum rex semper Augustus, illustri principi Heinrico quondam Lotharingie et Brabancie duci et suis successoribus

[1] Vide supra p. 468.

[2] Vid. Butkens, t. I, *Preuv.* p. 140.

concessionem, donationem et infeudationem fecit, prout in literis super hoc confectis expressius continetur: quas literas et confirmationes earum a predecessoribus nostris, imperatoribus et regibus Romanis, concessas tenuimus, vidimus et audivimus, et easdem per honorificum virum Everhardum Cantorem, ecclesie Moguntinensis cancellarium, et magistrum Symonem de Marvilla, clericos nostros, inspici et examinari et de eis cognosci fecimus diligenter, quarum tenor est talis :

» In nomine sancte et individue Trinitatis. Philippus secundus, divina favente clementia Romanorum rex semper Augustus. Regalis excellentie provida circumspectio nobilium pariter et magnorum principum devotionem et preclara consuevit pensare obsequia, et circa eorum augmentum et honoris promotionem cum omni affectu, etc. » (ut supra habetur in gestis Philippi predicti).

» Quia igitur Romani principis decet clemenciam, ea que a suis predecessoribus, Romanis imperatoribus et regibus, fidelibus regni principibus ob eorum merita generose concessa sunt, non minuere, sed augere, considerantes illustris principis nostri Johannis Lotharingie, Brabancie et Lymburgie ducis placida, fructuosa et grata servicia, que progenitores sui impenderunt imperio, et ipse impendere potest et poterit in futurum, dictas literas predecessoribus dicti ducis et sibi concessas, et omnia et singula contenta in ipsis literis, approbamus et auctoritate regalis culminis confirmamus. Datum Colonie, XV° kalendas februarii, indictione VII°, anno Domini M° CCC° IX°, regni vero nostri anno primo. »

De confirmatione Heinrici regis in regem Romanorum. Cap. LIX.

Eodem anno M° CCC° IX°, circa finem mensis junii, applicuerunt solemnes 1309. ambasiatores dicti Heinrici Romanorum regis ad Clementem papam VI[um], petentes electionis ipsius approbationem et coronationem ab ipso papa dari, quam approbavit, et promisit coronam imperii, tempus ei assignans, scilicet a festo Purificationis nunc proxime venture ad duos annos, quod iret Romam ad ipsum coronandum, vel papa mitteret cardinales qui ipsum coronarent.

Heinricus rex Romanorum revocat translationem fori salis et piscium de Antwerpia ad Mechliniam factam, quod forum oppido Antwerpiensi restituit, et dicto duci contulit ab ipso et imperio tenendum in feudum, prout patet ex tenore litere sequentis. Cap. LX [1].

1309. « Heinricus, Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, illustri Johanni duci Brabancie, fratri et principi suo karissimo, gratiam suam et omne bonum. Nuper ad nostre celsitudinis pervenit audienciam, quod per te, seu progenitores et antecessores tuos, forum salis et piscium, quod in Antwerpia fore consuevit, et a nobis et nostris predecessoribus nostris et imperio tenebatur et tenetur in feudum, irrequisitis et inconsultis predecessoribus nostris, divis imperatoribus vel regibus, qui pro tempore fuerunt, et sine consensu eorumdem, titulo donationis et venditionis alienatum, a predicto oppido ad oppidum Mechliniense transpositum et improvide translatum [2], non considerato provide nec previso, quod vassallus, qui feudum domino inconsulto et sine consensu ejusdem alienat, feudum perdit, et dominus a quocumque possessore hujusmodi feudum poterit vindicare. Affectantes igitur, prout ex assumpti regiminis tenemur debito, alienata jura imperio recuperare, et diminuta seu distracta ad statum debitum regali sollicitudine reducere, alienationem, transpositionem seu translationem fori prenotati minus provide factas revocamus, irritamus, ipsumque forum dicto oppido Antwerpiensi in integrum restituimus, et auctoritate regia de novo sibi conferimus in feudum tenendum a nobis et imperio, prout teneri consuevit, priusquam ab eodem oppido alienatum extiterat et translatum. Quocirca sinceritati tue mandamus et injungimus seriose, quatenus hujusmodi forum oppido Antwerpiensi per nos restitutum resumi facias, ut mandamus, nullasque res de ipso oppido ad oppidum Mechliniense occasione dictarum alienationis seu translationis in prejudicium feudi nostri et imperii transire de cetero patiaris. Ut autem premissa deinceps firma permaneant, et inviolabiliter observentur, presentem paginam super eo conscribi et nostre majestatis sigillo jussimus communiri. Datum in Columbaria [3],

[1] Cfr. Butkens, t. I, *Preuv.* p. 142.

[2] Vid. supra p. 476.

[3] *Colmar.*

III° kalendas novembris anno Domini M° CCC° IX°, regni vero nostri anno primo. »

Quas quidem literas Karolus quartus tunc Romanorum rex per suas literas in eisdem incorporatas approbavit et ratificavit, et ex certa sciencia confirmavit, prout in dictis literis suis luculencius continetur, que fuerunt date Aquisgrani, anno Domini M° CCC° XLIX°, VIII° kalendas augusti, regnorum suorum Romanorum anno quarto, Bohemie vero tercio.

Rex Heinricus mandat oppidanis Antwerpiensibus quod resumant forum salis et piscium ipsis restitutum, ut patet in literis suis, quarum tenor sequitur in hec verba [1]. Cap. LXI.

« Heinricus, Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, prudentibus 1309
viris oppidanis Antwerpiensibus, necnon universis imperii fidelibus, ad quos presentes litere pervenerint, gratiam suam et omne bonum. Nuper ad nostre celsitudinis pervenit audientiam, quod per illustrem Johannem ducem Brabancie, seu progenitores vel antecessores suos, forum salis et piscium, quod in Antwerpia fore consuevit, et a nobis et nostris predecessoribus et imperio tenebatur et tenetur in feudum, irrequisitis et inconsultis predecessoribus nostris, divis imperatoribus vel regibus, qui pro tempore fuerunt, et sine consensu eorumdem titulo donationis et venditionis alienatum, et de predicto oppido ad oppidum Mechliniense transpositum est et improvide translatum, non considerato provide nec previso, quod vasallus, qui feudum domino inconsulto et sine consensu ejusdem alienat, feudum perdit, et dominus a quocumque possessore vindicare potest. Affectantes igitur, prout ex assumpti regiminis tenemur debito, alienata jura imperii recuperare, et diminuta seu distracta ad statum debitum regali sollicitudine reducere, alienationem, transpositionem seu translationem fori prenotati minus provide factas revocamus et irritamus, ipsumque forum dicto oppido Antwerpiensi in integrum restituimus, auctoritate regia, tenendum a nobis et imperio in feudum per eundem Johannem ducem Brabancie, principem et fratrem nostrum karissimum, sicut tenere consuevit, prius-

[1] Cfr. Butkens, t. I, *Preuv.* p. 141.

quam ab eodem oppido alienatum extiterat et translatum. Quocirca vobis oppidanis mandamus et injungimus seriose, quatenus hujusmodi forum ab oppido vestro ad oppidum Mechliniense occasione dictarum alienationis seu translationis in prejudicium feudi nostri et imperii transire de cetero non permittatis. Ut autem premissa deinceps firma permaneant, et inviolabiliter observentur, presentem paginam super eo conscribi et nostre majestatis sigillo jussimus communiri. Datum in Columbarum [1], IV° kalendus novembris, anno Domini M° CCC° IX°, regni vero nostri anno primo. »

Qualiter Johannes filius regis Heinrici duxit in uxorem filiam regis Bohemie, et qualiter ipse Heinricus rex fuit coronatus in Mediolano. CAP. LXII.

1310. Anno Domini M° CCC° X° Johannes filius Heinrici regis Romanorum accepit in uxorem Elisabeth, filiam regis Wenceslai regis Bohemie, que heres regni erat, unde per hoc rex Bohemie effectus est.

Eodem anno M° CCC° X°, in autumpno, idem rex Heinricus Romanorum intravit Italiam, jura imperii sui percepturus, et primo venit Taurinium, deinde ad civitatem Astensem, postea Vercellis et Mediolanum, ibique in Epiphania Domini sequenti, scilicet anno M° CCC° XI°, in ecclesia sancti Ambrosii Mediolanensis, per archiepiscopum Mediolanensem corona ferrea est coronatus, quam tamen debuisset accipere in Mediocia [2] ex more antiquo, sed ex causa fecit in Mediolano, fecitque in die coronationis sue ducentos milites de diversis nationibus. Postea requisivit civitates Lombardie de homagio sibi prestando. Cremonenses et Laudunenses principio restiterunt, sed paulo post obedierunt. Brixienses vero quantum potuerunt restiterunt. Rex vero exercitum parat, ante Brixiam venit, et ibi per magnum tempus eam obsessam tenuit; fuitque ibidem interfectus, ante portam Brixiensem, dominus Walramus, germanus regis. Dominus vero Theobaldus, qui per regem cum suis fuerat in civitate repositus et statim fecit partem contra eum per gentes ipsius regis, captus fuit, et in quatuor par-

[1] Seu *in Columbaria*.

[2] Lege *in Modicia* (Monza). Cfr. *Magnum Chr. belg.* apud Pistorium, t. III, p. 312.

tes divisus: sic finivit dies suos. Finaliter autem Brixienses resistere non valentes se reddiderunt, et portis civitatis dirutis rex per muros civitatis intravit.

Per idem tempus vel circa cives Leodienses, armati contra prepositum Leodiensem et communitatem civitatis Leodiensis, prepositum predictum et unum canonicum et multos de communitate in ore gladii interfecerunt. et tandem communitas prevaluit, ipsos cives in ecclesiam beati Martini cum centum et viginti civibus vel circiter in monte retrusit, et ibidem igne combussit, et reliquos cives communitas minus suppeditavit.

Qualiter Heinricus rex coronatur in imperatorem. CAP. LXIII.

Anno Domini M°CCC°XII° Heinricus Romanorum rex, die sabbati, sexta mensis maii, intravit urbem Romanam, et, cum per portam Sancti Petri intrare non posset, resistentibus sibi illis de Ursinis et domino Johanne fratre regis Roberti regis Sicilie, qui caput se pro ipso rege faciebat, intravit per portam Molarum, et Colummenses conduxerunt eum usque ad Lateranum. Qui per paucos dies remanens rediit apud milicias, ibique stetit. et gentes sue tunc multa habuerunt facere cum Romanis, ita quod ex utraque parte multi fuerunt mortui, inter quos, in die beati Urbani, scilicet XXV[a] maii, fuerunt mortui abbas Wissemburgensis et dominus Thomas de Sabaudia, ac pie memorie dominus Theobaldus de Barro, episcopus Leodiensis, fuit captus, et post lethaliter vulneratus, qui portatus in castro Sancti Angeli statim expiravit. Qui quidem Heinricus statim cito post, scilicet in dominica die post festum apostolorum Petri et Pauli, per fratrem Nicolaum episcopum Ostiensem, et quosdam alios cardinales missos ad hoc per papam, in ecclesia Lateranensi in imperatorem est coronatus. et post coronationem suam ivit ad Sanctam Sabinam, et ibi cum sua curia comedit; deinde in castro miliciarum rediit, et post aliquot dies transtulit se Tiburtinum, ibique stetit usque in finem septembris. 1312

De nonnullis immunitatibus, libertatibus et exemptionibus, abbatibus, abbatissis et aliis religiosis Brabancie concessis. Cap. LXIV.

1312 Memoratus dux Johannes secundus, per suas certi tenoris literas, et ob causas et rationes in eisdem declaratas, datas anno Domini M° CCC° XII°, feria tercia post festum beati Remigii episcopi, cupiens summopere preteritam suam vitam lugubrem, gratia suffragante Altissimi, in melius commutare, abbates, abbatissas, priores, priorissas, prepositos et religiosos, et regulares quoscumque alios terre sue in generali, et eorum quoslibet in speciali, eorumque bona et loca ubicumque in districtu suo consistentia, deinceps in perpetuum ab omni tallia, exactione, subventione et inconsuetis serviciis, diligenti deliberatione prehabita, pro se et suis heredibus et successoribus quibuscumque, ob remedium anime sue animarumque heredum et successorum suorum, absolvit et quitavit, illis duntaxat exceptis que de jure possunt exigi et levari; receptionem quoque et nutritionem porcorum suorum in locis dictorum religiosorum et grangiis, et deductionem seu subventionem lignorum suorum combustibilium ad quevis loca sua et hospitia, que inconsueta servicia reputavit, illis religiosis pro se et suis successoribus perpetuo jure remisit, propter Deum, ut eo fervencius et devocius pro ipso et suis heredibus, ac pro bono et salubri statu totius Brabancie intercedere et famulari possint Altissimo, quo de gravaminibus, molestiis et incursionibus fuerint melius custoditi. Quos quidem religiosos et eorum bona sub sua protectione perpetua suscepit et tutela, promittens, fide media et juramento prestito corporali, tactis sacrosanctis evangeliis, pro se suisque heredibus et successoribus, quod contra premissa vel eorum aliquid non veniret, per se aut per alios quoscumque, seu venire conaretur in futurum, nec artem, ingenium, consilium, favorem vel auxilium quereret vel prestaret, queri vel prestari sustineret, per que infringi posset in posterum aliquid premissorum, prout in eisdem literis plenius continetur. Quas quidem literas fecit renovari quondam Johannes hujus nominis dux tercius, ejus filius, omnesque alias literas a predecessoribus suis dictis religiosis et singulis ipsorum collatas, super quibuscumque libertatibus vel juribus eorum laudavit, approbavit et confirmavit. Et preter illas certas

alias libertates, literas et privilegia, de corvediis, gistis canum[1] et aliis immunitatibus et conventionibus mentionem facientes, per suas alias certi tenoris literas, datas Bruxelle anno Domini M° CCC° XXVIII°, die lune ante festum beati Johannis Baptiste, in quibus predicte litere Johannis secundi patris sui incorporate fuerunt, prelibatis religiosis duxit generose concedendas, prout in fine quinti libri patebit, ubi tenores predictarum literarum sunt inserti.

De morte et sepultura dicti Johannis hujus nominis ducis secundi. Cap. LXV.

Sepefatus vero dux Johannes secundus, qui ex inclyta domina Margareta 1312. filia Eduwardi regis Anglorum genuerat Johannem hujus nominis ducem tercium, postquam laudabiliter rexerat annis XVIII, ab hac luce migravit in aula sua Furensi, quam predicta domina ducissa construxerat, anno Domini M° CCC° XII°, et est sepultus in choro ecclesie sancte Gudile Bruxellensis.

De Heinrico imperatore VII°, et aliquibus ejus gestis. Cap. LXVI.

Denuo vero memoratus Heinricus rediit Romam, et reversus est versus Tusciam, et venit ante Florenciam, et processit[2] prope Florenciam per dimidium milliare, per sex septimanas et ultra; postea venit Pisis, et ibi stetit per totam hyemem, et ibi tres leges condidit: processitque ibidem contra Robertum regem Sicilie, cui imposuit crimen lese majestatis, scilicet quod ipse conspiraverat, quod certe civitates imperii contra eum rebellabant, et plura alia sibi imposuit : unde declaravit ipsum esse privatum omni honore atque dignitate, eumque capitali sententia condemnavit. Quam quidem sententiam Clemens papa quintus post mortem ipsius Heinrici declaravit fuisse nullam, irritam et inanem, ut habetur in capitulo *Past. de re judi-*

[1] Per *Gistum canum et venatorum* intelligitur jus illud quo gaudebant duces Brabantiae, et in quibusdam monasteriis per certum dierum numerum cum toto suo venatico comitatu hospitabantur. Cfr. Raepsaet, *OEuvres*, t. V, p. 51 et suiv.

[2] In MS. Miræi, *possedit*.

cat. Et quoniam idem imperator per nonnullos cardinales, sub fidelitatis juramento dicto domino pape prestito, de pace tractanda inter ipsum et regem Robertum predictum fuit requisitus, negavit eciam fecisse, taleque juramentum prestitisse; eciam dixit se non fore cuiquam ad juramentum fidelitatis alicujus obligatum, et quod ipse nesciebat, quod antecessores sui Romanorum imperatores unquam juramentum hujusmodi prestitissent. Et ut omnibus innotescat juramentum per dictum Heinricum tunc regem prestitum, idcirco tenorem ipsius hic inserere curavi, qui talis est :

« Ego Heinricus rex Romanorum, annuente Domino futurus imperator, promitto, spondeo et polliceor atque juro, coram Deo et beato Petro, me de cetero protectorem et defensorem fore summi pontificis et hujus sancte Romane ecclesie in omnibus necessitatibus et utilitatibus suis, custodiendo conservandoque possessiones et honores et jura ejus, quantum divino fultus adjutorio suo, secundum scire et posse, recta et pura fide : sic Deus me adjuvet et hec sancta Dei evangelia. »

Quapropter predictus Clemens papa V^us^, ne quis in Romanum assumptum imperatorem seu principem, vel in posterum assumendum, ante juramenta per dictum Heinricum imperatorem prestita, et per successores ejus in posterum prestanda, fideliter existant, in dubitationem deducere audeat, vel super eos contrarium astruere veritati, auctoritate apostolica, de fratrum suorum sancte Romane ecclesie cardinalium consilio, declaravit illa juramenta fidelitatis existere et censeri debere, ut latius habetur in Clementina *Rom. de jurejurando;* que quidem Clementina post obitum dicti Heinrici fuit eciam edita.

De Johanne hujus nominis tercio duce, et ejus matrimonio, filiis et filiabus suis. Cap. LXVII.

Mortuo vero supradicto quondam Johanne hujus nominis duce secundo, successit ipsi Johannes tercius, filius suus unigenitus, annorum existens XII, quem pater suus, ut prefertur, genuerat ex preclara domina Margareta filia Eduwardi regis Anglie.

Huic siquidem Johanni tercio, patre suo adhuc vivente, fuit matrimonialiter copulata Maria, filia incliti domini Ludovici comitis Ebroïcensis, quem

quondam Philippus rex Francorum, qui in Arragonia decessit, genuerat ex illustri Maria, filia Heinrici hujus nominis Brabancie ducis tercii, sororeque Johannis hujus nominis primi ducis Brabancie et Lymburgie, cum quibus summus pontifex super impedimento consanguinitatis, puta in gradu tercio constitutis, tunc dispensavit.

Hic itaque Johannes dux tercius ex dicta domina Maria conthorali sua genuit tres filios: scilicet Heinricum, quem pater constituit ducem Lymburgensem, et Johannem atque Godefridum: et tres filias: scilicet Johannam, Margaretam, et Mariam. Quorum primogenitus filiorum predictorum, scilicet Heinricus, duxit filiam Johannis primogeniti regis Francie, postea regis: secundogenitus, scilicet Johannes, duxit unam filiarum regis Philippi: Godefridus terciogenitus duxit filiam ducis Borbonie. Sed vivente patre predicti tres filii obierunt, nulla prole relicta: Johanna vero, que senior fuit, vivente patre duxit primo Wilhelmum comitem Hannonie, Hollandie et Zelandie, qui per Frisones fuit occisus, nulla relicta prole: post cujus obitum eadem Johanna, duce Johanne tercio ejus patre adhuc vivente, duxit in conjugem Wenceslaum ducem Lucemburgensem, filium Johannis regis Bohemie et fratrem Karoli IV[i] imperatoris, postea ducem Brabancie et Lymburgie. Qui quidem Wenceslaus, postquam rexerat annis XXVIII, anno Domini M° CCC° LXXXIV° obiit, et est sepultus in ecclesia abbatie Auree Vallis in ducatu Lucemburgensi. Secunda vero filia, scilicet Margareta nomine, duxit Ludovicum[1] comitem Flandrie, qui ex eadem Margareta genuit unam filiam Margaretam nomine, ex qua Philippus quondam Francorum regis filius, dux Burgundie, etc. genuit Johannem, postea ducem Burgundie, et fratres ejus, scilicet Anthonium et Philippum. Johannes vero dux Burgundie genuit inclytum Philippum Burgundie, Brabancie et Lymburgie ducem modernum. Tercia vero filia, Maria nomine, duxit Reynaldum ducem Gelrie. Et hiis tribus filiabus adhuc viventibus decessit predictus Johannes dux tercius, anno Domini M° CCC° LV°, in profesto sancti Nicolai: qui rexit annis XLIII, et est sepultus in ecclesia abbacie Villariensis: cui successit in ducatibus Lotharingie, Brabancie et Lymburgie, sacrique imperii marchionatu Johanna, senior filia ducis Johannis tercii suprascripti, prout de singulis, Deo dante, suis in locis clarius patebit.

[1] *Ludovicum Malanum.*

De morte Heinrici imperatoris. Cap. LXVIII.

1313. Demum imperator Heinricus, nihil actum credens, cum quid restaret agendum, in anteriora prospiciens, et eorum, que retro sunt, obliviscens, a tempore Frederici Vi imperatoris secundi neglecta et a regno alienata recuperare cupiens, quocumque autem se vertebat, victoria pocius eum, ut ita dicatur, precedebat quam sequebatur; et sic emuli, et signanter Robertus rex Sicilie et complices sui, eidem Heinrico imperatori invidentes, ejus incrementum suum existimantes decrementum, in mortem ejus machinabantur, ut infra patebit, animo et intentione suum propositum antedictum feliciter consequendum.

Anno Domini M° CCC° XIII°, facta pace cum Romanis in mense junio, de civitate Pisana recessit, ut iret Romam, et communiter dicebatur, quod vellet ire Neapolim, et veniens in quandam villam de comitatu Siennensi, que Bonus Conventus vulgariter nuncupatur, ibidem per aliquos dies remansit, ibique in die Assumptionis beate Marie, cum eucharistiam sumpsisset, dicitur fuisse impotionatus seu venenatus a confessore suo fratre Bernardo, ordinis Predicatorum, ad procurationem, ut ferebatur, supradicti regis Roberti et principis Tarentini. Qui in die beati Bartholomei expiravit, regni sui Romanorum anno VI°, imperii vero II°; cujus corpus deportatum fuit Pisis, et honorifice sepulture traditum, ibique tantus luctus fertur ab hominibus communiter extitisse, quod nunquam auditum est, quod in aliqua civitate tantus fuerit, ymmo plus, quia omnes communiter ejus quasi suam mortem propriam deflere videbantur.

Anno milleno tricenteno duodeno
Uno non pleno, privatus luce veneno
Heinricus dictus, nullo certamine victus,
De Lutzemburch natus, nullo vicio violatus.
Cesar erat magnus, mortem subiens velut agnus.
O quantum flenda res, o quantumque dolenda,
Huic quod sereno mors est illata veneno!
Verax sermone, prudens et par Salomone.

Quare autem hec divina clemencia fieri permiserat, discerni non potest nec presumitur, quia judicia Dei abyssus multa. Et quomodo humana

temeritas audeat reprehendere, quod minime valet comprehendere, nisi, ut scriptum est, raptus est, ne malicia mutaret intellectum ipsius, et quod propterea properaverat Deus educere eum de medio iniquitatis.

Quia mercatores Brabancie, propter debita que predecessores ipsius ducis contraxerant, ubique locorum arrestabantur, idcirco ipse dux commisit regimen suum prelatis et bonis oppidis Brabancie, ut ipsum ab hujusmodi debitis relevarent. Cap. LXIX.

Hujus siquidem Johannis hujus nominis ducis tercii, ducatuum suorum anno primo, mercatores Brabancie, propter debita que pater avusque ipsius contraxerant extra patriam Brabancie, ubique locorum cum eorum mercimoniis atque rebus arrestabantur, quod fere per annum integrum duravit. Quare iidem mercatores dicto duci et ejus nobilibus et consiliariis, pro remedio opportuno desuper consequendo vicibus diversis supplicarunt humiliter: et, quia dicti nobiles et consiliarii dictorum mercatorum indempnitatibus minime providere curarunt, prelati et gubernatores oppidorum predictorum terre Brabancie tantum fecerunt apud dominum ducem, quod ipse suos consiliarios ab eorum officiis et administrationibus exonerans, de consilio et assensu prelibati Ludovici comitis Ebroïcensis, regimen et administrationem omnium terrarum et dominiorum suorum, atque redituum et proventuum eorundem, dictis prelatis et bonis oppidis duxit committendum, ut ipsum de dictis debitis relevarent, de ejusdem ducis bonis et reditibus, salvo quod hereditatem ipsius non venderent aut alienarent, promittens dictis prelatis et oppidis quod ipsos indempnes relevaret de omnibus et singulis, que de suis exponerent, ultra bona eidem duci appertinencia: prout hec et quedam alia in memorati ducis literis, ejus sigillo sigillisque dicti domini Ludovici Ebroïcensis comitis, domini Gerardi comitis Juliacensis, domini Arnoldi comitis Lossensis, domini Reynaldi, domini de Valkenborch ac de Monjoye, domini Florentii Berthout, domini Mechliniensis, domini Gerardi, domini Dyestensis, castellani Antwerpiensis, domini Arnoldi, domini de Wesemale, marescalli Brabancie, et domini Philippi, domini de Liedekerke et de Breda, sigillatis, plenius continetur.

In quibus quidem literis ipse dux eciam confirmavit dictis prelatis et oppidis omnia privilegia per suos antecessores duces Brabancie eisdem prelatis et oppidis et predecessoribus eorum concessa. Concessit insuper dicte patrie sue Brabancie nonnulla privilegia. et inter cetera quod in Brabancia nulla deberet cudi moneta. nisi infra libera oppida et de consilio bonorum oppidorum et patrie. prout in eisdem literis plenius continetur et habetur. que fuerunt date atque facte anno Domini M° CCC° XIV°. die veneris post octavam sanctorum Petri et Pauli apostolorum. quarum tenorem causa brevitatis hic inserere omitto.

De Ludovico Bavarie et Frederico Austrie ducibus in discordia in reges Romanorum electis. Cap. LXX.

1314. Anno Domini M° CCC° XIIII° principes Germanie. post mortem Heinrici imperatoris. in electione regis discordabant. Heinricus archiepiscopus Coloniensis et Rudolphus comes Palatinus elegerunt Fredericum illustrem ducem Austrie. filium regis Adelberti [1]. qui ab Heinrico Coloniensi archiepiscopo Bonne in regem est consecratus. quia impediebatur per Gerardum comitem Juliacensem. quod in urbem Aquensem venire non poterat: ac Petrus Maguntinus et Balduinus Trevirensis archiepiscopi. frater Heinrici imperatoris. et Johannes rex Bohemie. filius Heinrici imperatoris. Ludovicum. insignem ducem Bavarie, nepotem quondam regis Rudolphi ex filia. concordantes in regem elegerunt. Interea. cum fautores electorum rapinis et incendiis. quecunque adversarum partium erant. pro posse ubique devastarent. Fredericus tandem contra Ludovicum cum magno exercitu venit. cui nihilominus Ludovicus obviam cum plurima sequela armatorum concurrit. Pugna itaque commissa. Fredericus a Ludovico capitur et in vincula conjicitur. et multi captivi ibidem abstrahuntur. Contigit autem inter predictos quoddam mirabile, simile non auditum: Fredericus enim post annum pecunia obsidibus castelli minime mediantibus captivitate absolvitur. et. ut fidelitatem tantummodo Ludovico promittat. invitatur. Quam

[1] Seu *Alberti.*

pollicitationem Fredericus ex tunc usque nunc efficaciter exequitur, et sunt facti amici, quasi fratres germani.

Anno Domini M° CCC° XIIII°, in die beate Katharine virginis, Lodovicus 1314
dux Bavarie concorditer per principes Aquisgrani coronatur, regnavit vero XCIIII° loco ab Augusto, annis triginta et tribus vel circa. Hic Ludovicus misit suos solempnes nuntios ad Johannem papam XXII^{um}, petentes electionis sue approbationem; quam quia approbare recusavit, fiebat suus inimicus, et eum, ne Romam tenderet seu intraret, impedivit, et propter hanc causam schisma procuravit, asserens ipsum hereticum et in duodecim articulis fidei errare, et sic papatu indignum, instituens contra ipsum in papam quendam fratrem Petrum de Corboria [1], ordinis Fratrum Minorum, quem defensavit per longa tempora.

Hic Ludovicus fuit potens et magnus, faciens se per clerum et populum in ecclesia sancti Petri urbis Rome in imperatorem coronari, anno Domini M° CCC° XXIX° [2], mensis januarii die XVII^{a}: imperavit annis XXXIII vel circiter. Hic habuit duos filios, scilicet duces Wilhelmum et Albertum, qui successive fuerunt duces in Bavaria et comites Hannonie, Hollandie et Zelandie et domini Frisie. Hic Ludovicus, antequam veniret ad urbem Romanam, fuit coronatus in Mediolano [3] per archiepiscopum Mediolanensem, ubi sibi fuerunt oblata et collata dona infrascripta. Imprimis Kanis de Berna obtulit cingulum 30000 florenorum, item coronam 15000 florenorum, item XXV dextrarios, item septem palefredos, item septem cursarios coopertos armis regalibus. Dominus Galeardus [4] obtulit expensas trium dierum coronationis, et dedit 30000 florenos. Dominus Passarinus de Mantua dedit XXIIII scutellas et VI patellas; magnum peltum et parvum de auro purissimo, et 20000 florenos. Civitas Pergami 1200 scutellas argenteas, et cum hoc 3000 florenos. Civitas Cumensis dedit 40000 florenos, etc.

[1] Alias *Corbara*.

[2] Lege 1328.

[3] Anno 1327 die 31 maii.

[4] Alias *Gerardus*.

De tribus plagis que evenerunt tempore Johannis juvenis suprascripti.
CAP. LXXI.

1315. Deinde vero, anno ducatuum ejusdem ducis III°, videlicet anno Domini M° CCC° XV°, apparuit cometa protendens inter septentrionem et occidentem, et evenerunt tunc tres plage permaxime : quarum prima fuit pluvia, que incepit in mense maio, et continue perduravit per unum annum vel circa [1]. Secunda plaga fuit maxima caristia, non solum in pane et bladis [2], sed etiam in omnibus victualibus, quibus humane creature sustentari debent. Que quidem caristia fuit adeo magna, quod multi homines fame perierunt, et quod fertellum siliginis vendebatur in Antwerpia LX grossis veteribus Turonensibus. Tercia vero plaga fuit mortalitas sive pestilentia permaxima, et, ut fertur, plus quam tercia pars hominum in hoc climate moriebatur.

De guerra inter ducem et dominum de Valkenburch, et de captione oppidi Sittart et de Herle. CAP. LXXII.

1318. Postmodum autem, orta guerrarum convocatione inter Gerardum comitem Juliacensem ex una, et Reynaldum dominum de Valkenborch et de Montjoye partibus ex altera, tandem Deus permisit eundem dominum Reynaldum a dicto comite Juliacensi capi, et in castro suo de Nydegge vinculis carceralibus mancipari : ex quibus tandem magne quantitatis pecuniarum summa se redemit. Et, ut hujusmodi summam commodius solvere posset, subditos et incolas dominii sui de Valkenborch, bonaque et possessiones tenentium in eodem talliare et exactionare presumpsit, inter quos bona burgensium oppidi Trajectensis supra Mosam de facto exactionare non formidabat. Quod ipsi burgenses, qui possessiones et hereditates suas in dicto dominio hactenus ab omni exactione et tallia liberas et exemptas semper tenuerant, dicto domino duci exponi fecerunt, cum querela, petentes humiliter se in eorum libertatibus atque ab istis injustis novitatibus indempnes

[1] Ex imbribus continuis dira processit aquarum illuvies, quae passim agros, pecudes et homines oppressit.

[2] *Bladum* (blé) appellatur quodvis triticum, etsi differret a frumento.

manuteneri et deffendi. Et, quia ipse dominus de Valkenborch, licet sufficienter monitus et requisitus, ab insolentiis desistere non curabat, sed de die in diem magis atque magis multimodas injurias et gravamina dicto duci et hominibus suis de Trajecto inferre conabatur, quapropter ipse dux, hoc egre ferens, ad obviandum injuriis et gravaminibus hujusmodi, terram ipsius dominii de Valkenborch, per oppidum suum Trajectense iter faciens, cum exercitu copioso manu armata intravit, qua igne, rapina, gladio devastata atque depopulata, oppidum ejus de Sittart, melius inquam quod habuit, hostiliter obsedit, in die beati Petri ad vincula, que fuit prima mensis augusti anno Domini M° CCC° XVIII°, ipsumque per obsidionem et devictionem acquisivit, in die sancti Laurentii ex tunc immediate sequenti, in quo, preter ipsius incolas, fuerunt plus quam trecenti armigeri ad guerras doctissimi, inter quos fuerunt capitanei comes de Vernenborch, dominus de Thonenborch et advocatus Coloniensis, quos dominus dux, salvis eorum corporibus et rebus, liberos abire permisit, quos tamen populares trucidassent, si dux ipsos propria in persona non salvasset, et extra manus ipsorum popularium conduxisset. Quod percipientes habitatores et armigeri in Heerle constituti, ferocitatem Brabantinorum sub spe venie prevenire cupientes, in manibus ducis se et oppidum de Heerle, salvis ipsorum vita atque rebus, reddiderunt. Quibus in die sancti Laurentii, anno Domini M° CCC° XVIII°, sic peractis, dictisque de Sittart et de Heerle oppidis, sicut premittitur, captis, dux cum exercitu ad terram suam Brabancie remeavit.

Eodem tempore fuit castrum de Haren, prope dictum oppidum Trajectense constitutum, ex quo eidem oppido maxima dampna fuerunt illata, per episcopum et incolas patrie Leodiensis captum et demolitum.

Eodem anno Domini M° CCC° XVIII° viguit mortalitas inter vaccas adeo magna, quod de decem vix una permansit. Eapropter tunc temporis populus nullas carnes bovinas, et specialiter carnes vaccinas, audebat comedere aut manducare.

Supradicto vero domino duce ad partes suas Brabancie reverso, promisit hominibus suis terrarum Brabancie et Lymburgis, quod predictum oppidum de Sittart, sicut per obsidionem ipsum fuit adeptus, in perpetuum obtineret, a suis heredibus obtineri permisit atque possideri, ipsumque ex tunc ducatui suo Lymburgensi duxit adjungendum, prout hec in literis

patentibus desuper confectis plenius continentur, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis [1].

De oppido Sittart. Cap. LXXIII.

1318. « Universis presentes literas inspecturis, Johannes Dei gratia dux Lotharingie, Brabancie et Lymburgis salutem cum notitia veritatis. Cum nos, ob diversas injurias et gravamina nobis et nostris hominibus a nobili viro domino Reynaldo de Valkenborch et suis hominibus illatas, ad obviandum hujusmodi injuriis et gravaminibus, licet inviti, terram ipsius domini de Valkenborch manu armata intraverimus, oppidum de Sittart hostiliter obsidentes, ipsumque oppidum per obsessionem et devictionem hujusmodi acquirentes, noverint universi et singuli, nos universis nobilibus, militibus, armigeris, fidelibus, bonis villis nostris Brabancie et aliis gentibus de terra nostra, tam ultra Mosam quam in Brabancia, firmiter promisisse, et nos nostros heredes post nos ad hoc obligasse, et tenore presentium promittimus bona fide, quod predictum oppidum de Sittart, cum universis ejus pertinentiis, sicut per nostram predictam obsessionem ipsum sumus adepti, in perpetuum obtinebimus, et obtinere promittimus firmiter, ipsumque oppidum nostrum de Sittart ex nunc ducatui nostro Lymburgensi adjungentes, ipsumque a ducatu nostro Lymburgensi prefato temporibus successivis per aliquam inductionem alicujus aliquo modo non separandas seu dividendas. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus literis duximus apponendum. Datum et actum Bruxelle, ipso die exaltationis Sancte Crucis, anno Domini M° CCC° XVIII°. »

De guerra inter Johannem ducem Brabancie et Wilhelmum comitem Hannonie, Hollandie, etc., occasione dominii de Hoesden, super quo se compromiserunt in Gerardum comitem Juliacensem. Cap. LXXIV.

1319. Circa tempus prescriptum oriebatur magna guerra inter eundem Johannem ducem Brabancie, annorum octodecim existentem, et dominum Wilhel-

[1] Exstant apud Butkens, t. I, *Preuv.* p. 150, et Ernst, t. VI, p. 50.

mum comitem Hollandie et Zelandie, occasione oppidi, terre et dominii de Hoesden[1]: que tandem fuit sedata et pacificata per dominum Gerardum comitem Juliacensem, vigore compromissi, etc., prout patet ex ipsius comitis Juliacensis literis pronuntiatione desuper confectis, quarum tenor sequitur et est talis[2]:

« Universis presentes literas visuris et audituris Gerardus comes Juliacensis salutem et cognoscere veritatem. Noveritis, quod cum in causa et negotio, quod vertitur inter illustres viros dominos nostros dilectos Johannem Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducem, ejusque in ea parte consortes et coadjutores, ex una parte, necnon Wilhelmum Hannonie, Hollandie et Zelandie comitem, dominum Frisie, ex altera, videlicet super oppido de Hoesden et ejus pertinentiis, in nos tanquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositorem fuerit compromissum, et nos hujusmodi in nos receperimus compromissum, eisdem dominis nostris et partibus hinc inde in hoc complacentibus; nos quoque, equa dictorum dominorum nostrorum et partium voluntate, dicti compromissi termino usque nunc prorogato et adhuc pendente, et eisdem dominis nostris et partibus hinc inde in dicto negotio per nos, ut arbitrum solum, de jure deffinire et pronuntiare cum instantia petentibus et omnino volentibus, quantumcumque etiam concordiam et amicabilem compositionem desideramus in negotio eodem: tandem, quia ex actis et probatis et deductis coram nobis hinc inde, imprimis pro domino nostro comite Hannonie, non invenimus aliud, nisi quod nobilis vir quondam Johannes dominus de Hoesden, lapso XXIX annorum spatio vel circiter, oppidum suum de Hoesden, et libertates oppidi ejusdem, quibusdam tantummodo in suis literis, in quibus nec dicti domini nostri ducis Brabancie suorumque progenitorum, ut dominorum principalium, nec alterius cujusque, cujus intersit, appareret consensus adhibitus nec requisitus, donaverit seu supportaverit, simplicis donationis et supportationis titulo, quondam spectabili viro domino Florentio comiti Hollandie hujusmodi oppidum et libertatem donavit et supportavit, et deinde ea recepit nomine feudi ab eodem, produxeratque idem dominus noster comes Hannonie super affectione sua duos testes principales, et, verius ad verum eundo, unum ex cujus tenore depositionis apparet intentio

[1] Vid. infra cap. LXXVII et seqq.

[2] Exstant apud Butkens, t. I, *Preuv.* p. 153.

litere donationis et supportationis antedicte, necnon alios, licet pauco numero, XII vel circa, nihil de vera vel certa sciencia. sed solum de auditu auditus in suffragium promissorum [1] deponentes; nonque appareant nec producantur instrumenta. vel alique litere authentice alicujus scientie vel consensus quoad predictam donationem vel supportationem, earumdem donationes et supportationes, tempore vel post dicti domini nostri ducis vel suorum progenitorum seu predecessorum, comitisve Clevensis, qui est vel pro tempore fuerat, seu alterius cujus intersit. Quumque vice versa appareant et coram nobis deducta sunt. et exhibita fide dignorum tam vassallorum plurimorum quam aliorum bonorum testimonia ad eum finem, quod castrum de Hoesden. de quo tamen inter partes non est questio, necnon oppidum, terra et dominium de Hoesden cum eorum pertinentiis. prout sita sunt ultra veterem Mosam versus terram dé Altena, pertineant principaliter jure directi dominii ad dictum dominum nostrum ducem, sicut ad suos progenitores ab antiquo, et ad comitem Clevensem jure vasallatus et infeudationis titulo, qui est et qui pro tempore fuerunt veri vasalli et immediati dicti domini ducis et suorum progenitorum. de bonis eisdem, sicut et impuber nobilis. qui nunc est, videlicet Johannes filius quondam domini Johannis domini de Hoesden, et ejus nomine. ut mamburnus, Johannes Elschoute [2]. armiger vassallatus nomine est infeudatus et investitus de bonis antedictis a nobili viro Theoderico comite Clevensi. ad quem usque nunc dicto nomine. ut ad immediatum vasallum. dicti dominii et bonorum quieta possessio est obtenta et producta.

» Item quod, quotiescumque domini de Hoesden, qui pro tempore fuerunt, oppressiones et guerras passi sunt, nunquam tamen comites Hollandie, qui est vel pro tempore fuerunt, prestabant auxilium seu defensionem aliquam eisdem dominis et dominio de Hoesden, licet domini directi ad hoc teneantur suis vassallis, tam de jure quam equitate.

» Item, quomodo impossibile sit et a jure aut a ratione alienum, quod. si predictis donationis et supportationis titulo dictus dominus noster comes Hollandie querat sibi jus dominii in dictis oppido, bonis et dominio de Hoesden, quod ex alia consequentia contraria. puta proprietatis et directi dominii titulo. possit et debeat hujusmodi vindicare, maxime cum

[1] Seu *praedictorum*.

[2] Alias *Helshaute*.

donans et supportans non habuerit in eisdem bonis directum et verum dominium, sed potius ea dependeant a domino duce Brabancie, principali talium bonorum domino, et a comite Clevensi immediate, nec alias sufficienter appareat, quod ullus dominus de Hoesden de jure, ut mediatus vassallus, de dictis bonis aliquam donationem, alienationem vel distractionem eorundem bonorum et dominii validas facere valebat, sicque eciam pro jure virorum nobilium comitis Clevensis, qui est, et suorum progenitorum qui immediate fuerunt, probatum et ad nos productum, tam per ipsum comitem, qui nunc est, quam LX et plus testes fide dignos, tam nobiles in magna parte quam ministeriales, alios milites et famulos ipsius comitis Clevensis, omnes et singulos vassallos et pares curie, etiam juramentis omnium eorumdem, tanquam de certa scientia et de vero, quod oppidum, terra et dominium de Hoesden, ut sita sunt ultra veterem Mosam versus terram de Altena, sunt de pertinencia comitis Clevensis, qui est, et suorum progenitorum qui pro tempore fuerunt, ut vassalli domini ducis Brabancie, qui est et qui pro tempore fuerunt, de bonis eisdem; et quod dominus dux est verus et directus dominus bonorum eorundem, reperiatur inter cetera deductum et probatum, quod sepius et frequentius domini de Hoesden, qui pro tempore fuerunt, sint a suis dominis sue fidelitatis et vasallatus nomine adjuti, et ejusdem subjectionis nomine iidem domini de Hoesden, qui pro tempore fuerunt, eisdem comitibus suis dominis et in eorum guerris prestiterunt auxilia et quoad hoc competentia servitia, juxta posse suum ea de causa.

» Item quoque, quod vacantibus legitime et successive quatuor vicibus, a XII annis et circa immediate predictis oppido, terra et dominio de Hoesden infra predictum districtum dominii de Hoesden, heredes, qui successive fuerunt, quesierunt, habuerunt et obtinuerunt dicta oppida, terram, thelonium et dominium jure feudi, et ejus investituram a dominis comitibus Clevensibus, prout pro tempore fuerunt : in primis videlicet dominus Johannes quondam dominus de Hoesden, mortuo domino Theoderico quondam comite Clevensi, a domino Otthone suo successore; deinde mortuo ipso domino Johanne de Hoesden, Johannes ejus filius et successor ab eodem domino Otthone; idem Johannes a Theoderico nunc comite Clevensi, et, nunc ultimo mortuo dicto Johanne, Johannes de Elschoute, mamburni nomine, pro impubere filio quondam domini Johannis domini de

Hoesden sepius jam dicti, domino comiti Hollandie se nunquam nec ejus nomine aliquo altero unquam nisi nunc in aliquo opponente.

» Verum quia predictis omnibus et singulis sepius et cum exacta diligencia, prout jacent, et ex actis liquet et clare trahi possunt, ac eciam consideratis in hujusmodi considerandis, coram jurisperitis sapientibusque aliis quamplurimis requisitis, et eorum sufficienter usi consilio, invenimus predicti domini nostri comitis Hollandie intentionem minime fundatam, sed potius dictorum domini nostri ducis Brabancie dictique comitis Clevensis et eorum consortium intentionem fundatam et sufficienter probatam, prout eos contingit et ex adverso : in Dei nomine jus dicendo, ex vi compromissi in nos hinc inde facti et suscepti, pronunciamus et diffinimus predictum oppidum, terram, thelonium et dominium de Hoesden, prout sita sunt ultra veterem Mosam versus terram de Altena, de quibus est mota questio, ad dictum dominum nostrum ducem Brabancie, ut ad principalem dominum, jure directi dominii pertinere debere, dum tamen, premissis salvis, dominus noster dux predictus personaliter. et deinde assumptis secum duobus fide dignis, paribus curie suis vasallis, predicta oppidum, terram, thelonium et dominium de Hoesden per juramentum suum declarent et asserant ad ipsum dominum ducem, tanquam ad principalem dominum, jure directi dominii pertinere. Quo facto, eadem pronunciatione dicimus ea ad nobilem virum Theodericum comitem Clevensem, coadjutorem ejusdem domini ducis, jure fidelitatis et vassallatus domini ducis ejusdem, necnon consequenter dependere jure vassallatus talis ab eo comite, quoad filium impuberem quondam domini Johannis domini de Hoesden, et ejus mamburno nomine ad Johannem de Elschoute supradictum. In cujus prononciacionis et definicionis testimonium has literas nostro fecimus sigillo communiri. Datum Nydegghem, feria III[a] ante festum beati Michaëlis archangeli, anno Domino M° CCC° XIX°. »

Comes Clevensis recognoscit se oppidum et terram de Hoesden tenere a duce Brabancie. Cap. LXXV.

1318 « Wy Diederick grave van Cleve maken cont ende kenlyck alle denghenen die desen brieff selen sien oft horen lesen, mitter kennissen der

waerheit, dat wy houden ende houdende zyn de stadt ende 't lant van Hoesdene van eenen hogen edelen prince ende man, onsen lieven heere Johannes, by der gratien Gots hertoge van Lothryck, van Brabant ende van Lymborch, tot alle den rechte dat wy onder onse goet houden, ende alle onse ouderen ende onse voorderen gehouden hebben van hem ende van zyne voorderen, ende dat te besittene ende te behoudene mette allen den rechten van heure ende van synen naecomelingen, gelyck ende in allen dien rechte dat onse voorderen van synen voorderen hadden ende hebben besit ende gehouden. Gegeven in 't jaer Ons Heeren als men screef M° CCC ende XVIII, op Sinte-Margrieten dach. »

Sequitur informatio facta super jure oppidi, terre et dominii de Hoesdene [1]. Cap. LXXVI.

« Universis presentes literas visuris et audituris nos Heinricus de Berthout dominus de Duffel et de Gheele, nec non Wilhelmus dominus de Boxstel, milites, salutem et plenam agnoscere veritatem. Actus humani temporis preteritione labuntur, et crebro generationis et corruptionis motu oblivionis nebula suffocantur; necesse est ergo res gestas, pro earum longiori memoria provida, scripturarum serie literalique soliditate roborari. Noverint igitur universi et singuli, tam presentes quam futuri, quod anno Domini M° CCC° XVIII°, in festo Annunciationis Domini, propter hoc in nostra constitutus presentia in Hees, prope Buscumducis, Theodericus comes Clevensis assecuravit, fide sua super hoc prestita corporali, ad manum discreti viri Gerlatii de Busco, militis, seneschalli Lymburgie, et ex parte illustris principis domini nostri ducis Brabancie propter hoc ad dictum locum de Hees transmissi, quod dominium de Hoesdene, situm ultra veterem Mosam versus terram de Altena, excepto castro dicti loci de Hoesdene, tenent et hactenus tenuerunt a dicto Theoderico comite Clevensi et a suis antecessoribus vero jure feudali, et quod dictus Theodericus comes Clevensis et sui antecessores dictum oppidum dictumque dominium et dictam terram de Hoesdene a dicto domino nostro duce et suis predecessoribus tenuerunt, et

1318.

[1] Vid. Butkens, t. I, *Preuv.* p. 152.

tenent. et tenere vero jure feudi tenebuntur. Qua assecuratione legitime et debite a dicto Theoderico comite Clevensi facta. ut dictum est, idem Theodericus comes Clevensis, levans manum suam ad sacrosancta evangelia, dicto domino Gerlatio ex parte et nomine dicti domini nostri ducis eidem Theoderico comiti Clevensi suum predicante seu predicente juramentum, omnia que ipse Theodericus comes Clevensis prius assecuraverit, et assecurando recognoverit, de dicto oppido dictoque dominio ac dicta terra de Hoesdene, plenam et inconvulsam sine omni perjurio habere veritatem. Quibus a dicto Theoderico comite Clevensi sic peractis, ut premittitur, accesserunt coram nobis viri nobiles virique honesti, fideles seu vasalli dicti Theoderici comitis Clevensis, et Theodericus de Cleve comes de Elkerode, Gerardus dominus de Heurne, Ottho dominus de Kuyck, Theodericus dominus de Moerse, Wilhelmus de Mille, dominus de Wickrode, Hermannus dominus de Ghemen, Wilhelmus dominus de Bronchorst, Rutgerus dominus de Herpen, Gerardus dominus Oeyen, Theodericus de Heile, milites, Theodericus de Monemont, Johannes dictus Lecker, Arnoldus de Neyle, Arnoldus de Lancio, Johannes de Groesbeke, Heinricus de Noviomagio, et Marcellus de Oisterhout, propriis ipsorum juramentis, ab ipsis et quolibet ipsorum ad sacrosancta evangelia debite prestitis, affirmabant juramentum dicti Theoderici comitis Clevensis, quod assecuravit et assecurando tenuit, prius factum, in omnibus et per omnia justum esse penitus atque verum. In quorum omnium testimonium et robur perpetue firmitatis nos Heinricus dominus de Duffel et de Gheele, necnon Wilhelmus dominus de Boxstel, milites predicti, ad supplicationem et diligentem requisitionem dicti Theoderici comitis Clevensis suorumque fidelium predictorum, sigilla nostra presentibus literis duximus apponenda. Datum et actum anno, die et loco predictis, scilicet anno Domini M° CCC° XVIII°. »

Sequuntur gesta successive de dominio de Hoesden. Cap. LXXVII.

Quia, ut infra patebit, occasione terre et dominio de Hoesden multe fuerunt temporibus preteritis dissentiones, divisiones, mutationes et translationes, idcirco ut lector de hujusmodi dissentionum, divisionum, mutationum et translationum circumstantiis facilius informari valeat, dignum

duxi gesta ipsarum successive, sine aliorum interpositione gestorum, hic inserere, sub correctione cujuslibet melius sentientis: nam, si posuissem secundum datas temporum quibus acciderunt, nimis laboriosum esset et difficile res gestas tam sparse scriptas ad libitum invenire, et votive cerciorari de eisdem.

Comes Clevensis promisit domino de Hoesden infeudare filiam suam in dominio de Hoesden, si masculum heredem non haberet. Cap. LXXVIII.

Inprimis itaque est sciendum, quod dominus Theodericus comes Cle- 1294.
vensis promisit Johanni domino de Hoesden et ejus uxori, casu quo ex eorum corporibus heredem masculum non habuerint, quod tunc ipse comes infeudaret Sophiam, ejusdem domini de Hoesden filiam, in dominio terre de Hoesden. Que quidem Sophia desponsaverat dominum Wilhelmum, dominum de Hoerne, prout in literis comitis Clevensis desuper confectis plenius continetur, que fuerunt date anno Domini M° CC° XCIIII°, die veneris post festum Petri ad vincula.

Dominus de Hoesden promittit Johanni duci Brabancie tradere castrum de Hoesden, infra certum terminum post suam requisitionem. Cap. LXXIX.

Preterea est sciendum, quod Johannes, dominus de Hoesden, promisit 1325.
Johanni duci Brabancie deliberare castrum de Hoesden, infra octo dies postquam ex parte ejusdem ducis requisitus fuerit, et requisivit oppidum suum de Hoesden et nonnullas singulares personas, suos amicos et consanguineos, quatenus contra ipsum dicto duci assistant, casu quo reperiretur negligens et in defectu eidem duci idem castrum deliberandi, prout hec in ejusdem domini de Hoesden literis patentibus desuper confectis latius continentur, que fuerunt date anno Domini M° CCC° XXV°, die dominica post festum sancti Bavonis [1].

[1] Exstant literae illae vernaculo idiomate apud Willems t. I p. 766 Chronici rythmici Joannis Clerici; ibid. p. 759 habetur diploma de die 25 martii 1319, quo scabini Buscoducenses decla-

De secunda guerra orta inter ducem Brabancie et comitem Hollandie super alta justicia dominii de Dronghelen, que fuit per arbitros pacificata. Cap. LXXX.

1321. Orta guerra inter Johannem ducem Brabancie ex una et Wilhelmum comitem Hannonie, Hollandie, Zelandie, partibus ex altera, super nonnullis questionibus, et signanter super dominio et alta justitia dominii de Dronghelen, quam uterque ipsorum dicebat ad se spectare, tandem, intercedentibus utriusque partis fidelibus et amicis, se submiserunt partes supradicte, super omnibus et singulis dictam guerram contingentibus, in nobiles viros dominum Florencium Berthout dominum Mechliniensem, Gerardum dominum de Hoerne[1], castellanum Zelandie, Johannem dominum de Arckele et Rogerium de Levendale, promittentes, sub magnis penis, se servaturos quidquid desuper per supradictos arbitros fuerit dictum et ordinatum, prout in literis desuper confectis plenius continetur, que fuerunt date anno Domini M° CCC° XXI°, die martis ante festum sancti Luce evangeliste.

Supradicti arbitri promiserunt intrare Hoechstraeten, et abhinc non recedere, donec pronunciaverint. Cap. LXXXI.

1321. Supradicti vero domini de Mechlinia, de Hoerne, de Arckele et de Levendale, ad requestam dominorum ducis et comitis predictorum, promiserunt se infra certam diem et horam venire apud Hoechstraeten, et abinde non recedere, sine consensu dominorum ducis et comitis antedictorum, donec inter ipsos dictum et ordinationem ipsorum pronunciassent, prout in literis desuper confectis clarius continetur, que fuerunt date in Hoechstraeten, in crastino sancti Nicasii, anno Domini M° CCC° XXI°; et est una litera dicti comitis per predictas literas transfixa, ejusque sigillo sigillata, per quam consentit, quod supradicti arbitri poterunt semet prorogare.

rant comitem Clevensem affirmasse se suosque praedecessores terram Heusdanam in feudum tenere a duce Brabantiae. Cfr. supra p. 502, et Butkens t. I *Preuv.* p. 152 et 153.

[1] Seu *Heurne*.

diem et locum mutare in alios diem et locum competentem : datum ubi supra.

Pronunciacio arbitrorum inter ducem et comitem supradictos super alta justicia dominii de Dronghelen. Cap. LXXXII.

Demum supradicti arbitri, debita et diligenti informatione prehabita 1321.
super controversia et guerra inter memoratos ducem et comitem exorta, per omnia dictum et ordinationem inter cetera pronunciarunt, quod alta justicia dominii de Dronghelen pertinet et pertinere debeat ad prelibatum Branbancie ducem, quodque dominus de Hoesden nunquam se poterit armare contra ducem antedictum, prout in literis patentibus desuper confectis continetur, que fuerunt date anno Domini M° CCC° XXI°, die martis post festivitatem Epiphanie.

Qualiter dominus de Saffenberghe relevavit in feudum a duce Brabancie castrum et terram de Hoesden. Cap. LXXXIII.

Anno Domini M° CCC° XXX°, die dominica post festum beati evange- 1330
liste Marci, Johannes dominus de Saffenberghe relevavit jure feudali a Johanne duce Brabancie et Lymburgie castrum et terram de Hoesden cum suis pertinentiis, sibi desuper debitum homagii et fidelitatis juramentum faciendo et prestando, prout in eisdem domini de Saffenberghe literis desuper confectis plenius continetur.

Qualiter Johannes dominus de Saffenberghe vendit Johanni duci Branbancie oppidum et dominium terre de Hoesden pro trecentis regalibus annuatim. Cap. LXXXIV.

Successu vero temporis, scilicet anno Domini M° CCC° XLVI° [1], ipso die 1346.
sancti Severini, Johannes dominus de Saffenberghe omne jus, quod sibi

[1] In cod. Miræi habetur 1345.

competit aut competere poterat jure successionis, ex causa sue matris, in et ad oppidum et dominium de Hoesden, in dominum Johannem ducem Brabancie et Lymburgie, et ejus heredes et successores, transportavit et sibi vendidit pro summa trecentorum regalium annuatim sibi et heredibus suis hereditarie persolvenda : quos quidem trecentos regales predictus dux sibi assignavit super grutam suam [1] in Buscoducis, cum tali conditione quod dictus dux, aut ejus heredes aut successores, de dictis trecentis regalibus ducentos redimere posset a dicto domino de Saffenberghe et ejus heredibus cum duobus millibus dictorum regalium : sed reliquos centum ipse dominus de Saffenberghe et ejus heredes a dicto duce et suis heredibus et successoribus, Brabancie ducibus, in feudum tenere deberent : cum nonnullis aliis clausulis et conditionibus in literis desuper confectis contentis et declaratis.

Qualiter comes Clevensis infeudavit fratrem suum in tota terra dominii de Hoesden, excepta medietate dominii ejusdem. Cap. LXXXV.

1333. Item, Theodericus comes Clevensis per suas patentes literas, et ob causas et rationes in eisdem declaratas, infeudavit Johannem de Clevis, suum fratrem, decanum Coloniensem et dominum de Limes [2], in tota terra dominii de Hoesden, cum tota justicia alta et bassa et suis pertinentiis, excepto castro, ad tenendum in feudum a duce Brabancie, excepta medietate dicti dominii de Hoesden, quam filii domini de Hoerne ab ipso in feudum tenebant, prout in dictis literis plenius continetur, que fuerunt date anno Domini M° CCC° XXXIII°, die mercurii post festum sancti Petri ad vincula, que fuit prima augusti.

Dux assignavit filiis de Hoerne certam summam super thelonium de Hoesden annuatim. Cap. LXXXVI.

1334. Memoratus autem Johannes dux Brabancie per suas certi tenoris literas assignavit Theoderico de Hoerne et suis fratribus super thelonium de

[1] De tributo seu vectigali quod jus *gruute* seu *gruyte* dicebatur, vide Raepsaet, *OEuvres* t. IV p. 487-492.

[2] Alias *Luncz.*

Hoesden XL libras nigrorum Turonensium, capiendas singulis annis in die sancti Martini, quam quidem summam ipse dux acquitare et redimere potuit cum quadringentis libris monete supradicte, prout in dictis literis clarius continetur, que fuerunt date Bruxelle, die sabbati post octavas Sacramenti, anno Domini M° CCC° XXXIV°.

De certa concordia facta inter ducem Brabancie et comitem Hannonie, Hollandie et Zelandie. Cap. LXXXVII.

Preterea est sciendum, quod memorati Johannes dux Brabancie et Lymburgie, et Wilhelmus comes Hannonie, Hollandie et Zelandie super diversis altercationibus et dissentionibus inter ipsos motis et exortis certam concordiam fecerint, per quam inter cetera patet, quod terra de Hoesden spectat ad ducem Brabancie predictum, super quam ipse dux prefato comiti assignare deberet centum libras terre annuatim. Continet eciam hujusmodi concordia, quod alta justicia ville de Dronghelen pertinet ad ducem Brabancie aut ducatum, prout hec et quedam alia in ipsorum patentibus sigillatis literis plenius continentur, que fuerunt date Cameraci, anno Domini M° CCC° XXXIIII°, mensis julii die XXVII[a]. 1334.

Et est sciendum quod in dictis literis sunt nominati plures nobiles ex utraque parte, quos in fidejussores constituerunt, quod predicta concordia inter ipsos ducem et comitem inviolabiliter teneri et observari deberet: sed illorum sigilla non sunt dictis literis appensa. Et est eciam alia litera consimilis, sub parvis ipsorum ducis et comitis sigillis sigillata, in qua nonnullos fidejussores constituerunt, que est data in mense junio, anno predicto.

Johannes frater comitis Clevensis impignoravit Johanni duci omne jus quod habuit in terra de Hoesden pro summa XV millium regalium. Cap. LXXXVIII.

Johannes de Clevis, decanus Coloniensis, frater comitis Clevensis, reco- 1337.
gnoscit per suas literas patentes, se impignorasse duci Brabancie omne jus

quod habuit et sibi competere potuit in terra de Hoesden, pro summa XL millium regalium [1], prout in dictis literis latius declaratur, que fuerunt date anno Domini M° CCC° XXXVII°, ipso die Palmarum; et sunt sigillate, una cum ipsius decani sigillo, sigillis archiepiscopi Coloniensis, comitis Gelrie, marchionis Juliacensis et dominorum de Bylant et Zulen.

Qualiter castrum, oppidum et terra de Hoesden venit ex manibus ducis Brabancie in manus comitis Hollandie. Cap. LXXXIX.

1356 Orta et vertente dissentione [2] atque guerra inter dominum Wenceslaum de Bohemia ducem et dominam Johannam ducissam Lucemburgensem, Brabancie et Lymburgie, ex una parte, et dominum Ludovicum comitem Flandrie, ex altera, prelibati dux et ducissa cum duce Wilhelmo de Bavaria, comite Hannonie, Hollandie et Zelandie, domino Frisie, de consilio et consensu nonnullorum dominorum, tam ex una parte quam ex altera, iniverunt et concordarunt certum tractatum certamque unionem et amiciciam, contentos et specificatos in ejusdem comitis literis patentibus desuper confectis, datis Bergis-supra-Zomam, anno Domini M° CCC° LVI°, mensis martii die XXIX°, et sunt dicti domini de consilio partis utriusque in dictis literis nominati.

Et primo, quod dictus comes Hannonie, Hollandie, Zelandie, etc., ipsiusque heredes et successores perpetuo tenere debeant castrum et terram de Hoesden, cum pertinentiis suis universis, per omnem formam atque modum quibus dictum castrum dictaque terra, cum universis pertinentiis suis, venerunt ad ducem Brabancie, tempore quondam Johannis ducis Brabancie, patris ducisse Johanne predicte, salvo et reservato dictis duci et ducisse et eorum successoribus sono campane, appellato theutonice *cloekslach*, contra omnes dominos, excepto comite Hollandie et suis successoribus, comitibus Hollandie, et terris ipsius.

Item, casu quo guerra moveretur inter Brabanciam et Hollandiam, quod tunc predicti de Hoesden se non intromitterent de dicta guerra, neque ab

[1] In cod. Johannis Miraei legitur : *pro summa 1500 regalium.*

[2] In cit cod. legitur : *Verum postmodum orta et vertente, etc.*

una parte neque ab altera, cum nonnullis aliis punctis et articulis in iisdem literis contentis et declaratis. Et specialiter est comprehensum, quod dictus comes erit potens, sive potestatem habebit, tractandi pacem inter dictum comitem Flandrie et predictos ducem et ducissam, ipsorumque terras atque subditos, et, casu quo ipse comes dictam pacem facere poterit, teneret castrum et terram de Hoesden supradictam; et, si eandem facere non poterit neque tractare, quod veniret adjutor et auxiliator ducis et ducisse antedictorum, et terrarum ac dominiorum eorundem, contra comitem Flandrie prelibatum: quem quidem comitem Flandrie, ipsiusque coadjutores, terras et dominia, ipse comes Hollandie diffidare deberet, sive teneretur, infra mensem a dicta data supradicte litere computandum.

Qualiter dux et ducissa Brabancie transportarunt in dictum Hollandie comitem omne jus quod habebant in castro, oppido et terra de Hoesden, excepto sono campane. Cap. XC.

Supradictus vero dux Wenceslaus et ducissa Johanna, per eorum paten- 1356.
tes literas datas apud Montem Sancte Gertrudis, die X^a^ maii, anno Domini M° CCC° LVI°, supportarunt duci Wilhelmo de Bavaria, comiti Hannonie, Hollandie, etc., et suis heredibus, omne jus omnemque occasionem, quod et quam ipse dux et ducissa habebant et habere poterant in castro, oppido et terra de Hoesden, salvo et reservato duci et ducisse, eorumque successoribus, sono campane in oppido et terra de Hoesden prelibatis.

Qualiter certa guerra, orta inter ducem et ducissam ex una, et ducem Albertum comitem Hollandie, etc., ex altera parte, fuit tandem pacificata per certos compromissarios, ut patet ex literis desuper confectis, quarum tenores sequuntur, et sunt tales[1]. Cap. XCI.

« Wencele van Bemen, by der gratien Gods hertoghe van Lutzem- 1374.
borch, van Lottryck ende van Brabant ende Lymborch, marckgrave des

[1] Illa Wenceslai et Joannae ducum Brabantiae reconciliatio cum Alberto Bavariae exstat apud Van Mieris, *Groot Charter Boek der graven van Holland*, t. III, p. 295. Editor prius exhibet re-

heylichs Rykxs, Johanne, bi derselver gratien Gods hertoghinne der hertochdommen ende merckgravinne des merckgravenschaps voorschreven, ende Aelbrecht, van Gods geneden hertoghe in Beyeren, palsgrave by den Ryne, ruwaert van Henegouwe, van Hollant, van Zeelant, van Vrieslant, doen cont ende kenlyck allen lieden die dese letteren zelen sien oft hooren lesen, dat want eene twiste ende wanghonste opgestaen tuschen onsser beyder lande, stede ende lieden van Brabant, van Henegouwe, van Hollant, Zeelant ende van Hoesden, soo dat pandinghe, arrestement ende oock brant aen beyden syden geschiet waren, ende te duchten was dat daer meer onraets in gevallen mochte syn, hadden de saken yet langer alsoe gestaen in onrusten [1], so dat wy aen beyde zyden, omme desen onruste afftelegen, ende alle andere saken ende onruste, die tusschen ons in beyden syden ende onsser beyder lant, stede ende luden wesen mochten, van voerledenen tyden tot op den dach des daets des brieffs, gesamentlick overdragen ende te rade worden syn: dat wy hertoghe ende hertoghinne van Lutzemborch ende van Brabant cosen ende naemen vuyt den rade ons neven hertoghe Aelbrechts voorschreven, heeren Philips van Pollanen ende heeren Conraden, deken van Sinte-Marien in den Haghe.

» Ende wy hertoghe Aelbrecht cosen ende namen, vuyt ons neven rade des hertoghe van Lutzemborch ende Brabant, ende vuyt onsser moyen rade der hertoghinne voorschreven, den heere van den Gruythuyse ende den heere van Boutersem, ende cosen ende namen saemptelick noch den heere van der Leck ende van Breda, also tot eenen overman, ende gaven desen vyve volkomen macht alle saken, die in geschille stonden, te zaten ende verlicken: diewelck daerop raedt gehadt hebben, ende hebben, met onser alre wille, weten ende consent, die saken ghesaet ende verleken in der manieren als hiernaer volcht:

» In den eersten, soo zelen alle de oude claghen ende pandinghe, die gedaen ende overgegeven waren vore Onsser Vrouwen dach Assumptie, anno M° CCC° XXIII°, affwesen, sonder ons ende onsser byden ondersaet die een den anderen yet daeraff te heyssehene: maer elck van ons heeren

conciliationis textum latinum, cui addit versionem vernaculam, idque indicare videtur se latinam reconciliationis formulam deprompsisse ex *Dynteri chron. ducum Brab., lib. V, cap. VII, MS.*; omnes tamen Dynteri codices, quos mihi inspicere licuit, habent dumtaxat textum vernaculum.

[1] *Onrasen*, apud Van Mieris.

sal zyn ondersaet stillen van den voorgaenden claghen ende pandinghen, ende des sal elck van ons van synen ondersaten nemen moghen, so wes sy ten punt gepant hebben [1], om ander die claghende syn mede te stillen. Hierinne is ghenomen die brantschade, die Jan van Nedervenne dede aen Laureyshuys [2], ende goede van den Putte te Honshoirde; mer daer selen elck van partyen eenen man oft twee toevoeghen ende nemen, dat te verlicken; ende viel daerinne geschille, des soude wesen die heere van der Leck een overman dat te scheyden.

» Item, van der pandinghen, die heere Claes van Borssele [3], Jan van Renisse ende heere Floris van Borssele gedaen hebben op die lude ende poorters van Brabant, daer tot Breda aff overdragen was, dat syt wederkeeren souden op Sint-Jacops dach lestleden, daeraff si geaccordeert syn, want die voorschreven heer Claes, heer Jan, heer Floris erffgenamen, messaken dat sy des goedts niet also vele ghepandt en hebben, noch ghehadt, als die voorschreven poorters ende lude van Brabant in schrift overgegeven hebben. dat men heer Claes, heer Jan, ende eenen van heer Floris erffgenamen, ende horen luden, die dit goet op gehouden hebben, ende oock heeren Seger van Oestkerke ontbieden sal te comen te Breda op nu Onsser Vrouwen dach Nativitas, ende daer sal men weten by horen eede, soe wat goede sy ghehadt hebben, oft hore lude ende knapen, ende also verre als men vint by horen eeden ter waerheit, oft metten schepluden [4], dat sy 's ghehadt hebben, dat selen sy betalen, ende dat sal men nemen aen hore gelt dat sy in Brabant hebben selen, van hore schaden des strydts van Baestwilre [5], ende daervore sal hore gelt voorschreven in der stede hande van Brabant blyven staen, tot goeder [6] rekeningen. Ende die luden ende poorteren vuyt Brabant selen hore goedt groten by horen eede, so wat here eerst coops gecost heeft.

» Item, selen staende blyven ende te niet wesen die schade, die de luden vuyt Hennegouwe geleden hebben by arresten des meyers van Lovene,

[1] *Soo wes sy ten pant te pant hebben,* apud Van Mieris.

[2] Texus latinus habet : *Hos inter specialis ratio habenda est damni illius incendiarii, domui et bonis Laurentii Van den Putten a domino de Nedervenne illati.*

[3] Non recte apud Van Mieris : *Heer Claes Van Brussel.*

[4] Latine legitur : *Et quiscumque bona se habuisse jurati fatebuntur, vel per nautas convenientur.*

[5] *Baeswilre.*

[6] Alias *gouder.*

om der saken wille des heeren van Ghenipe [1], ende oock die schade die den luden vuyt Henegouwe gedaen wert, doen wy hertoghe van Lutzemborch ende van Brabant te velde gewapent laghen, tot Valeonpont [2], tegen den onvergouden schade die de heeren van Ghenipe [3] dede, ende syne hulperen, met roove, doen hy die brant dede tot Sinte-Aechten-Rode.

» Item, die lude ende poorteren van den Bossche tot eeuwelycken dagen behouden alsulcken palinghe als se de heere van Bruysvail [4] paelde ende bescheide tuschen die van den Bosche, van Engelen ende van Vlymen [5], terwylen die lande beide ons des hertogen ende der hertoginnen van Lutzemborch ende van Brabant waren, alsoe onsse brieven, die wy daeraff gegeven ende besegelt hebben, dat bescheiden; mer hebben die van den Bosche dese palen wat voorder ghegraven oft begrepen, dat sal men inworpen [6], ende dat sal blyven den lande van Hoesden. Voert, selen die van den Bossche haer palen wel behuyden [7], ende, comen daer dan beesten over, die mach men scutten op een redelyck schot [8].

existit, ut de ipso nemore seu communitate sua ponere et disponere seu statuere possint et debeant, prout, quando et quoties ipsis secundum communem utilitatem visum fuerit expedire, et quod de hoc homines dictarum villarum debeant esse contenti, et penis certis per ipsos cives adjectis subjacere, contradictione qualibet non obstante.

» Unde nos, hujusmodi negotio sic comperto, ad notitiam et ad bonam veritatem ipsos cives et civitatem Aquensem in dictis nemore seu communitate et jure suo conservari volentes, tueri et deffendi, vobis universis et singulis officiatis nostre terre Lymburgensis, qui pro tempore fuerunt requisiti, sub obtentu gratie nostre firmiter precipiendo, mandamus, quatenus prefatos cives et civitatem Aquensem in premissis juribus suis, nemore seu communitate, quemadmodum superius est declaratum, conservetis : quos et nos conservamus et conservari volumus per presentes, non permittentes eisdem civibus, seu alicui eorum, a quoquam machinatore seu subversore premissorum aliquam injuriam, dampnum aut gravamen aliquatenus irrogari, contradictores et rebelles seu contrarium facientes per vim et potestatem auctoritate nostra reprimentes, sic quod de cetero coram nobis non fiat mentio de predictis, et quod aliis similia perpetrantibus cedat in exemplo, salvo nobis jure nostro in omnibus et singulis nemore et communitate predictis.

» In quorum omnium testimonium, fidem atque robur sigillum nostrum, ex certa nostra scientia et de consilio fidelium et consiliariorum nostrorum, presentibus literis est appensum, bona fide, omni dolo et fraude penitus exclusis. Datum et actum Bruxelle anno Domini M° CCC° XXI°, postridie festi Omnium Sanctorum. »

Qualiter Otto dominus de Kuyck supportavit Johanni duci Brabancie et suis heredibus oppidum de Gravia, quod idem dux dicto Ottoni et suis heredibus concessit in feudum jure Brabantino, prout patet in dicti Ottonis literis desuper confectis, quarum tenor sequitur [1]. CAP. XCIX.

1323. « Nos Otto, dominus de Kuyck et de Heverle, notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod nos, de propria nostra et libera volun-

[1] Cfr. Butkens, t. I p. 393, et *Preuv.* p. 157.

tate, oppidum nostrum de Gravia, cum omnibus juribus, fendo, attinentiis et libertatibus ad dictum oppidum spectantibus seu quocumque modo pertinentibus, quod nostrum verum erat allodium, in manus illustris principis ac potentis Johannis Dei gratia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducis, domini nostri prelibati, portavimus, dedimus, et ad opus ipsius et heredum suorum omne jus, quod habebamus vel habemus, effusticando [1] renunciamus in perpetuum, nichil juris in dictis oppido, fundo, juribus, attinentiis ac libertatibus vel etiam allodio pro nobis vel nostris successoribus retinendo, promittentes eidem domino nostro duci antedicto et dictis oppidi juribus, fundo, attinentiis ac libertatibus firmam semper prestare warandiam atque ratam contra quoscumque : et ob hoc obligamus nos, heredes nostros, bona nostra et heredum nostrorum singula et universa, ubicumque sint, vel poterunt inveniri. Et omnibus premissis sic factis, idem dominus noster dux dictum oppidum, cum omnibus juribus, fundo, attinentiis ac libertatibus, tanquam suum verum et proprium allodium nobis in rectum feudum jure Brabantino ab ipso suisque post ipsum heredibus et successoribus ac nostris successoribus et heredibus hereditarie tenendum, habendum atque possidendum concessit sua propria voluntate, atque donavit. Et nos de dicto oppido, juribus, fundo, attinentiis ac libertatibus ipsi fecimus homagium, et de manibus suis recepimus in feudum, cum nostro juramento sibi facto de hoc debito et consueto. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus literis duximus apponendum. His vero premissis interfuerunt Florentius Berthout, dominus de Mechlinia, Johannes Berthout, dominus de Helmont, Rogerus de Levedale, dominus de Oireschot [2], Johannes de Rantshoven [3], Heinricus de Meldert, Johannes Nieuwe [4], dominus de Wavere, Johannes de Kesterbeke, milites, necnon Rodulphus Pipenpoy, seneschallus Brabancie, tanquam fideles domini ducis ex parte nostra ad hoc specialiter vocati; quibus nos supplicamus, ut ipsi sua sigilla unacum sigillo nostro in signum veritatis et causa cognitionis presentibus literis apponant. Et nos Florentius Berthout, dominus de Mechlinia, Johannes Berthout, dominus de Helmont,

[1] Seu *exfusticando.*

[2] In aliis codd. additur : *et de Parche,* ut infra legitur.

[3] Ibid. : *de Raidshoven.* Ante illum nominatur *Nicolaus de Dorne.*

[4] Alias *Meewe.*

Rogerus de Levedale, dominus de Oireschot et de Parche, Nicolaus de Dorne, Johannes de Rantshoven [1]. Heinricus de Meldert, Johannes Nieuwe [2], dominus de Wavere, Johannes de Kesterbeke et Rodulphus Pipenpoy antedicti, ad preces predicti Ottonis domini de Kuyck; et quia omnibus et singulis premissis interfuimus, et sic acta fuisse testamur, sigilla nostra cum sigillo suo presentibus literis duximus apponenda. Datum Bruxelle, in die nativitatis beati Johannis Baptiste, anno Domini M° CCC° XXIII°. »

Item est sciendum, quod iste Johannes dux Brabancie fundavit in ecclesia beate Elisabeth de Gravia unum altare in honorem beati Nicolai, cujus collatio tempore vacationis spectat ad ducem Brabancie pro tempore existentem.

Qualiter Ludovicus rex per suas literas tenoris infrascripti infeodavit Ottonem de Kuyck in terra Kuyckensi, excepto oppido de Gravia, ut sequitur. Cap. C.

1323. « Ludovicus, Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, nobili viro Ottoni de Kuyck fideli suo gratiam et omne bonum. Licet regalis magnificentia suis fidelibus in conferendis beneficiis se exhibere consueverit liberalis, tamen illos uberiore benevolentie et favoris gratia non immerito prosequitur, quos sibi puritatem fidei et indefessam promptitudinem obsequiorum cognovit ferventius observare. Hinc est quod, fidelitatis tue sinceritatem et grata servicia per te nobis et imperio exhibita, et in futurum etiam impendenda, tuis petitionibus favorabiliter inclinati, terram Kuyckensem, cum jurisdictione ipsius, thelonio ibidem et aliis bonis quibuslibet, que tui progenitores ab imperio habere hactenus consueverunt, ad te, patre tuo de hoc medio sublato, per successionem hereditariam devoluta, oppido Graviensi, quod idem Otto ab illustri Johanne duce Brabancie in feudum descendere asserit, excepto, tibi conferimus et te de iisdem infeudamus auctoritate regia, et presentibus investimus harum testimonio literarum, quas conscribi super hoc et nostre majestatis sigillo jussimus communiri. Datum in Colonia, IIII° nonas martii, anno Domini M° CCC° XXIII°, regni vero nostri anno X°. »

[1] Seu *Raidshoven*.

[2] Seu *Meewe*.

Tenor quittancie Ottonis domini de Kuyck de quinque millibus Turonensibus, pro quibus ipse oppidum suum de Gravia dedit duci Brabancie:

« Nos Otto, dominus de Kuyck et de Heverle, notum facimus universis, 1328.
quod nos de quinque millibus librarum grossorum nigrorum Turonensium, grosso Turonensi pro sexdecim denariis computato, in quibus illustris princeps Johannes, Dei gratia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux, nobis tenebatur, ea de causa quod nos oppidum nostrum de Gravia, quod nostrum verum erat allodium, ipsi dedimus et in manus suas supportavimus, ipsum dominum nostrum ducem et suos heredes atque suos successores quitamus et quitos clamamus, per presentes pro nobis, heredibus et successoribus nostris, recognoscentes nobis ab eodem domino nostro duce de prenominata pecunie summa integraliter esse satisfactum, harum testimonio literaru sigillo nostro sigillatarum. Datum Bruxelle, die jovis post octavas Petri et Pauli apostolorum, anno Domini M° CCC° XXVIII°. »

Sophia comitissa Gelrie quitavit ducem Brabancie, de consensu comitis Gelrie conthoralis et mamburni sui, de sexcentis libris Turonensibus, quas annuatim habuit super reditus oppidi Trajectensis et ducatus Lymburgensis[1]. Cap. CI.

« Sophia, comitissa Gelrie, universis presentes literas inspecturis salutem 1326.
cum notitia veritatis. Noveritis, quod nos illustrem principem dominum nostrum dilectum Johannem, Dei gratia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducem, et suos heredes de illis sexcentis libris nigrorum Turonensium, grosso curie regis Francorum pro sexdecim denariis computato, quas habemus annuatim in redditibus suis jacentibus infra Trajectum et in ducatu suo Lymburgensi, in perpetuum quitamus, recognoscentes nobis ab ipso domino duce de dictis sexcentis libris esse plenarie satisfactum, et de pecunia simili, pro qua dicte sexcente libre nobis erant obligate, nobis integraliter satisfecit. Et volumus, si postmodum litere facientes mentionem de predictis sexcentis libris Turonensibus aliqualiter invente fuerint, quod ille litere in posterum nullius sint firmitatis aut valoris, nec

[1] Vide Butkens, t. I p. 399, et *Preuv.* p. 160.

ipsum dominum nostrum ducem neque suos heredes de cetero ipsas sexcentas libras monere possumus nec debemus, nec nostri successores aut heredes, quoquo modo, supplicantes predilecto domino et conthorali nostro sive legitimo mamburno Raynaldo comiti Gelrie, ut ipse dictam quitantiam sic per nos factam velit ratificare, consentire, laudare atque approbare, et omnia premissa recognoscere esse facta de sua propria voluntate, et similiter dictum dominum nostrum ducem et suos heredes de dictis sexcentis libris in perpetuum quitare, et presentes literas suo sigillo unacum sigillo nostro sigillare in testimonium veritatis.

» Et nos Raynaldus comes Gelrie predictus omnia premissa recognoscimus de nostra voluntate et consensu nostro esse facta, et ipsum dominum nostrum ducem et suos heredes de predictis sexcentis libris plenarie esse satisfactum, et omnia et singula, prout superius scripta, laudamus, approbamus et ratificamus, et ea sigillo nostro unacum sigillo dilecte conthoralis nostre presentibus literis in testimonium veritatis appenso in perpetuum confirmamus.

» Et nos Sophia comitissa prenominata promittimus pro nobis et nostris heredibus et successoribus, fide super hoc prestita corporali, omnia et singula, prout prescripta sunt, in perpetuum inviolabiliter observare, dolo et fraude penitus exclusis in premissis. In cujus rei testimonium sigillum nostrum cum sigillo mariti domini dilectissimi comitis Gelrie prelibati presentibus literis duximus apponendum. Datum Bruxelle, die martis post conversionem beati Pauli, anno Domini M° CCC° XXVI°. »

1326. Anno Domini M° CCC° XXVI° quidam judeus apud Hannoniam cathecumenum se fieri postulavit, quem Wilhelmus comes Hannonie, Hollandie, etc., tamquam filium adoptionis de sacro fonte suscepit. Hic ergo conversus, devotionem simulans, cujusdam monasterii, scilicet Cameronis [1], solus subintravit ecclesiam, ubi gloriose regine celi virginis Marie pulcherrimam depictam aspexit ymaginem, quam idem maleficus in roseis genis acumine lancee sue defixit, et latenter abinde decedens ad consueta negocia properavit. Et ecce rivus sanguinis confestim emanare cepit a cycatrice recentis vulneris, per quem plures debiles salvi facti sunt de diversis morbis aggravati egritudine. Hiis itaque clam a falso christiano peractis, vere

[1] Camberona.

super omnes mulieres benedicta cuidam fabro per nocturnam visionem apparuit, et, ut de predicta contumelia perfidum christianum ad duellum provocaret, instanter ammonuit. Quod et ita factum est : idem namque faber, interveniente matre Maria, duelli campum adeptus est, et misellus Hebreus reatum suum a parte promens a prefato suspensus est.

Qualiter Ludovicus rex, anno Domini M° CCC° XXVII°, disponens et ad imperialem coronam aspirans, scribit Wilhelmo comiti Hollandie socero suo literam tenoris sequentis. CAP. CII.

« Ludovicus, Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, spectabili viro Wilhelmo comiti Hollandie socero suo dilecto gratiam suam et omne bonum. Cum ex divine largitatis munificencia longe plures civitates et castra nobis quam dive memorie quondam Heinrico predecessori nostro fidelitatis homagia prestiterint, ita quod imperiali coronatione nullus nobis possit difficultates aliquo modo procurare, societatem seu fidelitatem tuam, qua nobis et imperio teneris, cujus membrum principale te cognovimus, presentibus hiis contestamur, quatenus indelate Lumbardiam advenias cum potencia militari, recepturus nobiscum palmam triumphi imperialis, quam sine te capere quomodolibet nos tederet. » 1327.

Igitur hac epistola gratiose suscepta, Wilhelmus comes, associatis sibi comitibus Gelrie, Clivie, Juliacensis et Montensis, cum octingentis equitibus acceleravit Alpium aspera juga transcendere, et Ludovico regi contra Guelforum insultum armipotenter assistere. Cum hec itaque disponebantur, Wilhelmus comes, quorundam abutive fretus consilio, decrevit primo pro reconciliatione regis et pape Romanam visitare curiam, que tunc fuit in Avinione, antequam in apparatu pulchre milicie properaret ad Ytaliam. Dominus autem apostolicus, scilicet Johannes papa XXIIus, festino referente nuncio famam hanc audiens, imperavit extemplo pontem inter Avinionem et Villam Novam infringi trans Rodanum, quatenus idem comes eo difficilius illic haberet aditum, demandans per sentenciam eterne maledictionis ut rediret ad terram propriam, et in auxilium Ludovici regis nequaquam iret ad Ytaliam. Itaque Wilhelmus comes, ab inchoata via retrocedens,

apud villam Parisiensem aliquot diebus in consilio regis Francorum detentus est.

De pace facta inter ducem et dominum de Valkenborch super guerra de qua supra fit mentio, ante historiam de Hoesden[1]. Cap. CIII.

Subsequenter est sciendum, quod interventu nonnullorum consanguineorum et amicorum Reynaldi domini de Valkenborch fuit pax et concordia facta inter supra dictos ducem et dominum de Valkenborch, sub tali modo et forma :

Quod dux pro se teneret oppida de Sittart et de Heerle, quodque ipse dominus de Valkenborch burgenses oppidi Trajectensis et bona ipsorum amplius non inquietaret nec talliaret, et, si dictam pacem infringeret, quod tunc ad monitionem ducis tanquam captivus ejusdem in oppido suo Lovaniensi intraret, et captivus maneret, donec duci de commissis et perpetratis emendam fecerit condignam, salvo quod sub fide sua per dictum oppidum incedere posset, et de die extra oppidum exire venatum cum canibus, sive volatum cum avibus, dummodo de vespere in dictum oppidum reverteretur.

Et quia ipse dominus de Valkenborch dictam pacem violavit, idcirco ad monitionem ducis dictum oppidum captivus reintravit. Aliqui dicunt, quod per dictum ducem fuit coactus ad certum diem coram ipso Lovanii comparendi, et se de dicta pace violata purgandi, et, dum ea intentione ibidem applicuit, detinebatur captivus.

De guerra orta inter Johannem, regem Bohemie et Polonie, comitemque Luxemburgensem ex una parte, et Johannem ducem Brabancie ex altera. Cap. CIV.

Dum dictus de Valkenborch in Lovanio detinebatur captivus, dictus rex Bohemie applicuit Bruxelle, animo cum duce Johanne suo consanguineo super nonnullis rebus conferendi, ut asseruit, et, dum ad horam et locum

[1] Vide supra p. 498.

ad hoc ordinatum convenirent, dictus rex, ut apparuit, calore accensus, verbis crudelibus asseruit dominam imperatricem suam genitricem [1], que fuit filia primi Johannis ducis Brabantie atque soror Johannis secundi, ipsius Johannis ducis tercii patris, nullam partificationem habuisse de terris et dominiis post avum et patruum suos relictis, quam incunctanter sibi postulavit assignari.

Super quo idem dux, brevi prius super hoc consilio prehabito, dicto regi per organum Rogerii de Levendale militis responderi fecit inter cetera, videlicet : quod de ipsius regis petitione dux multum admirabatur, attento quod dominus imperator Heinricus pater suus, et etiam domina imperatrix mater sua, per plures annos, scilicet per XVI vel XVIII, supervixerunt, et nullam a suo patre, fratre dicte imperatricis, partificationem postularunt. Dixit ultra, quod non esset juris vel consuetudinis in terra Brabancie, quod filie partificare deberent cum fratribus in bonis feodalibus nobilibus, que tantum ad filium seniorem spectarent, salvis salvandis; nichilominus si rex desuper vellet audire vel habere sententiam, dux congregaret barones et alios nobiles terre sue Brabancie atque pares curie sue, juxta quorum judicium et sententiam se facturum obtulit, quidquid jus dictaret.

Super quo rex replicuit animo indignanti, quod quam citius posset hoc vindicare et jus sibi quesitum recuperare curaret; et his dictis rex non diu Bruxelle moratus, mox postquam recesserat, dictum Johannem ducem Brabantie diffidavit.

De conjugio inter Ludovicum de Bavaria regem Romanorum et filiam Wilhelmi comitis Hannonie, Hollandie, etc. Cap. CV.

Circa hec tempora, Wilhelmus comes Hannonie, Hollandie, etc., dedit Ludovico de Bavaria regi Romanorum filiam suam in uxorem, cujus matrimonii solempnitatem servare proposuerunt in civitate Aquensi, cui interesse voluit Johannes rex Bohemie cum magno apparatu.

Dum hoc ad dicti ducis Brabancie notitiam pervenit, statim fecit hospicia pro se et suis in dicta civitate Aquensi capi et designari, et magnam

[1] Scilicet *Margaretam*.

victualium provisionem fieri, atque nobiles et familiam suam de una librata notabiliter vestiri, intendens manu tam forti ad nupcias venire, quod de regis Bohemie et aliorum suorum emulorum et inimicorum potentia non haberet curare, plus quam de una vesica sive festuca.

Hoc autem reges Romanorum et Bohemie et comes Hollandie percipientes, illico, mutato proposito, se transtulerunt versus Coloniam, ubi nupciarum solemnitatem celebrarunt.

Qualiter Reynaldus dominus de Valkenborch fuit de Lovanio ductus in castro de Genepia, et qualiter fuit de carceribus relaxatus; qui postea, ab insolenciis non desistens, iterum rebellavit. Cap. CVI.

Reynaldus vero dominus de Valkenborch, audiens quod rex Bohemie ducem diffidaverat, ex instinctu, ut dicebatur, regis ejusdem, conabatur de Lovanio secrete aufugere. Quod dux in veritate comperiens, dictum Reynaldum ad castrum suum de Genepia duci fecit vinculis carceralibus mancipandum: ex quibus, postquam inibi per duos annos vel circa captivus permanserat, interventu dominorum proximorum et dominorum suorum fuit relaxatus, promittens, sub cautione tam juratoria quam fidejussoria atque pena viginti millium librarum Turonensium, se reversurum in dictum castrum ad monitionem dicti ducis, infra certum statutum terminum, casu quo cum eodem duce interim gratiose non accordaret, et quod infra dictum terminum contra dictum ducem et ejus terras nichil attentaret vel innovaret, neque dampnum fieri procuraret: pro quo tanquam ejus fideijussores promiserunt domini episcopus Leodiensis et comites Gelrie et Hollandie [1], quos promisit indempnes relevare, prout in literis desuper confectis dicitur plenius contineri. Et ad faciendum ex parte dicti domini de Valkenborch literas desuper opportunas fecit suum clericum sive scriptorem ad se vocari, qui, audiens quod magister suus et dominus volebat se pro tam magna pecuniarum summa obligare, et fideijussores ipsum multo plus potentiores ponere, dixit secrete dicto suo magistro : « Quid

[1] Adolphus episcopus Leodiensis, Wilhelmus comes Hannoniae et Raynaldus comes Gelriae se ut vades, nomine viginti millium librarum argenti, interposuerunt.

» vultis facere? Vultis vos metipsum destruere? Scio pro certo, quod non
» intenditis ista pacta servare; et in vestra non existit potestate vestros
» fideijussores indempnes relevare. » Respondit : « Scribe, scriptor, scribe:
» si poteris me ab hinc scribere, eris pro me scriptor bonus : de obliga-
» tione mea non sit tibi cura. » vel verba alia in vulgari theutonico consimilia.

Postquam vero dictus dominus de Valkenborch, sub cautione tam juratoria quam fideijussoria, sicut premittitur, fuit relaxatus, suarum immemor promissionis atque fidei, ab insolentiis non desistens, dicto domino Brabancie et Lymburgis duci et suis subditis, et signanter burgensibus et incolis Trajectensibus diversi modi dampna incendio et rapina inferre non verebatur, spem firmam atque confidentiam indubiam gerens quod predictus Johannes rex Bohemie, archiepiscopus Coloniensis et plures alii magnates, comites et barones sibi assistere deberent : qui omnes, unacum dicto domino de Valkenborch, contra dictum ducem fedus mutuo pepigerunt, firmiter proponentes, casu quo ipsum ducem ultra Mosam in terra ipsorum amplius venire contingeret, et ipsos inibi exspectare auderet, quod ipsum taliter debellarent, quod lueret omnia et quecumque dampna, que ejus pater et avus contra ipsos et ipsorum predecessores perpetraverunt.

Qualiter dux Johannes obsedit circumcirca castrum et oppidum de Valkenborch. Cap. CVII.

Dum autem confederatio predicta ad ipsius ducis noticiam pervenerat, incunctanter expeditionem generalem per totam suam terram Brabancie indici precepit et mandavit, et absque longa mora cum maximo exercitu suorum baronum, militum, nobilium, vasallorum et ministerialium ac burgensium et popularium, tam equitum quam peditum, transvadata Mosa, castra sua metando oppidum de Valkenborch cum castro obsidione cinxit. Est verum, quod dominus de Valkenborch, sub spe quod supradicti confederati ipsum et suos ab obsidione liberare, et ipsam solvere, levare, sive tollere deberent, permisit se in dictis castro et oppido obsideri, de omnibus victualibus et aliis necessariis, necnon de hominibus armorum bene munitis et provisis : fuerunt enim inibi secum obsessi domini de Thonen-

borch et de Sleyden, advocatus Coloniensis et plures alii nobiles in factis armorum expertissimi.

Qualiter oppidum de Valkenborch fuit submersum. Cap. CVIII.

Memoratus vero dux cernens predicta castrum et oppidum fore quodammodo inexpugnabilia, et per insultum sive saltum vix posse capi, propter ipsorum situationem (castrum enim super rupem excelsam, et oppidum in valle sita fuerunt, portis, turribus et muris altis duplicibus atque fossatis profundis circumcinctum, flumine Goele per medium decurrente), tandem consilio nonnullorum sapientium decursum aque ejusdem fluminis inter arcta loca per aggeres taliter fecit inferius impediri et obstrui, quod inundatio aque in tantum ascendit infra oppidum, quod domibus taliter submersis homines infra ipsum existentes montem versus castrum ascenderunt, ubi in maxima miseria et desolatione se tenuerunt, videntes ex una parte domos ipsorum submersas, et ex alia parte portas castri clausas, intra quod introitus ipsis denegabatur.

De pace tractata inter Johannem regem Bohemie et Johannem ducem Brabancie, tempore obsidionis ante Valkenborch. Cap. CIX.

Rex vero Bohemie, considerans quod vi armorum sua cum potentia, que contra potentiam ducis exigua fuit, supradictam obsidionem pro dicti Reynaldi domini de Valkenborch redemptione, quem libenter liberasset, levare sive solvere non valeret, misit duos milites de terra sua Lucemburgensi versus dictum ducem ad tractandum certas treugas, sub spe pacis inter ipsum ducem et Reynaldum predictum; quas quia dux annuere recusavit, minabantur ipsum ducem, quod rex utique et sine longa mora vi armorum obsidionem amovere et solvere deberet. Quibus fuit illico responsum, quod rex veniret quando vellet, dux ipsum in campis ante Valkenborch per Dei gratiam exspectaret. Quod cum dicti milites regi renunciassent, ipse rex suam injuriam recognoscens tantum procuravit apud Gerardum comitem Juliacensem, quod ipse comes ducem taliter informavit.

quod certa brevi die rex et dux, convenientes in oppido dicto t' Shertogen-Rode, per tres leucas a Valkenborch distante, pacem, amicitiam et concordiam mutuo inierunt : ubi rex inter cetera juravit, quod dicto duci juxta posse suum omnimodo assisteret contra unumquemque auxilio, consilio et favore.

Qualiter dux se submittens ordinationi dicti regis super causa domini de Valkenborch, soluta obsidione ad Brabanciam remeavit. Cap. CX.

Pace autem inter supradictos regem et ducem reformata, idem rex tantum apud eundem ducem procuravit, quod ipse dux de causa dicti domini 1328.
de Valkenborch ipsius regis ordinationi se submisit, qui dicto duci promisit, medio suo prestito juramento, quod infra certi temporis spacium taliter inter ipsos ordinaret, quod dux merito contentari, et suus atque filii sui honor in hoc deberet illesus observari. Fuit eciam inter cetera tunc conditionatum, quod porte et muri dicti oppidi deberent demoliri, sicut pro parte tunc fuit inceptum. Dux, confidens quod rex, qui suus consanguineus et sue matertere fuit filius, in isto negocio erga eundem ducem legaliter atque juste se habere deberet, postquam in campis ante Valkenborch steterat per spacium novem septimanarum vel circa, et plus consumpserat quam quatuor terre de Valkenborch valerent, et supradicti contra ipsum confederati infra dictum terminum non comparuerant, ut proposuerant, ipsum debellaturi, obsidione soluta, sua cum expeditione et exercitu ad terram suam Brabancie remeavit, circa festum beati Remigii anno Domini M° CCC° XXVIII°.

Qualiter Johannes dux Brabancie remisit Johanni regi Bohemie homagium de marchionatu Rupis, quamdiu reges essent comites sive domini terre Lucemburgensis. Cap. CXI.

Durante siquidem pace inter memoratos regem et ducem, ut premittitur, reformata, idem dux per suas certi tenoris literas, datas Bruxelle die ve-

neris post festum Epiphanie Domini, anno Domini M° CCC° XXVII° [1], notum fecit universis easdem suas literas visuris et audituris, quod, cum excellens et nobilis princeps Johannes, Dei gratia rex Bohemie et Polonie. comes Lucemburgensis, suus cognatus predilectus, et sui predecessores comites Lucemburgenses fuerant et esse deberent de jure in suo homagio et sui vasalli de certis bonis, que ab ipso et suis predecessoribus tenuerunt et ipse rex tenet in feudum, prout in literis desuper confectis asseruit contineri : in quibus literis specialiter describuntur marchionatus Arluni et comitatus et castrum Rupis, gallice *Roche,* et theutonice *Felts* vel *Welsche Felts,* ipse dux pro se et suis heredibus, Brabancie et Lymburgis ducibus, contemplatione prelibati regis sui cognati, et ad majoris amoris incrementum continuum inter ipsos mutuo nutriendum, eidem regi remisit et quitavit predictum homagium, quamdiu rex ipse viveret. et post ipsum sui heredes, quamdiu fuerint reges, qui non tenerentur dicto duci aut suis heredibus facere homagium de bonis predictis, quamdiu unus post alium viveret. cum tali conditione, quam cito fuerit sive venerit heres qui non esset rex, et qui erit comes Lucemburgensis, quod quartus post tres primos comites faciet et facere tenebitur homagium heredibus dicti ducis de bonis suprascriptis. Et licet dictus dux prelibato regi et suis heredibus modo predicto remiserit et quitaverit homagium predictum, nihilominus ipse rex et sui heredes non poterunt de iisdem bonis quidquam facere, nec ipsa ab alio principe recipere sive relevare, neque in alienas manus ponere, vendere vel alienare, quovis modo per quem heredes dicti ducis possent alienari vel elongari de fendo et homagio pretactis, omni fraude et malo ingenio penitus seclusis, prout in eisdem literis sigillo dicti ducis sigillatis plenius continetur, que fuerunt date Bruxelle, die veneris post festum Epiphanie Domini, anno M° CCC° XXVII° [2].

Vice versa supradictus Johannes, rex Bohemie et Polonie ac comes Lucemburgensis, per suas certi tenoris literas, in quibus predicte litere Johannis, Dei gratia ducis Lotharingie, Brabancie et Lymburgis. de verbo ad verbum sunt incorporate, promisit legaliter et in bona fide, pro se suisque heredibus et successoribus, dicto duci et suis heredibus et successoribus, quod pretextu sive occasione remissionis et quitancie homagii

[1] Stylo novo 1328. [2] Lege 1328 st. nov.

prescripti, ipse rex ejusque heredes non possent neque deberent bona, que ipse et sui successores comites Lucemburgenses solebant tenere et tenuerunt in feudum a dicto duce et ejus predecessoribus, non poterunt mutare nec vendere neque in alienas manus transportare, aut ab alio recipere vel relevare, seu quidquam de ipsis facere per quod heredes dicti ducis sui cognati possint elongari vel alienari in feudo et homagio suprascriptis, prout in literis dicti ducis, in suis literis, ut premittitur, incorporatis, plenius est contentum. Et quia ipse rex voluit et desideravit, quod omnia suprascripta in premissis literis comprehensa firma manerent et stabilia perpetuis temporibus, ab una parte et altera, idcirco suum sigillum predictis suis literis duxit appendendum in signum et testimonium veritatis. Datum Bruxelle, die sabbati post festum Epiphanie Domini, anno Domini M° CCC° XXVII° suprascripto [1].

Supradicto vero Johanne rege Bohemie tunc temporis Bruxelle existente, natus fuit dicto duci Johanni filius, quem ipse rex, ad preces ducis, de fonte levavit, et Johannem vocari fecit.

Qualiter autem comitatus Lucemburgensis, in quo prescripti marchionatus Arluni et comitatus Rupensis sunt constituti, postea fuit per Carolum quartum Romanorum regem et imperatorem et Bohemie regem in ducatum erectus, et Wenceslaus frater suus in ducem Lucemburgensem, habetur infra, ubi scribuntur gesta imperatoris predicti.

Qualiter Johannes rex Bohemie dictum suum seu ordinationem proferre recusavit, et deinde rex atque dux se mutuo diffidarunt. CAP. CXII.

Postquam memoratus rex Bohemie dictum suum seu ordinationem inter ducem Johannem Brabancie et Reynaldum de Valkenborch proferre distulerat per dimidium annum vel circa ultra terminum ad hoc ordinatum, licet ad pronunciandum hujusmodi suum dictum ex parte ejusdem ducis sufficienter et vicibus iteratis monitus fuerat et requisitus, et dictus Reynaldus infra predictum terminum portas et muros dicti oppidi de Valkenborch non fecerat evelli, sicut fuerat conventionatum, sed illos pocius

[1] Scilicet 1328.

reparari et fortificari, orta dissensione inter oppidum de Valkenborch predictum et filium domini de Heynsberch, ipse filius associatus et fortificatus cum gentibus ducis prelibati quadam die in aurora dictum oppidum intravit, et portas atque muros ejusdem usque ad solum demolivit: deinde vero unius anni spacio post dicti termini expirationem elapso, et dicto rege negocium hujusmodi in suspenso tenente, dictoque duce illud egre ferente, tandem ad ejusdem ducis instantiam, prelibatis rege atque duce ad certam dietam inter ipsos conceptam prope Nyvellam personaliter congregatis, ipse dux petiit et requisivit regem, quatenus absque ulteriori dilatione dictum suum pronunciaret; et e converso rex petiit a duce, quod portas et muros de Valkenborch primitus repararet et reficeret, quo facto utique dictum suum indilate proferret, quia in sui dedecus, vilipenpendium et jacturam porte et muri predicti fuerunt confracti, in quo ipse dux, ut rex asseruit, se male premunivit. Dux respondit, quod se bene premunivit; rex respondit, quod male; dux duplicavit, quod bene, et ultra quod ipse rex non possit negare, quod quodam tempore, quo ambo ultimate fuerunt Lovanii mutuo loquentes, dux dixit tunc ad regem, postquam dictum suum tociens suspendit et protelavit, qnod ipse rex non caperet pro ingrato, quia ipse dux ex tunc intendebat procurare profectum suum, et melius facere quod posset contra predictum de Valkenborch. Rex hoc audiens verba ducis confessus est et non negavit; tunc dixit dux: « Quia verba mea sic dicta non negatis sed fatemini, ergo non male, » adjiciens: « Omni modo non cessabo commodum meum et dicti de Val- » kenborch incommodum facere, auxilio Dei et fidelium meorum. » Et hiis dictis, soluta dieta, ambo recesserunt animo indignanti: et antequam sol vergeret ad occasum, alter alterum proprium per nuncium litteratorie diffidavit.

Qualiter dux Brabancie castrum de Valkenborch cepit, destruxit et devastavit. Cap. CXIII.

1329 Dux vero Brabancie, reperiens et cognoscens se per regem Bohemie, suum cognatum et compatrem, fore deceptum, quem instantis tunc hyemis asperitas et aëris intemperies ad injuriam sibi illatam vindicandam soletenus

proficisci non paciebatur, victualia, ingenia bellica et alia pro expeditione futura necessario requisita medio tempore preparans et videns circa festum carnisprivii immediate sequens, cum exercitu valido comitum, baronum, nobilium, militum, vasallorum et ministerialium, hominum suorum, popularium communitate seclusa, exceptis hiis qui ad ingenia bellica regenda et qui pro fodinis et pro mineriis faciendis erant experti, transvadata Mosa, predictum castrum de Valkenborch, castrum, inquam, famosum et vix expugnabile, in quo fuit filius predicti Reynaldi, et secum plus quam trecenti viri armati ad prelium doctissimi, victualibus et aliis opportunis bene muniti et provisi, castris metatis, obsidione circumcinxit, quod die noctuque tam mineriis quam ingeniis et sagittis indesinenter insultando adeo oppugnavit, quod intranei in tantum lassati et vexati, diras dicti ducis incursiones continuas ferre non valentes, postquam ipse dux per novem septimanas dictam obsidionem incessanter continuaverat, sese et dictum castrum in manus dicti ducis reddiderunt, quos idem dux ex innata sibi clementia, de gratia speciali, salvis eorum corporibus, libere abire permisit, mensis maii die nona, anno Domini M° CCC° XXIX°.

Quod quidem castrum memoratus dux ad perpetuam rei memoriam fecit dirui et funditus demoliri; in quo fuit reperta una lebes sive olla enea, quam coci avi sui, scilicet Johannis primi, dum suo tempore dictum castrum obsederat, negligenter dimiserant in campis; quam lebetem sive ollam dux jussit deferri ad Brabanciam, que, ut dicitur, adhuc est in castro Trium Fontium : et inter ambas obsidiones, avi scilicet et nepotis, effluxerunt anni XL et septem hebdomade.

De salvagardia abbatisse et conventus de Porceto. Cap. CXV.

Pendente supradicta obsidione ante Valkenborch, prelibatus dux Johannes, tamquam superior advocatus monasterii de Porceto et bonorum ad ipsum spectantium, abbatissam et monasterium in sua suscepit deffensione et tutela speciali, prout in literis dicti ducis desuper confectis plenius continetur. Tenor vero dictarum literarum sequitur, et est talis : 1328

« Johannes, Dei gratia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux, uni-

versis presentes literas inspecturis salutem. Cum nos sumus superior advocatus monasterii de Porceto et bonorum ad dictum monasterium spectantium, notum facimus universis, quod nos, ratione dicte advocatie, abbatissam dicti monasterii dictumque monasterium, bona ejusdem universa et personas quascumque ad dictum monasterium pertinentes in nostra suscepimus et suscipimus deffensione et tutela speciali : quocirca mandamus firmiter senescallo nostro, justiciario et subditis nostris quibuscumque, per ducatum nostrum Lymburgensem ubilibet constitutis, presentibus et futuris, quatenus dictam abbatissam, ejus monasterium, bona et personas prenominati monasterii, ubique per ducatum Lymburgensem ab injuriis, dampnis et violenciis contra quoscumque viriliter deffendant, ex parte nostra, et in dictis bonis suis pacifice teneant et quiete, quotiescunque necesse fuerit, sine expectatione alterius mandati a nobis vel a nostris super eo ulterius habendi. Dictum mandatum nostrum tam diligenter per nos, senescallum, justiciarium et subditos nostros supradictos volumus adimpleri, ne ipsa abbatissa vel gentes sue de cetero ad nos propter defectum vestrum aliqualiter redire compellantur, hoc sub obtentu gratie nostre nullo modo dimittentes. Datum sub sigillo nostro in obsidione ante Valkenborch, dominica in Passione Domini, anno ejusdem M° CCC° XVIII° [1]. »

De anno coronationis imperatoris Ludovici, et epistola quam imperatrix scripsit matri sue in Hollandia existenti. Cap. CXV.

1328. Anno Domini M° CCC° XXIX° [2] Ludovicus rex, in Romana urbe cesareo dyademate coronatus, civitatem absque quovis obstaculo potenter introivit. Quapropter imperatrix hanc epistolam matri sue ad Hollandiam destinavit :

« Margareta, Dei gratia Romanorum imperatrix semper Augusta, nobili matrone predilecte genitrici sue gratiam et omne bonum. Cum ad ipsius laudem bonorum omnium conditor Deus, dividens singulis prout vult, statum nostrum grandevum ad culmen gratie singularis prerogative digna-

[1] Seu stylo novo 1329.

[2] Lege 1328.

tus fuerit sublimare. maternis vestris affectibus devotissime declaramus. quod in urbe, die XVII^a mensis januarii, multis dignitatibus, tripudiis. ceremoniis et quampluribus ornatibus ad hoc debitis et consuetis, in ecclesia beati Petri fuimus imperiali dyademate coronati. Datum Rome. anno Domini ut supra. »

De donatione propter nuptias per comitem Gelrie de comitatu Veluwe facta domine Alionore[1] *sorori regis Anglie, quam sine consensu ducis Brabancie facere non potuit, quia idem comitatus ab ipso in feudum tenetur*[2]. Cap. CXVI.

Preterea est sciendum, quod Johannes dux Brabancie, ob preces Rey- 1331.
naldi comitis Gelrensis et Zutphaniensis promiserat, quod dominam Alionoram sororem regis Anglie, cum qua ipse comes matrimonium contrahere intendebat, in comitatu Veluwe ac in bonis suis de Elst, de Ghent et de Angheren, necnon filios et filias ex ipsa procreaturos, post mortem ipsius comitis deffendere et tueri. Idem comes pro se et suis successoribus dicto duci et successoribus suis promisit ipsos a promissione hujusmodi indempnes observare, salvo predicto duci homagio et dominio, que in dicto comitatu de bonis suis in feudum ab ipso dependentibus dignoscitur obtinere, ita quod eidem duci et successoribus per promissionem predictam in homagio et bonis predictis nullum valeat prejudicium generari, prout in literis dicti comitis desuper confectis tenoris infrascripti plenius continetur.

Et sciendum est, quod, qualiter comitatus de Veluwe a duce Brabancie tenetur in feudum, habetur supra, ubi scribuntur gesta Heinrici hujus nominis Lotharingie et Brabancie ducis primi.

Tenor dictarum literarum, de quibus proxime fit mentio, sequitur et est talis :

« Nos Reynaldus, comes Gelrensis et Zutphaniensis, notum facimus universis, quod, quia nobilis ac magnificus princeps, dominus ac consan-

[1] Seu *Alianore* (Elionora).

[2] Cfr. Nyhoff, *Gedenkwaardigheden uit de geschiedenis van Gelderland*, t. I p. 263 et seqq.

guineus noster predilectus Johannes, Dei gratia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux, ad precum nostrarum instanciam promisit suis literis patentibus quod dominam Alionoram sororem domini regis Anglie, cum qua matrimonium contrahere intendimus, in terra nostra, que Veluwe dicitur, et in bonis nostris de Elst, de Ghent et de Angheren, necnon filios et filias, quos ex ipsa procreabimus, in comitatibus et dominiis nostris, unacum militibus, vasallis, scabinis, consulibus et communitatibus villarum seu oppidorum nostrorum, post mortem nostram deffendere et tueri, prout in literis ejusdem domini nostri super hoc confectis plenius continetur[1], nos promisimus et presentibus eidem et suis successoribus promittimus bona fide, quod ipsum et successores suos a promissione hujusmodi indempnes penitus observabimus, pro nobis et nostris successoribus, et illesos, salvo eciam prefato domino nostro duci homagio et dominio, que in nobis et bonis nostris in feudum ab eo dependentibus dignoscitur obtinere, et que ab ipso de jure tenere debemus, ita quod ipsi et suis successoribus per promissionem predictam in homagio et bonis predictis nullum valeat prejudicium generari. Datum anno Domini M° CCC° XXXI°, feria quinta post festum sancti Remigii confessoris. »

Qualiter per imperatorem Ludovicum creatur in ducem Reynaldus comes Gelrie, qui contraxerat matrimonium cum domina Alionora sorore Eduwardi regis Anglie, necnon de dicti Reynaldi predicta uxore et liberis procreatis ex eisdem. Cap. CXVII.

Item supradictus Ludovicus imperator creavit Reynaldum comitem Gelrie, qui contraxerat matrimonium cum Alionora sorore Eduwardi regis Anglie, in ducem, et fuit primus dux Gelrie, qui de dicta domina Alionora genuit duos filios: scilicet Reynaldum, qui duxit in uxorem Mariam juniorem, filiam Johannis tercii hujus nominis ducis Brabancie, et Eduwardum, qui duxit Catharinam, filiam Alberti ducis Bavarie et comitisse Hannonie et Hollandie. Quo Eduwardo defuncto, ipsa domina Catharina, previa

[1] Exstant apud Nyhoff, *op. cit.* t. I p. 271, sed sine anni nota.

dispensatione apostolica, duxit Wilhelmum de Juliaco, postea ducem Gelrie et Juliacensem.

Est verum, quod prelibatus Reynaldus dux, ipso tunc comite existente, duxerat in uxorem Sophiam filiam Florencii Berthout domini Mechliniensis: qui quidem Florencius descendit a Waltero Berthout et ejus uxore, nomine Maria primogenita, comitissa Alverni, que fuit filia primi Heinrici et soror secundi Heinrici, ducum Lotharingie et Brabancie. De qua siquidem Sophia dictus tunc comes Reynaldus suscitavit tres filias, quarum una mansit virgo, et fuit abbatissa in novo monasterio dicto Ten Nieuwen Cloostere; alia filia duxit comitem Clivensem primo, et ipso defuncto comitem Blesensem, dictum *Van Bloes*, a quibus nullam prolem habuit: tercia vero filia duxit Wilhelmum, secundum ducem Juliacensem, qui de dicta filia genuit Wilhelmum postea ducem Gelrie et Juliacensem suprascriptum, qui decessit sine liberis, et Reynaldum, post obitum fratris eciam ducem Juliacensem et Gelrie, qui duxit in uxorem filiam comitis de Harcourt, qui nulla prole relicta ex eadem decessit. Genuit eciam Juliacensis dux secundus ex predicta uxore sua unam filiam nomine Johannam, quam duxit in uxorem Johannes dominus de Arkele, et habuit cum ea in dotem dominium terre Mechliniensis, ex qua ipse dominus de Arkele genuit Wilhelmum, qui nullam prolem relinquens interiit in bello apud Gorinchen, anno Domini M° CCCC° XVIII°. Genuit eciam ex eadem unam filiam Mariam nomine, que ex domino de Egmonda, ejus conjuge legitimo, genuit Arnoldum ducem Gelrie et Juliacensem ac comitem Zutphanie modernum, anno Domini scilicet M° CCCC° XLV°, et Wilhelmum dominum terre Mechliniensis. Attamen ducatus Juliacensis per alium occupatur, ut infra patebit.

Qualiter Philippus rex Francorum requisivit Johannem ducem Brabancie, quatenus in ipsum compromitteret de contentione suborta et pendente inter ipsum ducem et Johannem regem Bohemie et Reynaldum de Valkenborch: quod dux facere recusavit. Cap. CXVIII.

Subsequenter vero, demolitis castro et oppido et Reynaldo de Valkenborch exterminato, Johannes rex Bohemie eundem Reynaldum secum

ducens, Philippum regem Francorum adivit : ad quorum instanciam, certa prius per ipsos informatione sibi facta, idem rex Francorum dicto duci Brabancie literatorie significavit, qualiter Johannes rex Bohemie et Reynaldus de Valkenborch de omnibus et singulis contentionibus et questionibus inter eosdem ex una, et dictum ducem parte ex altera usque ad hanc diem subortis et pendentibus, de alto et basso in ipsum compromiserunt, promittentes, sub bonorum suorum omnium obligatione et aliis cautionibus adjectis, tenere, servare et complere, quidquid ipse rex super hiis et eorum singulis duxerit ordinandum et dicendum.

Quapropter eundem exhortando attentius requisivit, volens et desiderans quod ipse dux pari modo se de omnibus et singulis contentionibus et questionibus premissis in dictum regem compromitteret, et se ipsius ordinationi submitteret indilate.

Dux autem, auditis dicti Francorum regis literis et intellectis, de requisitione ipsius multum admirabatur, attento quod non erat sibi subditus, neque castra, civitates nec terram ab ipso tenebat. Porro consilio prehabito solemnem ambasciatam versus eundem regem destinavit, ad animum ipsius debite informandum de omnibus et singulis inter ipsum ducem et regem Bohemie ac Reynaldum de Valkenborch hactenus habitis, gestis atque factis, et insuper ejusdem ducis excusationem faciendam, quod non caperet pro ingrato, quod predictis pensatis nequaquam super premissis compromittere neque se submittere intendebant.

Qualiter et ob quam causam rex Francorum ducem Brabancie diffidavit. Cap. CXIX.

Deinde contigit, quod dominus Robertus d'Artois, alias de Arthesia, qui per memoratum regem Francorum juxta limites regni sui fuerat proscriptus, venit in Brabanciam ad ducem Johannem suum cognatum, asserens se injuste, contra Deum et justiciam, extra Franciam fore eliminatum, implorans pro tanto ejusdem ducis sui cognati consilium et favorem, et quod in terra sua Brabancie sub sua deffensione et tutela morari posset et conversari suis sumptibus et expensis.

Quod dictus dux prelibato domino Roberto suo cognato, parentele et

consanguinitatis intuitu, animo libenti duxit favorabiliter annuendum, dum tamen ex eadem terra sua Brabancie eundo et redeundo neminem damnificaret.

Quod dum ad ipsius regis aures pervenit, contra dictum ducem valde commotus, ipse rex eidem duci per suas patentes literas districte precipiendo mandavit, quatenus indilate post predictarum suarum receptionem literarum, omni excusatione semota, predictum dominum Robertum extra dictam suam terram Brabancie faceret recedere, et in eandem amplius non receptaret, aut ipsum captivatum sibi destinaret, alioquin indignationem suam nosceret se graviter incursurum.

De quo siquidem precepto prefatus dux admirari non sufficiens, pluribus ex causis, tum quia terra Brabancie pro majori parte esset suum liberum allodium, et reliquam partem a sacro Romano imperio tenebat in feudum, tum quia non esset corone Francie subditus, tum eciam quia nullam terram nullaque castra a dicto rege tenebat, cur ergo suum cognatum, qui per invidiam dolose et injuste extra Francie limites erat proscriptus, extra suam terram Brabancie exularet, aut in manibus dicti regis captivum transmitteret? Quibus attentis, ipse dux regis precepto parere recusavit. Quod dictus rex egre ferens, eundem ducem propterea diffidavit.

De rege Bohemie, necnon aliis principibus ecclesiasticis et secularibus, comitibusque, baronibus et terrarum dominis, numero XVI, qui contra supradictum Johannem Brabancie ducem se confederantes, eumque diffidantes, et propter hoc in oppido Sancti Trudonis convenientes, ipsum invadere proposuerunt et exterminare presumpserunt. Cap. CXX.

Dum autem ad supradicti Johannis regis Bohemie et Polonie comitisque Lucemburgensis noticiam pervenit, Francorum regem prelibatum ducem Brabancie diffidasse, gavisus fuit gaudio magno, sperans cum auxilio ejusdem Francorum regis et aliorum principum infrascriptorum in dicti ducis exterminium ad suum intentum pervenire. Quapropter adivit regem predictum, cum quo contra ducem antedictum ligam iniit et confederationem, et tantum apud eundem regem procuravit, quod ipse rex dedit

antefato regi Bohemie plenariam potestatem sui ex parte principes tam ecclesiasticos quam seculares acquirendi et ipsis stipendia promittendi, et ordinandi ut sepefatum ducem diffidarent, et ipsum terrasque suas hostiliter invaderent, tali adjecta conditione, si hujusmodi terras vincendo superare et conquestare possent, quod ipse Francorum rex de ipsius regis Bohemie consilio ad hoc operam daret efficacem, suumque auxilium ad hoc prestaret, quod easdem terras, sicut premittitur, vincendas inter se traderet dividendas atque consequendas, puta cuilibet ipsorum suam earundem terrarum, prout sua exegerint merita, debitam portionem. Sub quibus conditionibus, modis et formis memoratus rex Bohemie, ex parte prelibati Francorum regis, vigore potestatis per eundem regem sibi attribute, acquisivit principes et dominos subsequentes : scilicet archiepiscopos Coloniensem et Trevirensem, episcopum Leodiensem, conestablem Francie, comites Barensem, Gelrie, Juliacensem, Namurcensem, Lossensem, Seynensem, Virnenburgensem, Catsenellebogensem, dominos de Bellomonte et de Valkenborch : qui omnes se mutuo contra predictum ducem confederaverunt per modum suprascriptum : et ad ipsorum in premissis intentionem atque propositum ad effectum deducendum omnes predicti, excepto Francorum rege, certo die in oppido Sancti Trudonis manu armata cum magna potentia convenerunt.

Dux vero ad resistendum eis se preparans ad arma, oppidum suum Leeuwense cum militibus et militaribus communivit, et propria in persona prope Hellesem[1] in campis castra metatus est et tentoria fixit, ubi sui barones, milites, nobiles, vasalli, ministeriales atque communitates applicuerunt, parati pro jure sui domini et patrie deffensione vivere atque mori, nullum aliunde tunc temporis auxilium habentes, demptis tribus militibus de terra Flandrie, dicti ducis feodalibus et vasallis.

[1] Helissem, abbatia virorum ordinis Præmonstratensis, exiguo ab oppido Sancti Trudonis spatio dissita.

Qualiter dux Brabancie suis hostibus bellum indixit prope Hellesem, qui ipsum debellare non audebant. Cap. CXXI.

Quando vero memoratus dux, sicut premittitur, suo cum exercitu in campis prope Hellesem extitit, supervenit pluvia per duodecim dies continue durans, que fuit adeo magna, terramque tantum inebriavit et tam profunde mollificavit, quod currus et equites nullibi ingressum vel egressum vix habere potuerunt : quare dux ibidem maxima cum displicentia perseverans hostes suos aggredi nequiebat.

Quo tempore applicuit apud eundem ducem Wilhelmus comes Hannonie et Hollandie, sedens in vehiculo pompatico, quod per duos dextrarios ferebatur : qui tanquam consanguineus et amicus ambarum partium predictarum suas vires libenter interposuisset, et inter easdem cum earum consensu tractasset, quod guerre pacis consequende ad certum tempus per treugas suspense [1]. Qui de prelibati ducis intentione desuper responsione prehabita, indilate ad oppidum Sancti Trudonis versus alios dominos se duxit transferendum : cum quibus super materia predicta colloquio prehabito, quia ipsos nec ad treugas neque ad pacem reperit inclinatos, sed potius sese jactantes antedictum Brabancie ducem ejusque terras velle pessumdare, et eorum viribus vincere et superare, ejusdem ducis fortitudinem tanquam baculum arundineum existimantes contra vires ipsorum, eciamsi unius regni potentia dicto duci foret adjuncta.

Que omnia prelibatus comes per ipsum sic audita sepefato duci significari curavit, et sic inefficax, quod sibi displicuit, abinde recedere et ad propria reverti se disposuit.

Dux autem, hiis auditis, in animo revolvens magnum dedecus fore et ignominiosum, si propter suorum fastidiosam hostium ambitionem et in ipsorum vindictam, terram allodii Sancti Lamberti pauperesque incolas rurales in eadem degentes incendiis, cedibus et rapinis vastaret, sed multo fore laudabilius fortune vices cum eisdem hostibus experiri, non diu cunctatus eadem die, que fuit dominica, IX^a^ maii anno Domini M° CCC° XXXII°, per suum heraldum armorum in manu sua ensem nudum deferentem et eva-

[1] Deest vox *manerent* vel similis.

ginatum. eisdem suis hostibus bellum publicum indici, diemque mercurii ex tunc immediate sequentem prefigi, et certum campum sive locum in extremis sue terre finibus, locum in quo iidem hostes tunc fuerunt contiguum, vel quasi, et non longe ab ipsis, designari fecit, petens interim ab incendiis et rapinis cessari, et per eundem suum heraldum sibi intimari, an predictos an alios diem et locum vellent acceptare. Suprascripti vero principes et domini prelibati, ducis animositatem atque audaciam admirantes, secum subire bellum contradixerunt, et rex Bohemie dicto duci specialiter fecit intimari, quod, licet ipsum bello lacessere non intenderet, tamen infra duos aut tres dies terras suas hostiliter invaderet, denuo recederet et iterum rediret, dum sibi placeret, continua dampna illaturus. Et, licet prelibati principes et domini hujuscemodi responsa dicto heraldo dederant, nichilominus antedictum comitem Hollandie, ut reverteretur affectuose deprecabantur, ut ipsorum ex parte cum dicto duce treugas duraturas per sex hebdomadas ex tunc immediate subsequentes tractare dignaretur.

Dux vero, ad compescendam hujusmodi suorum hostium presumptionis insolenciam, cum fidelibus sui exercitus commilitonibus, nobilibus atque communitatibus, fortuneque vices cum hostibus unanimiter anhelantibus, intrepide ultro versus locum assignatum ipsis obviam processit, ubi miles effectus caractereque militari decoratus quamplures nobiles cingulis militaribus precinxit.

Qua quidem die, sole jam ad occasum declinato, prefatus comes ad predictum ducem veniens, dum secum de supradictis treugis tractare cepisset, sepefati hostes, ab insolentiis non desistentes, villas rurales circa limites terre Brabancie situatas incendiis et rapinis vastare ceperunt; quibus idem dux vicibus iteratis mandavit, ut ab incendiis desistentes in loco fixo manerent, ejus adventum expectantes, secum bellando fortune vices experturi: nam in ipsum vincendo majorem quam in igne et rapinis fructum reportare possent. Qui certamen inire formidantes, nullibique fixe morari volentes, hinc inde circa predictos limites soletenus pervagari curabant.

1332. Dux igitur videns quod ipsos bello aggredi nequiret, tandem importuna dicti comitis Hollandie victus instantia, treugas per sex septimanas duraturas invitissime acceptavit; et sic supradicte partes hinc inde recedentes ad propria remearunt, mensis maii die XII^a^, anno Domini M° CCC° XXXII°.

Qualiter dux ad preces regis Francorum ad ipsum ivit in Franciam, et pacificati et confederati, post contracta inter ipsorum filium et filiam sponsalia, ab invicem recesserunt et abierunt. Cap. CXXII.

Denuo memoratus Francorum rex, percipiens quod supradicti sexdecim principes et domini predictum ducem et ejusdem terram Brabancie, quemadmodum sibi promiserant, non expugnassent, et inefficaces recedentes stipendia ab ipso recepta in vanum expendissent, fuit de ipsis male contentus: et, consilio prehabito, rex ipse suos ambaxiatores solemnes, scilicet archiepiscopum Senonensem et episcopum Morinensem, ad predictum ducem destinavit, tunc temporis Bruxelle existentem, qui, presentatis eorum literis credencialibus, dicto duci in sui presencia consilii inter alia exposuerunt, qualiter dictus rex eundem ducem deprecabatur seriose, quatenus, sub suo salvo et securo eundi et redeundi conductu, ad ipsum in Francia quanto citius velit venire, secum tractaturus de nonnullis arduis negociis, statum, honorem et profectum utriusque ipsorum quam plurimum concernentibus.

Dux autem de suo consilio consilii regis ambaxiatoribus fecit responderi, et ad amicabilem dicti regis petitionem proficisci properavit.

Rex igitur dictorum suorum audita relatione ambaxiatorum, eidem duci, dum sibi suus innotuit adventus, usque Compendium obviam processit cum rege Navarre et comite d'Estampes, dicti ducis in tercio gradu consanguinitatis (*affinibus*), atque comite Alanconie, filiorum dicti ducis avunculo, ac nonnullis aliis Francie regalibus, qui de ejusdem ducis adventu multum congratulabantur.

Qui quidem Francorum rex atque dux diversis colloquiis et amicabilibus prehabitis tandem confederationem mutuo inierunt, et inter cetera (*inter*) filiam regis et Johannem filium ducis sponsalia fecerunt, et sic invicem pacificati, reconciliati et confederati cum gaudio et letitia recesserunt.

Principes autem et domini, qui contra dictum ducem conjuraverant, et ibidem eciam advenerant, fuerunt per dictum regem, de ipsorum machinationibus injustis debite informatum, rejecti et repulsi, et sic eorum nefandis desideriis frustrati cum merore recesserunt ad propria remeantes, qui tamen tanquam coadjutores regis fuerunt cum eodem duce pacificati.

Prout in predicto tractatu fuerat concordatum, dictum suum filium predicto regi duxit transmittendum; sed, proh dolor! dicti regis filia ex tunc non diu vitam duxit in humanis: quare idem rex dicto duci filium suum remisit.

Qualiter post pacem inter regem Francorum et ejus adherentes atque ducem Brabancie factam, nova guerra occasione oppidi Mechliniensis et fluminis Scalde orta inter comitem Flandrie, sibique adherentes, numero XVII, ex una, et ducem Brabancie parte ex altera Cap. CXXIII.

Facta siquidem pace inter regem Francorum sibique adherentes principes et dominos ex una parte, et ducem Brabancie ex altera, Ludovicus comes Flandrie emit erga episcopum et capitulum Leodiense, necnon erga Reynaldum comitem Gelrie, tanquam tutorem filie sue, quam genuerat ex Sophia filia Florencii Berthout, quondam domini Mechliniensis, eidem sue filie per mortem dicte matris sue devolutum, omne jus quod ipsis competere poterat in oppido Mechliniensi cum suis juribus et pertinentiis. Et quia burgenses et incole ejusdem oppidi dicto comiti parere et ab obedientia antedicti ducis Brabancie, qui ipsos tanquam suos subditos ab injuriis et violentiis deffendere conabatur et tueri, resilire recusabant, ipse comes Ludovicus tantum procuravit, quod, exceptis archiepiscopo Trevirensi, comite Barrensi et connestabulario Francie, omnes alii principes et domini, qui dudum contra prefatum ducem ad supradicti regis instanciam conjuraverant, unacum eodem comite Ludovico, ac Wilhelmo comite Hannonie et Hollandie, ac Wilhelmo ejus filio, comite Zelandie, una dierum in oppido Valenchinensi se confederantes, antedictum ducem Brabancie una die et hora, in aula castri sui Furensi tunc existentem, hostiliter diffidaverunt, proponentes inter se eundem ducem ejusque terras ab omni fine et loco ultra et circa Mosam adeo invasuros, quod ipsos vi armorum convincerent et subjugarent: de quibus sic subjugatis et conquesitis ipse comes Ludovicus sua pro parte tantum habere voluit supradictum oppidum Mechliniense et flumen Scalde, cum juribus et pertinentiis suis universis: cetera vero per ipsos unanimiter contra dictum ducem subjuganda et conquirenda alii inter se portionibus debitis partiri

deberent. Et est sciendum quod, antequam ad publicam guerram devenit dux et comes certas inter se dietas tenuerunt, in quibus ipse dux comitem requiri fecit, quatenus in flumine Scalde sibi nullum prestaret impedimentum: sed ipsum illo pacifice gaudere permitteret, quemadmodum sui antecessores duces Brabancie illo usque ad hec tempora usi et fruiti fuerunt: quodque se deportaret de emptione oppidi Mechliniensis, quod infra metas sui ducatus Brabancie consisteret, et flumen per ipsum decurrens sibi pertineret, ejusque advocatus superior post imperium esse dignosceretur: et pro tanto, si venditio fieri deberet, ipse in emptione potior haberi deberet. Ad que ipse comes aures advertere dedignabatur, dicens inter cetera quod flumen Scalde et oppidum Mechliniense sua extrema bona esse et permanere deberent: et fecit de facto impediri, quod dicto oppido de terre Flandrie nulla victualia possent evenire, fecitque omnia incolarum Mechliniensium bona in Flandria constituta arrestari et ad mensam suam applicari.

Qualiter ducatus Brabancie et Lymburgensis circumquaque finibus inimicorum adeo fuerunt circumdati et interclusi, per spacium novem mensium et XVIII dierum, quod nullus tute ingredi vel egredi poterat. Cap. CXXIV.

Postquam vero supradicti septemdecim principes et domini predictum 1332
dominum ducem Brabancie diffidarunt, nitebantur totis viribus eundem ducem et ejus terras, tam ultra quam citra Mosam, dampnificare, tenentes easdem terras circumquaque taliter circumdatas et conclusas, quod nulla victualia ipsis poterant advenire, quodque nullus easdem tute et non nisi magno periculo intrare poterat et exire : que tempestas incepit anno Domini M° CCC° XXXII°, ipso die sancti Martini, et duravit usque ad primam diem septembris anni Mⁱ CCCⁱ XXXIIIⁱ ex tunc immediate sequentis.

Dux autem in Domino confidens, quod salus sive victoria non in multitudine, sed potius a Deo sive de celo veniret, cupiens igitur fortune vices cum hujusmodi suis inimicis una die experiri, ipsis bellum indici fecit atque diem et locum prefigi et assignari : qui bellum inire recusantes, ejusdem ducis terras circa limites earumdem vastare conabantur.

Qualiter Flandrenses et Brabantini hinc inde alter alterius terras circa limites assultas vastarunt incendio et rapina. Cap. CXXV.

Inter principes prefatos primo guerrare incepit Ludovicus comes Flandrie, cujus gentes ex Denremonda prosilientes de nocte tunc in Brabancia domos combusserunt in Maldert et Lippelo ac in curta domini de Walcort, et deinde in monasterio Afflighemensi, et subsequenter in Assche, ubi dominus Wilhelmus de Craendonck cum paucis vibranti lancea in hostes irruens fuit interfectus. Dux vero hoc egre ferens Flandriam intravit manu armata, omnes villas usque ad Denremondam et Alostum incendio et rapina devastando. Antwerpienses vero totam terram de Wasia pervagantes igne et spolio destruxerunt.

Qualiter comes Barrensis, veniens in auxilium ducis cum nonnullis militaribus Brabancie, Flandrenses victoriose superavit in loco dicto Ten Hellekenne. Cap. CXXVI.

Deinde venit Eduardus comes Barrensis in adjutorium ducis cum trecentis galeatorum tunicis sive loricis squammatis armatorum, per terram inimicorum, scilicet Leodiensis, Namurcensis et Hannoniensis, transitum faciens, qui per dictum ducem, qui sibi obviam processit usque ad Nyvellam, fuit honorifice susceptus; qui ipsum ab inde in oppidum suum Bruxellense introduxit, quem deinde in Vilvordia cum suis collocavit, adjungendo sibi nonnullos milites et militares de Brabancia, qui secum terram deffenderent et hostes dampnificarent. Qui quidem comes una dierum, postquam sibi innotuit, quod comes Flandrie cum magna potencia hominum armatorum et apparatu bellico limites Brabancie intrarat, cum suis militibus et militaribus ducis predicti ex Vilvordia prosiliens, et facies adversus inimicos tendens, quibus XXVI armigeri venientes ex Bruxella in itinere se adjunxerunt, memoratos Flandrenses debellarunt et victoriose vicerunt in loco dicto Ten Hellekenne, in quo bello fuerunt plus quam trecenti[1]

[1] Alii scribunt *centum quinquaginta.*

Flamingi capti et Bruxellam ducti. In quo quidem bello interfuerunt cum prefato comite Barrensi, quos secum adduxerat, comes de Salmen, comes de Viana, et dominus[1] Grimbergensis, dominus Theodoricus de Wallecourt, dominus Johannes de Levedale, dominus Arnoldus de Hellebeke, dominus Walterus de Huldeberge, dominus Hermannus de Osse, dominus Johannes de Crupelant, dominus Gisbertus de Wesembeke, cum XXVI armigeris burgensibus, filiis burgensium Bruxellensium predictis.

Qualiter oppidum, de Thiele fuit captum et Landen combustum, et quedam alia hincinde acciderunt. Cap. CXXVII.

Circa idem tempus Gelrie comes oppidum Thiele, situm ultra Mosam in terra Gelrie, quod tunc ad ducem Brabancie pertinebat, cepit, et in manibus suis posuit cum villis de Zandwyck et Herwerden. Quod quidem oppidum dictus comes tam cito non cepisset, quam dux obsidionem bene levasset, si burgenses et oppidani ejusdem oppidi fuissent unanimes et concordes. Dux vero Brabancie cepit ad manus suas villas de Outhoesden, Vliemen, Edichusen et Engelen circa Mosam in terra ejusdem prope Buscoducis situatas, atque dominium terre Michliniensis tunc temporis ad comitem Gelrie spectans; cepit etiam dictus dux ad manus suas terram de Herpen pro tunc ad dominium de Valkenborch pertinentem.

Episcopus vero Leodiensis cepit et combussit oppidum de Landen, tunc temporis non muratum neque munitum, ut necessarium fuisset.

Qualiter oppidum s'Hertogenrode fuit obsessum per duos menses. Cap. CXXVIII.

Eodem vero tempore Johannes rex Bohemie et comes Luxemburgensis, Walravius archiepiscopus Coloniensis, Adolphus de Marcka episcopus Leodiensis, Reynaldus comes Gelrie, Wilhelmus comes Juliacensis, Johannes de Hannonia, comes Suessionensis et dominus de Bellomonte, cum nonnullis

[1] Pro *dominus* in cod. Miræi habetur *comes*.

aliis suis confederatis obsidionem posuerunt ante oppidum ducis, S'Hertogenrode appellatum, in ducatu Lymburgensi constitutum, que obsidio per duorum mensium spacium duravit. Qua siquidem obsidione perdurante, gentes armorum dicti ducis, quadam die ex Lymborch et Daelhem prosilientes, exercitui principum predictorum in eorum castris et tentoriis magnum dampnum intulerunt, cedibus, captionibus, spoliis atque predis; que quidem gentes sine aliqua renitencia cum eorum captivis et spoliis ad propria remearunt. In quo quidem oppido fuerunt capitanei, ex parte ducis, dominus de Steynvort et dominus Johannes de Horstwylre, milites strenui, qui viriliter et animose dictum oppidum custodientes deffenderunt per duos menses, quamdiu victualia et instrumenta bellica duraverunt; quibus deficientibus capitanei predicti, salvis eorum atque oppidanorum corporibus et bonis, oppidum in manus principum predictorum reddiderunt [1], sub tali conditione, quod si dux memoratus infra mensem, a die traditionis oppidi hujusmodi in antea computandum, eosdem principes in campis debellando vincere et victoriam reportare posset, ipsius oppidi dominus esset et permanere deberet, alioquin in manibus eorum permaneret. Et est utique verum et pro vero presumendum quod, si dictus dominus dux tot vexationibus a tot et tantis principibus suis circumvicinis sibi inflictis non fuisset prepeditus, utique infra supradictos duos menses obsidionem predictam levasset, et ipsum oppidum ab hostium suorum incursibus liberasset. Habuit enim tunc temporis XXXII tam oppida quam castra sive fortalitia, gentibus armorum, victualibus, instrumentis bellicis et aliis opportunis pro ipsorum deffensione necessariis communire, et contra insultus Flamingorum, Hannonensium, Namurcensium, Leodiensium, Zelandorum, Hollandorum atque Gelrie se et terminos patrie sue Brabancie deffendere et tueri.

[1] Scilicet circa 17 februarii 1333, seu stylo novo 1334.

Qualiter dux cum magna expeditione proficiscitur versus oppidum Rode, animo suos adversarios debellandi et ipsum oppidum recuperandi, et qualiter nonnulli principes de Francia advenerunt. Cap. CXXIX.

Postquam vero modus et fama captionis Rode ad sepefati ducis noticiam pervenerunt, ipse dux fuit iratus valde, quod sui officiarii et reddituarii in provisione victualium et aliorum necessariorum fuerant defectuosi; nihilominus tamen mente virum induens, intrepide, non obstantibus suorum hostium incursibus et impedimentis circumquaque sibi imminentibus, copiosum exercitum illico coadunavit, animo proficiscendi versus Rode, et pro recuperatione ipsius suos adversarios debellandi : quod celeriter fieri oportuit, attento quod finis mensis aderat, infra quem fortune vices cum hostibus experiri decrevit, alioquin mora sibi fuisset nociva.

Cum vero ipse ad proficiscendum paratus fuerat, supervenerunt sibi nova, qualiter nonnulli principes sibi consanguinei et affines, scilicet rex Navarre, comes d'Estampes et comes Alanconie, cum magna comitiva venientes ex Francia, ipsum ducem libenter adivissent, ad videndum si pacem inter ipsum et dictos ejus adversorios tractare possent : quos comes Hanoniensis per terram suam transire non permittebat. Quo audito, dux unacum comite Barrensi habens in sue expeditionis exercitu plus quam quatuor millia galeatorum lanceatorum, tunicis seu loricis ferreis et squammatis armatorum, Nyvellam adiit, animo ulterius progrediendi et supradictos principes per terram dicti comitis Hannoniensis vi armata conducendi. Quod ipse comes percipiens, eisdem principibus per suam terram libere transire permisit et annuit. De quo dux certioratus, quia tunc non restabant nisi tres vel quatuor dies, in fine quorum tempus conditionatum expirare debebat, incunctanter versus Mosam cum suo exercitu iter arripiens, et per comitatum Lossensem et deinde per oppidum suum Trajectense transitum faciens, applicuit de sero prope Rode in terra inimicorum suorum, quoniam in crastino finis mensis predicti expirare debebat, ubi nihil reperit nisi domos vacuas. Sed antequam ibi advenit, venerunt dicto regi Bohemie et aliis dominis in Rode constitutis nova, qualiter dux cum magno exercitu Mosam transvadasset, et quod in ipsa nocte prope Rode castra sua metari deberet : de quo ipse rex multum stu-

pefactus. dixit quod hec non posset credere. Et, quando per certos exploratores de dicti ducis adventu fuit certioratus. inclinavit caput suum et sic diu stetit. et siluit: et. quoniam petebatur ab ipso quare sic staret perplexus, respondit : « Ego cogito de cognato meo comite Flandrie. qui me » false et dolose decepit. quia promisit michi et aliis confederatis meis. quod » dictum ducem ita stricte teneret. quod Mosam nunquam transgredi auderet : de cujus ducis audacia et potencia eciam admirari non sufficio. » Dixerunt domini circumstantes : « Domine rex. sitis boni animi, quia » episcopus Leodiensis veniet vobis in auxilium tam potenter, quod eidem » duci viam precludet. et transitum suum per Trajectum et Mosam impe- » diet. » Tunc rex mandavit pro archiepiscopo Coloniensi. episcopo Leodiensi, comite Lossensi et aliis magnatibus. quod illico manu armata venirent, cum qua possent potencia majori. ad capiendum cete grande quod jam inter manus ipsorum advenit. quod procul dubio vivum aut mortuum per ipsos capi debere non dubitabat.

Qualiter dux vexillis explicatis per diem integrum se cum suis tenuit ante Rode, bellum exspectando. Cap. CXXX.

In crastino vero sancte Ghertrudis virginis, que fuit dies XVIII[a] mensis martii, memoratus dux suo cum exercitu Mosam transvadente applicuit de sero. ut premittitur. in terram hostium suorum prope Rode, ubi nulla victualia sed solum domos vacuas invenit. Et die sequenti, mane facto. in summo diluculo prelibatus dux. clangenti tuba exercitu suo coadunato. et deinde in campis ante Rode. vexillis suis explicatis. suisque gentibus ad debellandum adversarios in ordine debito positis, fuerunt sibi presentate certe litere diffidatorie ex parte comitis Lossensis. fuitque tunc sibi eciam reportatum. qualiter idem comes in terra sua pontes et passagia dirui et evelli fecerat. ne dux per dictum suum comitatum redire valeret: unde dux multum admirabatur. presertim cum idem comes. sibi transitum per suam terram liberaliter annuens et concedens. suum servicium sibi fecerat offerri. Fuit eciam duci relatum. qualiter Leodienses cum magna potentia se congregare disponebant ad ipsius ducis transitum per Trajectum atque Mosam impediendum.

Dux vero, ad hujusmodi reportata atque nova animum et aures non advertens, sed suum honorem illa die, que fuit ultima termini conditionati, intrepide servare volens, postquam ibidem usque ad horam primarum et amplius suos hostes, ad experiendum cum ipsis fortune vices, ad debellandum expectasset : quibus non comparentibus, misit ad ipsos versus Rode duos strenuos milites, scilicet dominum Johannem de Horstwylre et dominum Theodericum de Walencourt, qui ex parte ejusdem ducis predictos regem et alios dominos requisierunt, quatenus dicto duci suum oppidum Rode restituerent, aut secum in campis bellarent, ut, qui inter ipsos victoria potiretur, sicut fuerat conditionatum, dominus de Rode permaneret. Rex autem cum suis fecit responderi, si dux ipsos infra Rode vincere posset, quod tunc Rode rehaberet, quia secum in campis bellare non intendebat. Ad quod dictus dominus Johannes de Horstwylre respondit, quod ita non fuerat conditionatum, dum Rode ipsis fuit traditum; sed qui inter ipsos ex utraque parte in campis bellando victoriam reportaret, dominus de Rode esse manereque deberet. Quibus verbis hinc inde sic habitis, dixit dominus Johannes de Hannonia, comes Suessionensis et dominus Bellomontis : « Domine rex, et vos alii domini mei, videtur michi, » quod predictus dux nos visitat animo nos debellandi, et quod in isto » facto juste movetur : qui de sua petitione reportabit honorem, et re- » sponsio nostra in dedecus nobis redundabit, attento quod ipse dux non » visitat nos nisi animo debellandi nos, quem nos eliminare et exterminare » proposuimus, et modo contra ipsum in conspectu constitutum in campis » ipsum aggredi et debellare non audemus. »

Qualiter dux remeavit usque Brabanciam, et terram Lossensem devastavit.
Cap. CXXXI.

Dux, suorum percepta responsione adversariorum, fuit iratus valde, quod injuriam per ipsos sibi illatam ulcisci nequivit, neque desuper cum eisdem bellando fortune vices experiri; nihilominus consilio prehabito deliberavit adhuc eosdem suos adversarios per totam illam diem in campis exspectare, prout fecit usque ad noctem; quod sibi atque toti exercitui et equis ipsorum fuit multum durum, propter pluviam que per totam diem

duravit habundanter; ipse etiam neque equi ipsorum nullam ceperant refectionem, quia victualia secum non adduxerant, sperantes brevi temporis spacio bellandi finem habere. Nocte autem superveniente, retraxerunt sese collocantes in campis et domibus vacuis in terra suorum inimicorum, non longe a Rode, melius quo poterant, cibum nec potum pro ipsis nec pabulum pro equis habentes; victualia enim, que ipsis advenire debebant, fuerunt per hostes ablata, ut sepe in guerris contingere consuevit. Mane autem facto, et exercitu clangenti tuba coadunato, dux cum suis se transtulit versus Trajectum, causa ulterius progrediendi versus terram suam Brabanciam, ad deffendendum eandem contra incursus Flamingorum, Zelandorum aliorumque suorum hostium circumvicinorum. Episcopus vero Leodiensis fuit cum magna potencia in motu, qui si tempestive supervenisset, forsitan ingressum ducis in Trajectum impediisset. In crastinum dux ex Trajecto proficiscens, per terram Lossensem, Beringhen et omnes alias villas rurales, omniaque alia que reperit extra castra et oppida murata inter Trajectum et Brabanciam depopulando devastavit incendio, gladio atque preda sive rapina, unde quamplures ex spoliis acquisitis et hominum captionibus fuerunt ditati.

Preterea est sciendum quod, dum capitaneus, quem dux constituerat in oppido suo de Sittart, percepit quod ante Rode inter ducem suum dominum et ejus adversarios prelium committi deberet, illico se transtulit versus Rode ad faciendum domino suo assistentiam, licet ad hoc non fuerat vocatus, quo absente et in itinere existente, oppidani predicti oppidi traditorie tradiderunt illud filiis domini de Valkenborch, quod comes Gelrie tandem ex manibus eorum extorsit, licet sibi fuerint consanguinitate conjuncti. Et sic Sittart, quod per dictum ducem fuerat olim captum hostiliter, et liberaliter ducatui Limburgis adjunctum, per negligentiam et dolum forte predicti capitanei et aliorum custodum fuit captum et a terra Lymburgensi alienatum : quod utique non accidisset, si capitaneus ibidem permansisset, et alii custodes diligenter attendissent.

Qualiter nonnulli principes supranominati venerunt ex Francia ad ducem in Brabancia, et amicabilis compositor controversiarum eligitur. Cap. CXXXII.

Interim quod dux fuit in expeditione sua versus Rode, supervenerunt supranominati principes ex Francia, transitum facientes per Hannoniam in Brabanciam, et primo venerunt apud Nyvellam.

Dux adveniens ipsos secum duxit in Bruxellam una die jovis, ubi dux ipsis honorem et reverenciam debitos impendit. Die vero veneris sequenti dux unacum dictis principibus Francie suisque magnatibus et consiliariis et bonorum oppidorum suorum deputatis conclusit, in magno suo consilio, die lune ex tunc immediate sequenti, se iterum magna cum potencia manu armata in expeditionem profecturum versus Mosam: unde multi congratulabantur. Deputati autem predictorum oppidorum, qui dicto consilio interfuerunt, versus oppida sua, unde venerant, se retraxerunt ad se preparandum animo dicte expeditioni interessendi; sed die sequenti fuit predictum consilium et propositum totaliter immutatum et interruptum per principes Francie prelibatos, quorum precibus et instanciis dux, licet invite, convictus consensit treugas seu guerrarum abstinenciam certo tempore duraturas fieri inter ipsum et suos adversarios sepedictos. Denuo iidem principes tantum procurarunt, quod ipse dux et ejus adversarii ex utraque parte, de omnibus et singulis controversiis, questionibus sive demandis inter ipsos exortis, se compromiserunt in serenissimum principem dominum Philippum Francorum regem, tanquam judicem et amicabilem compositorem, et in ordinationem ipsius, qui suum dictum sive ordinationem pronunciare deberet prima die dominica post dominicam *Quasimodo* immediate sequentem.

Que quidem submissio facta fuit die sabbati ante dominicam Palmarum proxime precedentem, sub tali conditione quod terra Brabancie conclusa manere deberet, taliter quod nulla victualia adduci sive apportari deberent in eandem, donec predictus rex super premissis suam ordinationem pronunciasset. Sed rex suam determinationem dilatorie retraxit per quatuor menses et semis, in prejudicium non modicum et gravamen dicti ducis et suorum, sicut pro tunc ab ipsis asserebatur, ex eo permaxime quod,

quandiu rex suam sententiam distulit proferendam, nulla victualia ipsis poterant advenire. Sed Deus providit, ut statim valde notabiliter dicetur in rubrica sequenti.

De tribus ammirandis que acciderunt, quum Brabancia per novem menses conclusa permansit. Cap. CXXXIII.

Tempore vero quo dicta terra Brabancie per novem mensium spacium undique steterat conclusa, quod nulla victualia metu adversariorum apportari sive adduci poterant in eandem, acciderunt tria ammiratione digna.

Quorum primum fuit, quod de diversis partibus multi milites et militares affluxerunt in Brabanciam ad faciendum dicto duci assistenciam per terras inimicorum suorum, libere, secure et quiete, absque impedimento, quocumque transitum facientes; et quando ab ipsis petebatur: « Quo tenditis? » solum respondebant : « Illuc quo alii. » Quos omnes dux generose et benigne recolligens, ipsis largiflue salarium fecit tribui et elargiri.

Secundum fuit, quod per totum tempus prescriptum omnia victualia in dapibus atque potu, videlicet in bladis, panibus, carnibus et piscibus, vino et cerevisia, non erant propter ea in cariori foro quam antea tempore pacis; ymmo erant in meliori atque minori foro sive precio, quam erant in aliqua terra suorum adversariorum supradictorum.

Tercium fuit, quod per totum tempus quo Brabancia, sicut premittitur, stetit conclusa, nullibi in mari capiebantur alleca, sed, quam cito fuit aperta, alleca ubique capiebantur, sicut ante capi consueverant, prout tunc fuit a veridicis et fide dignis mercatoribus reportatum, qui per mare cum allecibus et aliis mercibus suas negociaciones facere et perscrutari consueverunt.

Qualiter Philippus Francorum rex, tamquam judex electus per partes predictas, suam ordinacionem pronunciavit. Cap. CXXXIV.

1334 Tandem vero memoratus Francorum rex, nominatus et electus judex, tractator et amicabilis compositor inter principes et dominos supra et infra

scriptos, scilicet Johannem regem Bohemie, Walramum archiepiscopum Coloniensem, sacri imperii per Italiam archicancellarium, Adolphum episcopum Leodiensem, Ludovicum comitem Flandrie, Nivernensem et Registecensem[1], Wilhelmum comitem Hannonie et Hollandie, Reynaldum comitem Gelrie et Zutphanie, Wilhelmum comitem Juliacensem, Johannem de Hannonia, comitem Suessionensem et comitem Bellomontis, Ludovicum comitem Blesensem et de Chyneo, Wilhelmum de Hannonia comitem Zelandie, Johannem comitem Namurcensem et Guidonem de Namurco, dicti comitis Namurcensis germanum, et ipsorum confederatos, adjutores et adherentes, ex una parte, et Johannem ducem Lotharingie, Brabancie et Lymburgis, confederatos, adjutores et adherentes, parte ex altera, super omnibus et singulis controversiis, questionibus sive demandis inter predictas partes motis et exortis, toto tempore preterito usque ad presentem diem a data sue pronunciacionis computandum, ordinavit, pronunciavit et determinavit, prout in literis ejusdem regis desuper confectis tenoris subscripti plenius continetur et habetur.

Tenor vero supradictarum literarum ipsius regis pronunciacionis, de quibus supra proxime fit mentio, sequitur et est talis[2] :

« Phelippe, par la grâce de Dieu roy de France, nommé et esleu juge, traitteur et amiable compositeur entre haulz hommes, noz chiers et amez amis et féaulx cousins, Jehan roy de Boème, Walleran archevesque de Couloigne, du sainct-empire par Italie archichancelier, Adolphe évesque de Liége, Loys comte de Flandres, de Nyvers et de Retest, Guillaume conte de Haynnau et de Hollande, Renaud conte de Gelre et de Sutphenne, Guillaume conte de Julliers, Jehan de Haynnau, conte de Soissons et sire de Beaumont, Loys conte de Blois et de Chiney, Guillaume de Haynnau, conte de Zélande, Jehan conte de Namur, et Guy de Namur, frère dudit conte de Namur, leurs alliez, adhérens et aydans, d'une part, et Jehan duc de Lotharinc, de Brabant et de Lymbourg, ses alliez, adhérens et aydans, d'autre part, sur tous les débas et discors meus entre lesdites parties, pour tout tamps passé jusques aujourd'uy, sicomme plus plainement est contenu ou compromis sur ce fait, pour oster toute matière et cause de débat pour le temps à venir, pour le bien de paix, l'amour et l'affection que noz

[1] Retest.

[2] Cfr. Butkens, t. I p. 410 et *Preuv.* p. 166.

avons à icelles parties, et ensenblement pour oster tous empeschemens par lesquelz le sainct voyage d'oultremer que nous avons emprins pouroit estre retargié ou empeschié : lequel compromis nous avons receu et recevons en nous, et nous enchargons, par vertu d'icellui compromis et povoir à nous ottroyé et donné, sicomme dit est, du consentement et voulenté des dessusdites parties, ordonnons, prononchons et déterminons, en tant comme il peut toucher a chascune partie desdits alliez contre ledit duc, et tous ensemble, en tant comme ilz sont confédérez contre luy, et semblablement en tant comme il puet toucher ledit duc contre chascune partie, et tous ensemble, en la fourme et en la manière qui s'ensuit :

» Premièrement, quant à ce qui puet toucher les alliances d'entre les dessusdits alliez, leurs adhérens et aydans, d'une partie, et ledit duc, d'autre, nous voulons, ordonnons et prononchons, par nostre sentence diffinitive, que lesdites alliances soient annulées, et pour nulles les prononchons, voulons, enjoignons ausdits alliez et confédérez contre ledit duc sur la paine dessusescripte, que désoremais ne usent de ladite alliance contre ledit duc, en nulle manière que ce soit, contre les gens de sa terre, ou ceulx qui sont et ont esté de l'aide du duc, et semblablement voulons et ordonnons que ledit duc, par cause desdites alliances, ne puist poursuire lesdits alliez ou aucun d'iceulx, ne leurs adhérens, ainchois voulons que toutes lesdites alliances soient tenues pour nulles, et ensi comme si oncques mais riens n'en eust esté faict ne parlé.

» Item, voulons et enjoingnons ausdits confédérez et alliez contre ledit duc, et semblablement audit duc, que désoremais ilz aient bonne amour l'un vers l'autre, sicomme charité et bonne affection et affinité le requièrent.

» Item, voulons et ordonnons que tous prisonniers, prins tant d'une part comme d'autre, soient renduz quittement et franchement, sans nulle ranchon, en quel lieu que ilz soient ou aient esté transportez, payant toutesfois telz despens raisonnables, comme ilz auront fait en la prison, sans plus leur demander.

» Item, se aucuns desdits prisons, tant d'une part comme d'autre, avoient promis et accordé aucunes sommes ou quantitez d'argent pour leur ranchon, lesquelles sommes, ou parties d'icelles, ne fussent encoires point paiées, du tout de ce qui est à paier nous les absolons et quittons, et voulons qu'ilz en soient tenuz quittes et absolz pour le temps à venir, sans

ce que nulz leur en puisse faire demande. Et semblablement absolvons, quittons et delivrons leurs plesges ou gaiges, se aucuns en avoient obligiez pour ladite causse. Si voulons et enjoingnons ausdits confédérez et alliez contre ledit duc, et semblablement audit duc, que tous lesdits prisons et plesges, quelconque part qu'ilz soient, desoubz leur povoir ou ailleurs, en quelconques lieu ou lieux transportez, par eulx ou aucun d'eulx, ou par leurs subgez ou aucuns de leurs subgez, ilz délivrent, quittent et facent délivrer et quitter eulx et leurs plesges ou leurs gaiges, en la manière que nous les avons délivré et quitté, comme dessus dit est.

» Item, nous voulons et ordonnons que tous ceulx qui, pour causse de ladite guerre, commocion et alliances dessusdites, ont rendu et quitté leurs hommaiges à leurs seigneurs ou seigneur de qui ilz tenoient, pour aidier à l'adverse partie, tant d'une part que d'autre, puissent recouvrer au leur et à tous leurs biens gisans soubz leurdit seigneur ou seigneurs, et en puissent user et joyer en la manière qu'ilz faisoient avant ladite guerre, par telle manière qu'ilz refacent nouveaulx hommaiges à leurs seigneurs, ainsy comme devant.

» Item, si aucuns biens desdits prisons, ou autres qui ne soient ou auroient esté prisonniers, aussi comme des prisonniers, tant d'une part comme d'autre, avoient esté venduz du seigneur ou seigneurs qui prins ou venduz les auroient, desquelz biens les termes ne seroient encore escheuz au jour de ceste présente ordonnance, nous voulons, ordonnons et déterminons que iceulx soient renduz quittes et délivrés ausdits prisons ou prisonniers ou autres que dit est, non contestant vente, aliénation ou obligations faictes au contraire, comme dit est. Et, pour oster toute doubte, voulons et déclairons que les blez, soilles et autres fruis cueillies et levez, mis en granges ou à sauveté, soient et demeurent à ceulx qui les ont faict cueiller, lever et mettre à sauveté.

» Item, nous voulons et ordonnons et par nostre sentence déterminons que tous les ranchons des villes, tant d'une part que d'autre, lesquelz ne sont encores pas payez, soient quittes et mises au néant; les plesges ou gaiges, pour ce donnez et obligiez, quittes et délivrés, jasoit ce que pour aulcuns desdits ranchons encore à paier, comme dit est, eust esté transporté aulcune chose ou cédé en personne d'autruy.

» Item, nous voulons et ordonnons que toutes les choses qui ont esté

faictes, ordonnées et traitiés par noz messages et commissaires envoyez à Cambray de par nous, c'est assavoir l'évesque de Thérouenne, l'abbé de Sainct-Nicaise de Rains, l'archidiacre de Tournay, Anselme seigneur de Joinville, Mahieu de Trie, nostre maréschal, Henri de Picquegni, Gui Turpin et Michel de Recourt, noz amez et féaulx conseilliers, entre lesdits alliez d'une part et ledit duc et ses gens, en la manière qu'il appert par lettres seellées des seaulx desdites parties et de noz messages et commissaires dessusdits, soit gardées et tenues entièrement desdites parties, et chascune d'icelles, sans venir encontre par nulles voies, quelles qu'elles soient, sur peine cy-dessus escripte.

» Desquelles ordonnances traitiez à Cambray le teneur s'ensuit de mot à mot :

« Accordé est entre le duc de Brabant, d'une part, et le conte de Gelre, d'autre, que le conte de Gelre, sa fille et leurs hoirs doivent jouir de leurs biens et héritages en Brabant, sans empeschement du duc de Brabant ou des siens, aussi franchement comme les seigneurs de Malignes les souloient tenir anchiennement.

» Item, la bourgoisie de la Chapelle est, sera et demourra héritablement annullée, en tant comme il touche au duc et au conte, sa fille et leurs hoirs.

» Item, les anchiennes bourgoisies des bonnes franches villes de Brabant demourront en leur vertu, par ensy que les bourgois, demourans et habitans desdites bonnes franches villes doivent joïr de leurs bourgoisies, leurs héritaiges gisans desoubz ledit conte, de sa fille ou de leurs hoirs, demourront en la subjection du seigneur, selon coustume, droict et usaige du lieu où les biens sont ou seront situez. Et, se les bourgois des franches villes viennent dedens la justice ou seigneurie dudit conte, de sa fille ou de leurs hoirs, et meffeissent en fait de terme et estoient prins présentement, on en doibt faire illecques d'iceulx bourgois droict et justice, selon le droit et sentence du lieu.

» Item, de l'avouerie de Herkenches et Meerwede, on en fera avoir au conte ung homme hossi souffisant comme celui fu qui vendi au duc ladite avouerie, et ensi il souffist au conte se il est trouvé qu'il soit du fief du conte, par enqueste de deux de par le duc et deux de par le conte, qui seront nommez de la besoigne de Tyle et de Heusden.

» Item, de la ville de Diegheden [1], jurront pour le conte sire Gautier de Boshem [2], et sire Everart Olst [3], chevaliers, du conseil du conte, que le meilleur droit on doibt tenir ladite ville du conte que du duc, et ensi on tienra la ville du conte. Et, se les deux chevaliers, ou aulcuns d'eux, par loyal essoine n'i puissent entendre dedens la Toussains, le conte pourra de présent en ordonner aultre ou aultres souffisans de son conseil, sans malengien, des six à ce nommez, et che duement ilz seroient à la Grève pardevant bons tesmoings dignes de foy : et par ensi on a vers le conte faict son debvoir, se il n'estoit ensi que le duc ne voulsist envoier ses gens pour oyr faire les sermens de ces chevaliers, à certain jour dedens le terme dessusdit.

» Item, du quart point est accordé que le duc fera apporter à la journée d'Amiens les lettres originaulx dont il vouldra remonstrer que le conte doit rester en son hommaige des signeuries de Herpe, de Meghem, de Meerbont, de Gerdoren, et de la justice que le signeur de Bortel [4] tient du conte, ou il y fera apporter la copie des originaulx soubs seel autenticque, et, se les originaulx ne sont apportez, le duc fera apporter et monstrer à la Grève lesdits originaulx dedens les trois sepmaines prochaines audit conte, ou à son conseil à ce ordonnés, après le département d'Amiens. Et oltant qu'il aparra par lesdites lettres originaulx que ledit conte en devra hommaige au duc, le conte luy fera par ensi que le duc doibt avoir illecques telle souveraineté comme il a aux aultres fiefs que le conte tient du duc, se aulcuns en tient. Et, se ledit conte ne tient nul autre fief du duc, si aura le duc telle souveraineté audit fief, comme les autres signeurs du conte ont ès fiefs qu'il tient d'eulx, et demourra le conte en paisible posession desdits biens, jusques à tant que lesdits originaulx soient monstrez, comme dit est. Et, se le conte ne monstre ou faict monstrer lesdits originaulx, dedens les trois sepmaines que dit est après le département d'Amiens, si demourront les signeuries dessusdites et leurs appartenances audit conte, et n'en devra nul hommaige au duc pour lesdits biens.

» Item, de la ville de Heusden [5] seront maintenant nommez deux hommes de par le duc et deux hommes de par le conte, qui s'infourmeront et diront par leurs serremens, dedens la Toussains, se ladite ville appartient de droit

[1] *Eecheden,* apud Butkens.
[2] Ibid. *Bosichem.*
[3] Ibid. *Sire Evert d'Ulf.*
[4] Ibid. *Bochstel.*
[5] Ibid. *Houtten.*

audit duc ou audit conte; et, se elle appartient au duc, elle demourra au duc sans extimation; et, se elle appartient au conte, elle sera extimée en deniers pour le conte, avec l'aultre terre et seigneurie de Heusden que le conte y tient: et, se les quatre ne povent accorder, le duc et le conte ordonneront ung bon souverain moyen, qui dira par son serrement auquel de ces deux seigneurs sera ladite ville appartenante de droit: et ne durera le pouvoir des quatre que jusques à la Toussains, et le povoir du souverain que jusques à Noël, et ledit souverain sera nommé à Amiens. Et en celle mesme manière auront les quatre et le souverain povoir de ordonner selon droit les départemens et disjonctions des signeuries d'entre le duc et le conte; et jurra le souverain de donner et mettre la chose à fin dedens Noël, et, s'il mouroit, on prendra ung aultre qui aura semblable povoir, qui seront nommés à Amiens.

» Item, de la ville de Bardewic, se le signeur de Craendonck, signeur Jehan de Raucourt, signeur Jehan de Helbec et signeur Thyéri de Walincourt [1], chevaliers, jurent pour le duc que ladite ville soit de meilleur droit au duc que au conte, elle demourra au duc franchement, sans extimation, comme dict est de Heusden; et che doivent-ilz faire dedens Toussains prochain. Et se ilz ne le jurent, elle sera estimée pour le conte, comme dict est de Heusden. Et quant ilz devront jurer, ilz le feront savoir audit conte, ou à ceulx qui seront de par lui ou pays, huit jours devant, et se doit estre faict à la Gréve. Et se le conte n'y envoie ses amis pour oyr les serremens, dont pourront-ilz jurer en la présence de bons tesmoings dignes de foy. Et se il y avoit aulcun des quatre qui eust loyal essoine de maladie ou de prison, le conte de Gelre desjà à Amiens en nommera quatre, desquelz quatre le duc en envoyera ung ou deux, selon l'essoine que les premiers quatre aroient.

» Item, du tiers de ving mille royaulx d'or, payez par le conte au duc pour le signeur de Francquemont, tesmoigneront les signeur de Kuyck et le prévôt de Wassemberge à Amiens devant le roy ce qu'ilz en scèvent: et la restitution qui en sera faicte, sera faicte dedens Noël.

» Item, le duc devantdit doibt à Amiens devant le roy nostre sire adhériter par voye d'eschange ledit conte et ses hoirs des villes de Tyle,

[1] *Walcourt*, apud Butkens.

Santwyck et Herwarden, et de toutes leurs appartenances, et ledit conte doibt adhériter ledit duc et ses hoirs, ossy par voye d'eschange, devant le roy de la terre et signeurie de Heusden, qui lui est escheue de la mort de Jehan de Heusden, et des appartenances, par telle condition que deux hommes de par le duc et deux hommes de par le conte, lesquelz ilz ordonneront, s'informeront et regarderont par leurs serremens la valeur des biens d'une part et d'autre, et chelui des deux signeurs qui aura eu les meilleurs biens, fera récompensation et amandement à l'autre en deniers, selon l'ordonnance des quatre qui seront nommez, à payer au terme que ilz diront: et se les quatre ne se pèvent accorder, le duc et le conte prendront souverain en ce cas, et l'ordonnance du souverain sera tenue d'une part et d'autre, et tous seront nommez à Amiens. Et le povoir des quatre doit durer jusques à la Toussains, et du souverain jusques à Chandeler prochain, et nullement ne se poura le souverain excuser que il ne die son dit dedens la Chandeler prochain. Celuy qui payera la récompensation en deniers par le dit du souverain, la doit payer à ces prochaines Pasques, sans contredit, et en fera bonne seurté souffissant.

» Item, toutes les lettres que ledit duc a des ancisseurs dudit conte ou du conte, faisans mention des alliances ou des services, seront portez à Amiens, en la main du roi de France nostre sire, du roi de Boème et du conte de Haynnau; et l'ordonnance qu'ilz en feront, sera tenue d'une part et d'autre.

» Item, ledit duc donra sa fille meisnie au fil dudit conte pour femme et espeuse, et donra ledit duc avec sa fille au fil dudit conte, pour causse du mariage et d'espousailles, entre la somme de IIII^xx mille et LX mille livres tournois, le gros tournois viez compté ou à compter pour seize deniers, telle somme comme le roy de France nostre sire, le roy de Bohème et le conte de Haynnau vouldront aviser et ordonner, à Amiens, et d'icelle somme que les dessusdits roys appelez, avec eulx le conte de Haynnau, aviseront ou ordonneront, ledit duc payera, à l'ordonnance du roy, en deniers comptans la moitié, et l'aultre moitié quant ledit mariage sera parfait et consommé. Et se ledit mariage se deffait par la mort de l'un des enfans, lequel mariage ne se puet ne se doibt deffaire nullement fors que par la mort de l'un des enfans, ledit conte doibt rendre audit duc ou à ses hoirs la moitié des deniers qu'il auroit eus pour cause dudit mariage, à deux ans. Et quant

ledit mariage sera perfait, ledit conte fera certain assignement en son héritège pour tous les deniers pour les deux enfans et leurs hoirs, à compter adès et à assigner pour dix deniers un denier héritablement. Et ledit conte (donra) le manoir de Zutphen avec sa closière sans prisie à son fil, et toute la conté de Zutphen par delà icelle, ainsi comme icelle deppent, ladite conté de Veluwe, hormis le tonlieu de Lobede, pour XII mille livres de terre par an dudit paiement. Et se ladite conté ne vault tant par an, ledit conte le doit bien parfaire, tout en autres bonnes rentes, sans malengien; et se le conte devantdit failloit avant que sondit filz, son filz demourra conte de Gelre et de Zutphen, sauf à la contesse qui maintenant est son douaire. Mais se ledit filz dudit conte avoit ou eust autres frères ou seurs, un ou pluseurs, de père et de mère de lui, il deveroit faire parchon raisonnable de son héritage, selon le conseil de ses amis et l'usage du pays. Mais se ledit filz mouroit avant ledit conte, et eust enfans malles, ceulx enfans malles auroient ladite conté de Zutphen par delà icelle, et la perfection de XII mille livres de terre dessusdites, et avec ce le tonlieu de Lobede héritablement. Et tout ce tendront en foy et hommaige à tousjours des contes de Gelre qui seront pour le temps. Mais se ledit filz avoit enfans non malles, ces enfans non malles auroient tant seulement les rentes et revenues de ladite conté de Zutphen par delà icelle, sauf au conte de Gelre pour le temps et à ses hoirs ledit tonlieu de Lobede, et la signeurie et justice de ladite conté de Zutphen, lesquels rentes et revenues les hoirs non malles tenront aussy en fief et hommaige des contes de Gelre qui seront pour le temps. Et la fille dudit duc aura pour son douaire VIII mille livres de terre dudit paiement, bien assignées aux us et aux costumes du pays, et pour l'amour des signeurs, le roy nostre sire fera avoir de nostre saint-père le pape telle dispensation pour les enfans qu'il appartiendra.

» Item, du signeur de Heynsberch est accordé que ledit duc lui paiera toutes les debtes que ledit signeur de Heynsberch pourra monstrer par bonne créable vérité, soit par lettres ou sans lettres, et le doibt monstrer dedens Nostre-Dame prochain, et son paiement lui sera fait dedens le Saint-Remi, car les termes sont longuement passez du paiement, se le duc ne puet monstrer paiement par confession des parties, par lettres ou par tesmoings.

» Item, de l'article du signeur de Heynsberch est accordé que, par le

commun assens du duc et du signeur de Heynsberch, l'on prendra huit hommes, qui seront hommes desdites parties, au Bach prez de Rode [1], et ordonneront des terres de Rode et de Heynsberch, et s'enformeront de combien sa justice et signeurie luy est restrainte et rapetichie, et, de tant comme ilz trouveront, sera rendu au signeur de Heynsberch le sien, et en ceste mesme manière sera-il fait pour le duc. Et tout ce se fera dedens le Saint-Remi. Et, à l'amonition dudit signeur de Heynsberch, envoyera le duc au lieu de par lui pour veoir la preuve. Et, se il avoit aulcuns des huit qui n'y peussent entendre, l'on en prendra d'aultres voisins, dignes de foy et de bonne nation, en lieu d'iceluy ou de ceulx qui seront empeschié, et s'enformeront en la meilleur manière que faire se pourra, et tendront les parties ce que les huit, ou la grigneur partie d'iceulx, raporteront et diront par leurs serremens.

» Item, monsigneur Jehan de Faukemont doit ravoir Herpen et la signeurie de Herpen, et la terre avec toutes leurs appertenances entièrement, et si à plein et si paisiblement, comme il la souloit tenir avant que guerre fuist.

» Item, accordé est que le conte de Gelre et sa fille et leurs hoirs, leurs hommes et leurs aidans, d'une part et d'aultre, tant du duc comme du conte, seront remis en paisible possession de leurs biens, et que dès maintenant en avant nulles des parties empirera, chargera ou grèvera les biens de l'autre partie, demourant adès l'eschange de Tyle, de Santwyck et de Herbeden et de la terre de Heusden, et des appertenances des lieux dessusdits, ainsi comme mention en est faite par devant, en sa force et vertu. sans malengien.

» Item, est assavoir que toutes les choses dessusdittes plaisent au conte, en tant que tous les aultres alliez s'accordent, par ainsi que bonne seureté souffissant luy soit faite, que tout luy soit bien et sans deffaulte tenu, parfait et accompli, et que ce mesme soit fait par le duc.

» En tesmoing de laquelle chose, nous duc et conte dessusdis avons mis noz seaulx à ces présentes lettres, avec les seaulx des messagers du roy de France nostre sire. Ce fu fait et donné à Cambray, en la présence desdits messagers, le second jour d'aoust, l'an de grâce M CCC XXXIV.

[1] *Au plus près de Rode*, apud Butkens.

» Item, nous roy de France dessusdit voulons, ordonnons et prononchons que une lettre de datte d'environ VII^{xx} et XI ans, et toutes aultres lettres, s'aulcunes y en a, contenantes alliances ou services, de quoy ledit duc peust et voulsist poursuire ou faire demande audit conte, donnés de temps des prédécesseurs des dessusdits duc et conte, soient de nulle valeur, et de certaine science les cassons et annulons, et cassez et annulez estre voulons et de nul povoir pour tousjours, et voulons et ordonnons que pour le temps passé, par vertu d'icelles alliances, ledit duc ou ses hoirs ne puissent faire demande audit conte ou à ses hoirs, et semblablement ledit conte ou ses hoirs audit duc ou à ses hoirs. Et si, comme dit est, pour le temps à venir lesdites lettres et alliances soient nulles, sans ce que aulcune des parties en puissent faire demande à l'autre, par nulle voye, quelle qu'elle soit. Et jasoit ce que lesdites alliances aions du tout annulées, néantmoins nous voulons, ordonnons et prononchons que ledit conte recognoisse tous les fiefz que il tient et doibt tenir audit duc, sicomme il pourra montrer souffissamment audit conte à tenir de lui, et faire ly teux deubs [1], et si avant comme lesdits fiefz et héritages requèrent, selon les us et les costumes des lieux ou les biens gysent. Semblablement voulons et ordonnons que ledit conte parface son serrement et léaulté de tous les fiefz que il tient dudit duc, et sicomme il se peut recorder, et ce feront lesdittes parties dedens Noël prochain.

» Item, voulons et ordonnons que tous les marchans et autres bonnes gens, tant de Brabant comme de la conté de Gelre, puissent aller et venir de l'un pays en l'aultre, user de leurs marchandises, passer et besoignier paisiblement aux us et aux costumes des pays des dessusdits duc et conte [2].

» Item, quant à ce qui touche le débat des XX mille royaulx d'or, pour chascun royal quinze viez gros, pardessus la somme de LX mille royaulx d'or que le duc a promis audit conte en faisant mariaiges de leurs enfans, voulons et ordonnons, avec le conseil de noz chiers et bien amez cousins et frères le roy de Boème et le conte de Haynnau, ledit duc des XX mille

[1] *Et faire les hommages*, apud Butkens.

[2] In alio cod. legitur : *besougner paisiblement, aux us et aux coustumes des pays, et sicomme ilz ont fait du tamps passé, espécialement du tamps des pères des dessusdits duc et conte.*

royaulx paiera X mille, avec la somme de LX mille royaulx, audit conte aux hommes qui s'ensuivent :

» Premièrement, ledit duc délivrera ledit conte envers Symon de Halle [1] et ses compaignons XII mil royaulx, dedens la feste Saint-Michel prochain venant, ou fera tant que ledit Symon se tendra pour content et bien payé, en telle manière que les royaulx dudit conte obligiez audit Symon pour lesdits deniers soient rendus audit conte quittement et franchement devant ladite feste Saint-Michel. Et, se toutte ladite somme n'estoit deue audit Symon ne à ses compaignons, nous voulons et ordonnons que tout ce qui demourra pardessus le paiement fait et accompli soit paié audit conte aux deux termes ensuivans : c'est assavoir XI mille et V cens royaulx à Pasques prochain ensuivant après ladite Saint-Michel, et XI mille et V cens royaulx au Noël prochain après ledit Pasques ; et l'autre moitié de toutte laditte somme ledit duc payera audit conte ou à sondit fils, quant le mariaige de leursdits enfans sera consommé, dedens l'année puis que le mariaige sera accompli. Et voulons et ordonnons que lesdits enfans soyent mis ensemble par mariaige, quant ils auront eage que droit requiert.

» Si voulons et ordonnons que, s'il advenoit, que Dieux ne vueille, que lesdits enfans ou l'un d'iceulx trespassast avant que ledit mariaige fust consommé, que ledit conte soit tenu a rendre toute ladite moitié, ou ce qu'il aura receu d'icelle, que dit est, audit duc ou à ses hoirs, aux termes qui s'ensuivent : c'est assavoir, la moitié d'icelle somme qu'il aura receue dedans l'an après la mort desdits enfans, ou de l'un d'iceulx, et l'autre partie de ladite somme dedens le second an prochain ensuivant. Et se il advenoit que après le mariaige consommé les dessusdits filz du conte et fille du duc mourussent sans laisser hoirs de leurs corps, toute la somme qui seroit donnée avec la fille dudit duc par mariaige au fil dudit conte, sera rendue audit duc ou à ses hoirs par le dessusdit conte ou ses hoirs : c'est assavoir la moitié dedens la première année hors leur mort, et l'autre moitié dedens la seconde année ensuivant. Et se, puis le mariaige consommé, la fille dudit duc mourroit sans hoirs, comme dit est, toute la somme donnée par mariaige avec lui, comme dit est, demourra au fil dudit conte, tant qu'il vivra, et après son décès sera rendue ladite somme audit duc ou à ses

[1] Alias *Symon de Lille.*

hoirs, ausdits termes, sicomme dit est; mais, se le filz dudit conte mourroit, puis ledit mariaige consommé, sans avoir hoirs de ladite fille dudit duc, auroit tous les biens donnez avec lui par mariaige, tant en deniers comme en terres, et avec lesdits biens son douaire de VIII mille royaulx d'or par an, expressé en la cour de Cambray. Et de ce faire et accomplir donra plesges ledit conte, le roy de France et le conte de Haynnau, avec ce obligera cinq ou six de ses bonnes villes. Et semblablement ledit duc doit assigner et assener ledit conte et son filz dudit mariaige, et des conventions et conditions d'icellui de tenir et de parfaire ce loyaulement, en la manière que pardevant nous et en nostre présence entre ceulx de Renault aisné filz dudit conte et de Marie fille dudit duc ledit mariaige ou traittié est accordé espécialement par une lettre ouverte, pendant seellée du grand seel dudit duc, de laquelle la teneur s'ensuit :

» Jehan, par la grâce de Dieu duc de Lothiers, de Brabant et de Lembourch, à tous ceulx qui ces présentes lettres veront, salut et cognoissance de vérité. Comme entre nous, noz aidans et alliez, d'une part, et nostre amé cousin le conte de Gelre, ses aidans et alliez, d'autre part, guerres ou controversies ou rancours d'inimitié aient esté de temps passé, et comme le très-excellent prince le roy de France nostre sire, pour oster tous discors d'entre nous, d'une part et d'autre, et pour paix, accort et bonne amour nourrir et accroistre entre nous, noz païs, noz gens et subgez, d'une part, et nostre dessusdit cousin le conte, son païs, ses gens et subgez, d'autre, ait par lui et par son conseil, du consentement de nous et de nostredit cousin le conte, parmy l'accort et le conseil de noz consaulx et amis, d'une part et d'autre traittié, ordonné et accordé certain mariaige à faire entre Renault aisné filz dudit conte et de nostre maisnée fille Marie : nous, par vertu du traittié, ordonnance et accordance dudit nostre sire le roy et de son conseil, de nostre certaine science leur consentons, agréons et confirmons le mariaige dessusdit, plainement, pour nous et nostredite fille, en toutte la fourme et condition qu'il en ont esté traittiez, ordonnez et accordez à Cambray. Et parce que nous voulons et il appertient que toutes les convenances dudit mariaige soient bien et loyaulment tenues de nous et de nostredite fille, au conte dessusdit et à son filz, nous, pour seureté et en lieu de seureté, avons obligié et obligons, de nostre bon gré et de bonne voulenté, nous et tous noz biens, meubles et non meubles, présens et

advenir. et aveeq ce. comme souverain seigneur. par vertu de la puissance de nostre souveraineté, nous avons obligié et obligons tous noz païs, toutes noz terres, toutes noz bonnes villes et autres, quelles que elles soient. et tous noz gens et tous noz subgez, de quelxconques estat ou condition que ilz soient ou puissent estre, et tous leurs biens, meubles et non meubles, présens et à venir: par ensy que, se nous ou noz successeurs, dues de Brabant, fuissiens ou fussent en deffault de parfaire ou d'accomplir le mariaige dessusdit et les condicions d'iceluy, en tout ou en partie, que jà n'aviengne, que nostredit cousin le conte, par lui ou les siens, puisse et doive, pourra et devra, ou pourront et devront arrester, prendre et tenir les biens de nous, et les corps et biens de tous noz pays et de touttes noz bonnes villes et des aultres, et de tous noz gens et de tous noz subgez, de quelconque condition que ilz soient ou seront, jusques à plaine satisfaction, tant du principal comme des dommaiges et interestz que ledit conte en auroit. Desquelz le conte, ses hoirs ou aians cause de lui sera ou seront creus par leur simple parolle, sans aultre promis faire, en bonne foy et léaulté, sans malengien. Et ce pourra ou pourront faire ledit conte ou ses hoirs aians cause de lui, tant en France que en tous aultres pays et lieux ou franchises, sans avoir ou encourre l'offence ou malivolence de nous ou des nostres, non contrestant grâces, priviléges, libertez ou franchises, de quelconque condition qu'ilz soient, de nous ou noz antécesseurs ou aulcuns autres seigneurs donnés ou à donner à noz gens, subgez, bonnes villes et autres, ou aulcuns d'iceulx ou d'icelles. Et encore pour plus grande seureté nous avons, de certaine science et de nostre bonne voulenté, en la présence dudit roy nostre sire, voulu, ottroyé et accordé, ottroyons et accordons que, ou cas que nous ou noz successeurs fuissiens en deffaulte, de tout ou en partie, de parfaire, de tenir et accomplir le dessusdit mariaige et toutes les convenances d'icellui de point en point, ainsy que ces présentes lettres le contiennent, que ledit roy nostre sire, à l'amonition et supplication dudit conte ou de ses hoirs et successeurs, puisse et dève et soit tenu de faire exécution de noz biens, et des corps et des biens de noz gens et subgez, tant de noz bonnes villes comme d'aultres, et faire paiement audit conte ou à ses hoirs dudit mariaige et des conditions d'iceluy, et de tous coustz, fraiz, mises et domaiges et intérest, que ledit conte ou ses hoirs en auroit ou auroient souffers ou soutenues en aulcune manière par la deffaulte de

nous ou de nostre paiement : desquelz coustz, fraiz, mises et intérest ilz seroient ou seront creuz par leur simple parolle, comme dessusdit est. Et s'il avenoit, que jà n'adviengne, que entre nous et nostredit cousin le conte de Gelre guerre se meust au temps à venir, ou aultres débas, ce ne doit point porter de préjudice ou de empeschement au dessusdit mariaige, ne aux convenances et paiement d'icellui; mais avons voulu et accordé, voulons et accordons que, non contestant ladite guerre ou tout autre débat, ledit mariaige et toutes les convenances dessusdites soient parfaites et accomplies, ainsi comme se lesdites guerres ou débas n'eussent esté.

» Item, voulons et accordons que le conte dessusdit et ses hoirs puissent donner, sur nous, noz gens, noz subjez, noz bonnes villes, noz terres, noz pays, à quelconque signeur que il leur plaira, le cincquième denier de toute la somme dessusdite, sans amenrir le principal, pour constraindre nous et les nostre de tenir, parfaire et accomplir toutes les convenances dudit mariage entièrement sans deffaulte, et pour rendre et payer audit conte ou à ses hoirs tous coustz, fraiz et dommaiges que il, par la faulte de nous ou de nostre payement, auroit ou auroient eus ou soustenus, en la manière comme dit est pardevant.

» Et, quant à toutes les choses desusdittes et à chascune d'icelles tenir et accomplir et non contravenir, en tout ou en partie, nous submettons nous, noz biens, noz bonnes villes, noz gens, tous noz subgez, et les biens d'iceulx, à la cochion et jurisdiction dudit roy de Franche et de sa court, et prorogons sa jurisdiction et la jurisdiction de sa court, quant à ce, de certaine science et bien informez et instruis de nostre droit, sans nulle erreur, circonvention et contrariété. Et voulons et expressément consentons que ledit nostre sire le roy, sa court, ou ceulx à qui il le vouldra commettre, puissent contraindre nous et noz subgez par la prinse de noz biens, et des biens et des personnes de noz gens ou subgez, tant des bonnes villes comme d'autres, par voye de marcke ou de reprousaille, ou pour toute autre voye ou manière de laquelle il sera requis dudit conte de Gelre, de ses successeurs ou d'aultres aiant mandement sur ce, se tost comme nous seriemmes deffaillans de faire et accomplir les choses dessusdites, ou aucunes d'icelles, sans ce qu'il en conviengne faire nouvelle requeste ne semonce audit duc et sans garder ordre de droit par escript, canonique ou civil, ne stille

de parlement, ne coustume du pays, ne nulle aultre solempnité, et non contestant tous priviléges, franchises, libertez, donnez ou octroyez dudit nostre sire le roy ou de ses prédecesseurs, ou à donner de luy et ses successeurs, à nous, à noz bonnes villes ou à noz autres gens et subgez, espécialement à icellui privilége par lequel noz bonnes villes et subgez ont XL jours de wydage, ou environ, après toute marcke ou deffense ou arrest donné contre eulx ou par eulx au royaume de France : ausquelz priviléges tous, et à chascun d'iceulx, nous, pour nous et pour noz bonnes villes et subgez, renonçons de nostre bonne gré et voulenté, et bien certifiez et informez de nostre droit, et promettons que jamais de ces priviléges, ne d'aulcun d'iceulx, nous ne noz bonnes villes, gens ou subgez n'en userons ne aiderons contre les choses susdittes, ou aulcune d'icelles. Et lui prions et requérons à nostredit sire le roy, que tous les priviléges dessusdits, toutes coustumes et stilles, par lesquelz nous pourrions venir encontre aux choses dessusdites, ou aulcune d'icelles, pourroient estre empeschez, il veuille oster de tout, quant à ce, de certaine science et son plain pouvoir royal.

» Et toutes les choses dessusdites et chascune d'icelles garder, tenir, et accomplir et non contravenir, en tout on en partie, nous promettons par la foy dè no corps et par nostre serrement, touchant aux saintes évangiles de Dieu. En tesmoingnaige desquelles choses, nous duc dessusdit avons mis nostre grant seel à ces présentes lettres, faites et données à Amiens, le XXV[e] jour d'aoust l'an de grâce M CCC XXXIIII. »

« Lesquelz accort et traittié aians aggréables et estables, et iceulx et toutes les choses contenues en iceulx traittiez et accors, et chascune d'icelles, ratifians et approuvans, de certaine science et de nostre plain pouvoir royal, promettons, pour nous et noz successeurs, que, ou cas que ledit duc ou ses successeurs seront deffaillans de faire et accomplir les choses dessusdites, ou aulcunes d'icelles, nous icelui duc, ses successeurs, ses bonnes villes, gens et subgez, à la requeste dudit conte et de ses successeurs, ou d'aultre aiant mandement sur ce, par voye d'exécution et sans plait, contraindrons par tout notre royaume à accomplir et parfaire touttes les choses dessusdites, et chacune d'icelles, de point en point, en la manière qu'il est contenu audit accort et traittié et les lettres sur ce faictes.

» Et rappelons et mettons à néant, de certaine science et de nostre povoir

royal, tous priviléges, franchises et libertez, donnez ou à donner de nous ou de noz prédécesseurs audit duc, ses successeurs, ses bonnes villes, gens ou subgez, et promettons, pour nous et pour noz successeurs, que d'ores en avant nous ne donrons nulz priviléges, franchises ou libertez, par lesquelles les choses dessusdites puissent estre empeschiez, destourbez et retardez. Et ostons et mettons à néant, quant en ce cas, toute coustume de païs et stilles de parlement, priviléges des foires de Champaigne et de Brie et de tous aultres lieux de nostre royaume. Et mandons et commandons, par la teneur de ces présentes lettres, à noz amez et féaulx gens qui tiendront nostre parlement, maistres de nostre chambre des comptes à Paris, et à noz amez maistres baillis, vicontes, prévostz et à tous noz autres justiciers, qui sur ce seront requis de par ledit conte ou de ses successeurs ou d'aultres aians mandement sur ce, que ledit duc, ses successeurs, ses bonnes villes, gens et subgez contraindent, laissent et aident à contraindre, en la manière que audit accort et traittié est contenu, sans attendre autre mandement de nous ou de nostre court, et que pour nulle cause, quelle que elle soit ou estre pourroit, l'argent que ledit duc ou ses successeurs, ou que nous ou noz gens luy aurons faict délivrer pour la cause dessusdite, ilz n'arrestent, ne empeschent, ne laissent arrester, ne empescher, ains les aident à conduire hors de nostre royaume en sauf-conduit et lieu seur, et porter audit conte, ou à ses successeurs ou à leurs gens, toute ayde pour le traire de nostre royaume, franchement et quittement, sans nul empeschement.

» Item, voulons et ordonnons que le dessusdit mariaige et traittié, comme dit est, ne puisse estre déperti en nulle manière, fors que tant seulement par cas et aventure de mort, comme dit est en l'escript de Cambray.

» Item, du tiers des XX mille royaulx d'or paiez par ledit conte pour le signeur de Faukemont, voulons et ordonnons en la manière que dessus est contenue.

» Item, voulons et ordonnons que ledit duc et ses hoirs fera ou feront audit conte de Gelre ou à ses hoirs tous les paiemens des dessusdites sommes de deniers en la ville de Bois-le-Duc, et d'icelle ville fera conduire ledit duc les deniers, si souvent que il fera les paiemens, oultre la rivière de Meuse sauvement, avec les gens dudit conte, portans lesdits

deniers jusques en la terre de la conté de Gelre à coste devers la ville de Nyemegen, pour ledit conte et ses hoirs.

» Item, voulons et ordonnons que ledit duc adhérite ledit conte de Gelre perpétuellement, pour lui, ses hoirs, ses successeurs ou aians cause de lui, de la ville de Tyle, de Sandwick et de Herwerden et des appartenances d'icelles, et que il cède et transporte dès maintenant audit conte tout le droit que il a et puet avoir èsdites villes et appartenances d'icelles, et lui rendre toutes les lettres que il a touchant le droit ou possession desdites villes ou de leurs appartenances. Et semblablement voulons et ordonnons que ledit conte de Gelre hérite et mette en possession, pour lui ou pour ses hoirs ou autres aians cause de lui, ledit duc de la terre de Heusden, et des appartenances d'icelle, et dès maintenant cède et transporte audit duc, pour lui et pour ses hoirs, tout le droit qu'il a ou peut avoir en ladite terre et ès appartenences d'icelle, et toutes les lettres qu'il a touchant les héritaiges, tant en droict que en possession. Et seront faites lesdites héritances, cessions et translations par telles manières comme il est contenu en accors qui furent faits entre lesdites parties à Cambray, de quoy ceste présente lettre fait mention, sicomme il appert par les escriptures sur ce faites soubz les seaulx de nos messagiers envoyez à Cambray, et soubz les seaulx desdites parties. Et avec ce voulons et ordonnons que les dessusdits duc et conte garantissent et deffendent l'un à l'autre toutes les villes et héritages dessusnommez, baillez et transportez de l'un à l'autre, jusques à ung an et jour prochain ensuivant depuis le transport fait, par telle manière que chascun desdits duc et conte aura la cognoissance de la causse et des parties ou partie qui feroient ou feront demande de l'héritage que il auroit baillié et transporté, comme dict est, et fera droict. Et, s'il apparoissoit par la fin du procès et sentence sur ce donnée, que la partie demandant eust droict en héritaige, celui des dessusdits duc et conte qui, par ladite sentence, sera tenu à rendre au demandeur ce qu'il aura baillié pour causse du transport, comme dit est, adoncques rendra et baillera autant vaillant à celui à qui il aura baillié et auquel apparestra par ladite sentence que il ne lui puet ou pourra garantir, et l'en gardera de tous coustz et domages.

» Item, quant à ce qui touche le signeur de Heynsberch, ordonnons et prononchons, et par nostre sentence déclarons en la manière que s'ensuit : c'est assavoir que ledit signeur de Heynsberch doit avoir et tenir tout le

temps de sa vie la ville, la terre et la seigneurie de Wassemberghe, avec les hommes féaulx, les hommes appellez *bourgman* et les hommes nommés *duxman*[1], et avec les rentes, revenues et justices, haultes et basses, et toutes les appartenances de la ville, terre et seigneurie dessusdites, riens excepté, franchement et sans empeschement, dudit duc de Brabant qui maintenant est. et de ses successeurs les ducs de Brabant qui seront, vivant ledit signeur de Heynsberch; et, après la mort dudit signeur de Heynsberch, pourra ledit duc ou ses hoirs rachepter les dessusdites villes, terre et signeurie, et touttes lesdites appartenances, parmi la somme paiant contenue ès lettres de obligation faicte des biens dessusdits. Et doit lesdits hommes mener par loy et par droict.

» Item, du tiers de XX mil royaulx d'or que ledit conte de Gelre avoit paié audit duc pour la signeurie de Faucquemont, qui fut darrainement parmi sa rente, baillant audit duc que il avoit et tenoit en la ville de Treit-sur-Meuse, ou environ, ordonnons, voulons et prononchons que lesdites rentes retournent et reviengnent audit conte et à ses successeurs, héritablement, ainsi comme ledit conte les souloit tenir avant qu'il les obligast au duc, pour tant du tiers de XX mil royaulx d'or dessusdits. sans y demourer nul droit pour le duc ou ses successeurs; et en ostons dès maintenant ledit duc de tout et y remettons ledit conte, pour lui et ses successeurs, et voulons que les lettres que ledit conte en a données audit duc lui soient rendues sans délai.

» Item, prononchons et déclarons que, combien qu'il soit escript et contenue en la XXIIIme ligne, en comptant de ce enssus[2], que nous ostons et mettons à néant tant en ce cas les priviléges, franchises, libertez et coustumes de noz foires de Champaigne et de Brie, que ce a esté par erreur de l'escripvain, et que il n'est mie nostre entente que lesdits priviléges. libertez, coustumes et franchises soient par ce ostées ou rappellées pour causse de ladite escripture; anchois voulons et déclairons que elles soient gardées et tenues tout ainsi comme se il n'eust esté escript, ou que mention n'en fust faicte, ne ne voulons que lesdites paroles escriptes sur ledit ostement des priviléges et coustumes desdites foires ayent ou lieu vailleur

[1] In aliis MSS. *Diexman.*

[2] In aliis MSS. legitur : *Que combien que il soit escript et contenu chi-dessus en ces présentes lettres, que nous ostons*, etc.

là ou nous parlons en noz lettres, par-dessus les lettres dudit duc, néantmoins demourent en leur force et vertu.

» Touttes ces choses, et chascune d'icelles, nous, de l'auctorité et vertu de compromis faict en nous desdites parties, prononchons, disons, sentencions, enjoingnons ausdites parties tenir et accomplir fermement et entièrement, sans jamais venir encontre, sur la peine de leur foy et de leurs serements; de laquelle paine, se ilz eschient, ilz pourront estre poursuis en touttes cours d'église et séculiers. Et que ce soit ferme chose et estable à tout jamais, nous avons faict mettre nostre scel a ces présentes lettres. données à Amyens, et faict le XXVI^{e} jour d'aoust l'an de grâce mil CCC trente et quatre. »

De matrimonio per ordinationem dicti regis Francie facto inter filiam ducis Brabancie et filium comitis Gelrie. Cap. CXXXV.

Item est sciendum, quod, sicut prelibatus Philippus rex Francorum inter cetera in prescripta sua pronunciatione ordinavit, quod dux Brabancie daret juniorem filiam suam nomine Mariam Reynaldo seniori filio Reynaldi comitis Gelrie predicti legitimam in uxorem, et cum ea, ratione dotis sive dotalitii sive donationis propter nuptias, summam LXX millium regalium, medietatem ejusdem prompta in pecunia vel infra valde breve tempus, et reliquam medietatem, dum matrimonium fuerit consummatum inter eosdem; et, si predictum Reynaldum premori contigerit, nulla prole ex corpore dicte Marie relicta, quod eo casu heredes dicti Reynaldi dicto duci vel suis heredibus pecunias solutas et perceptas restituere tenerentur. Et est verum, quod in thesaurario literarum Brabancie ducis habentur quitancie sigillo supradicti comitis Gelrie sigillate, per quas patet, quod ipse dux ratione matrimonii predicti juxta pronunciacionem dicti regis ipsi comiti persolvit medietatem summe LXX millium regalium predictorum; et ultra pro reliqua medietate prefatus dux dedit et assignavit dicte filie sue atque ejus marito hereditarie franciseam suam de Turnhout, cum nonnullis villis circum adjacentibus, cum certis aliis redditibus in Brabancia constitutis.

Cujus quidem summe medietatem, sicut premittitur, persolutam, licet

quondam Reynaldus dux Gelrie, maritus domine Marie supradicte, sine prole decesserit, et ipsa ac quondam ducissa Johanna Brabancie, et post obitum sue sororis, et deinde quondam Anthonius, Johannes et Philippus, recolende memorie Brabancie duces, predecessores metuendissimi domini mei domini Philippi Burgundie, Brabancie, etc. ducis moderni, a duce Gelrie moderno et a suis antecessoribus petierint sibi restitui juxta tenorem ordinacionis regis Francorum supradicti, nihilominus tamen prelibati duces Gelrie usque ad hec tempora solutionem de predicta summa facere distulerunt: quapropter prefatus dominus dux Burgundie, Brabancie, etc. modernus actionem sibi desuper competentem prosequi poterit, si voluerit, vel sibi placuerit.

De restitutione terre dominii Mechliniensis et de Herpen. Cap. CXXXVI.

Item est sciendum quod pretextu pronunciacionis regis Francorum predicte terra dominii de Mechlinia supradicto comiti Gelrie, causa sue uxoris sibi appertinens, per predictum ducem Brabancie occupata, fuit eidem comiti restituta, et similiter fuit domino de Valkenborch restituta terra dominii de Herpen, per eundem ducem eciam detenta.

Fuit eciam ordinatum quod dominus de Heynsberch deberet obtinere, quamdiu vixerit, terram de Wassemberg, prout in suprascripte pronunciacionis literis, quarum tenor superius est insertus, plenius continetur et habetur.

De permutatione juxta ordinationem regis Francie facta inter ducem Brabancie et ducem Gelrie de Tield et Outhoesden. Cap. CXXXVII.

Preterea est sciendum quod, juxta ordinationem suprascripti Francorum regis factam, inter cetera et postea ducem Gelrie super permutatione terre de Outhoesden, Vliemen, Hedinchuysen et Englen, ex una parte, et Tiele, Zantwyck et Herwerden, ex altera; et eciam juxta declarationem domini Othonis domini de Kuyck, tanquam judicis cum quatuor arbitris ex utraque parte ad hoc electis, desuper emanatam atque pronunciatam,

dictus dux Gelrie pro se, suis heredibus et successoribus dicto duci Brabancie suisque heredibus et successoribus supportavit et transtulit villas suas de Outhoesden, Vliemen, Hedinchuysen et Englen suprascriptas, cum juribus et pertinentiis suis universis, in verum et rectum concambium sive permutationem oppidi de Thiele et villarum de Zantwyck et Herwerden predictorum, que ipse Gelrie dux pro aliis villis supradictis habebit et possidebit hereditarie et perpetue, recognoscens quod dictus dux Brabancie sibi de predictis oppido et villis ratione permutationis predicte plenarie satisfecit juxta ordinationem Francorum regis suprascriptam. Tenor vero dictarum permutationum et recognitionis, de quibus supra proxime fit mentio, est talis [1] :

« Wy Reynout, by der gratien Gods hertoghe van Geldre ende grave 1339.
van Zutphen, doen condt allen luden, dat wy na segghen des coninx van Francryck, dat hy met synen openen zeghelen beseghelt heeft tusschen den hooghen edelen prince, heere Jannen hertoghe van Lottryck, van Brabant ende van Lymborch, merckgreve des Heylich Ryexs, onsen lieven neve, in d'een syde, ende ons in die andere, als van den lande van Outhoesden, Vliemen, Hedinchuysen ende Englen aen d'een syde, ende Tiele, Zantwyck ende Herwerden aen d'ander syde; ende oock nae claringhen die een edelman, heer Otto van Kuyck, als een overman met vier mannen van onsser beyder weghen daertoe heeft vercoren, daerop gesacht ende gedaen heeft met synen openen brieven, hebben overgegeven ende opgedragen in goeder gonste, met desen openen brieve, voer ons ende voer onse erffgenaemen den hertoghe van Brabant voergenoempt ende syne erffgenamen, Outhoesden, Vliemen, Hedinchuysen ende Englen voorseid, met alle die heerlicheyden, renten ende allen haer toebehoorten, so waer die gheleghen syn, te lande oft te watere, niet vuytgescheyden, die te hebben, te besittene ende te gebruycken tot eewelycken daghen, als in gherechten wissel der stad van Tiele, Santwyck ende Herwerden voergenoempt, die wy daervore gebruycken ende besitten selen erffelycken ende emmermeer. Ende hebben voert verteghen ende afghegaen, vertyen ende gaen af mits desen jeghenwoerdighen brieve, voer ons ende voer ons erven, de dorpen van Outhoesden, van Vliemen, van Hedinchuysen ende van Englen, met

[1] Vide Butkens op. cit. t. I *Preuv.* p. 178.

allen haeren toebehoorten. als die vorschreven syn in alder vueghen. ende met alden rechten die de hertoghe van Brabant ende zyn erffghenamen voregenoempt daeraen vast geerft ende gestedich blyven, ende wy ende onssen erven daeraff onterft blyven ende wesen selen. Ende bekennen dat ons de hertoghe van Brabant voergenoempt allinge voldaen heeft in desen voregenoemden wissel, nae segghen des coninex van Vranckryck ende nae claringhe des heeren van Kuyck voorseid. alsoe dat ons dies wael ende volcomelyck ghenuecht.

» Voort, sy verwaerden soe wat brieve ende betoen dat wy hebben van keyseren, van coninghen, van bisschoppen. oft van anders yemant, op die dorpen van Outhoesden. van Vliemen, van Hedinchuysen ende van Englen. met haere toebehoorten. als 't vorseid is. dat die voert meer ons ende onsen erffgenamen egheen schade doen en selen: maer gheloven in goeden trouwen die voorgenoemde brieven ende betoen overteleveren heeren Jannen hertoghe voorgenoempt. tot behoef syns ende synre erffgenamen. sonder erghelist.

» In oorkonden van welcken dinghen wy hebben onssen grooten segel aen dese leteren doen hangen in kennissen der waerheyt. Dit was ghedaen ende ghegheven tot Brussel, des vrydachs nae den dach van Onsser Vrouwen gheboorten in die maendt van september, in den jare Ons Heeren M CCC XXXIX. »

De obitu ducisse Brabancie. CAP. CXXXVIII.

1335. Anno Domini M° CCC° XXXV°, in vigilia Omnium Sanctorum. obiit nobilissima et piissima domina Maria ducissa. uxor ducis Johannis supradicti, et est sepulta Bruxelle in ecclesia Fratrum Minorum ibidem. cujus anima requiescat in pace.

Qualiter dux Brabancie habet transitum per comitatum Lossensem cum sua expeditione. CAP. CXXXIX.

Anno Domini M° CCC° XXXVII° Theodericus comes Lossensis et Chinei, ac dominus de Heynsberghe et de Blanckenberghe, per suas literas patentes et ob rationes in eisdem declaratas, pro se, suis heredibus et successoribus concessit Johanni duci Brabancie et suis heredibus et successoribus, quod ipsi per comitatum suum Lossensem, tocies quocies ipsis opus fuerit, poterunt transire et morari, eundo et redeundo, armati et non armati: et, si aliquis ipsis in hoc impedimentum prestare voluerit, hos promittit comes deffendere et impedire, prout in dictis literis tenoris infrascripti plenius et latius continetur. Datum Lovanii, anno Domini M° CCC° XXXVII° suprascripto, die veneris ante festum beati Thome apostoli. 1337

Tenor vero dictarum literarum, de quibus supra proxime fit mentio, sequitur et est talis [1]:

« Diederick greve van Loen ende van Chiny, heere van Heynsberghe ende van Blanckenberghe, allen dengheenen die desen brieff selen sien ende hooren lesen, saluyt, met kennissen der waerheit.

» Want onsse gheminde heer, heer Jan hertoghe van Lottryck, van Brabant ende van Lymborch, ende syne voorderen, allewegen als sy 's te doen hadden, voeren doer onsse greeffschap van Loen, ghewapent ende anders, ende wy, aensiende die trouwe ende nuttelycken dienst, die sy ons ende onse voorderen diewile ghedaen hebben ende altoos doen mogen, soe kennen wy ende gheven hem ende synen hoir erffelyck ende emmermeer, dat hy ende syn hoir, alse dicke als sy 's te doen selen hebben, doer onse greefschap van Loen varen moghen ende selen, gewapent ende ongewapent, daerbinnen te blyven ende te ligghen ende te lieden ende ter minsten scaden, uutgescheyen ende ghenoemen onse vryheden van den greefschap van Loen, dat hy hem egheen scade doen en sal noch laeten doen, waer hy dat keeren mach ende weren, sonder arghelist. Ende ware dat sake, dat hem yemant oft synen hoir daeraen eenich letsel oft hindernisse doen woude

[1] Vide Butkens op. cit. t. I, *Preuv.* p. 176.

oft dede, dat selen wy helpen keeren, nuw ende emmermeer, jeghens alle deghene daer des sal syn te doen. Alle dese stucken gheloven wy, voer ons ende voer onse hoir, met onsen trouwen ende sekerheiden, ende by den eeden die wy voer hem ghedaen hebben, ende hy ons weder, op de heylige Evangelie. die wy beide te samen lyflick gheruert hebben, ghestedich ende vast te houdene, ende daerjegen nimmermeer te doene, alle arghelist vuytgescheiden in allen desen voorseiden stucken.

» In orconscape alle deser vorseide dinghen hebben wy onssen zeghel doen hanghen aen desen jeghenwoordighen brieff, ende omme te meer sekerheyt soe bidden wy onsen lieven vrienden ende mannen, heere Willem heere van Piestershem, ende heeren Willem Oirlen [1], heere van Rummen, om beden wille ende versueck ons liefs heeren des greven van Loen voergenoempt, hebben wy onsse seghele aen desen jeghenwoerdighen brieff gehangen. Ende oft geviele dat aen desen jeghenwoerdighen brieff eenen seghel of meerre brake oft gebrake. so herkiesen wy alle ende consenteren dat dese brieff daerom syn cracht niet en verliese, maer wy willen dat hy in alre synre macht ende cracht blive ganselic, ghelyc of alle die segele onghequetst daeraen waren. Ghegheven tot Loven, des vrydaechs voer sinte Thomas dach des apostels, in den jare Ons Heeren M CCC ende XXXVII. »

De privilegiis, libertatibus et immunitatibus per diversos duces Brabancie felicis recordationis prelatis et religiosis concessis et confirmatis. Cap. CXL.

1338. Anno Domini M° CCC° XXXVIII°, die lune ante festum beati Johannis Baptiste. supradictus quondam Johannes hujus nominis dux tercius, per suas certi tenoris literas, et ob causas et rationes in eisdem contentas et declaratas, abbatibus et abbatissis. prioribus et priorissis, prepositis et religiosis ac regularibus quibuscunque sue terre Brabancie quandam literam privilegialem, per bone memorie quondam Johannem hujus nominis ducem secundum, suum genitorem, eisdem religiosis concessam, et dictis literis tenoris infrascripti incorporatam, datam anno Domini M° CCC° XII°, feria

[1] *Willem Arley,* apud Butkens.

tercia post festum beati Remigii episcopi, omnesque alias literas, a predecessoribus suis bonis religiosis, et singulis ipsorum, super quibuscumque libertatibus vel juribus concessas, laudavit, approbavit et confirmavit. Et preter illa certas alias libertates, literas et privilegia, de corweidiis, gistis canum et aliis immunitatibus et conventionibus mentionem facientes, generose memoratis religiosis duxit concedendum. Quas quidem literas, necnon literas inclite memorie quondam Wenceslai de Bohemia, Lucemburgensis, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducis, et domine Johanne ejus conthoralis, atque Anthonii et Johannis Lotharingie et Brabancie ducum, de predictis corweydiis, gistis canum, et aliis libertatibus exactionum et hospitalitatum eciam mentionem facientes, felicis recordationis quondam Philippus Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux, de Lyneis et Sancti Pauli comes, per suas patentes literas datas Lovanii anno Domini M° CCCC° XXIX°, mensis octobris die octava, in quibus omnes supradicte litere, scilicet Johannis secundi, Johannis tercii, Wenceslai, ducisse Johanne, Anthonii et Johannis hujus nominis ducis quarti predictorum, sunt incorporate, pro se et successoribus suis approbavit, ratificavit et confirmavit, prout in prelibatis literis, in duobus quaternis conscriptis et hic inferius insertis, plenius continetur.

Et in fine secundi quaterni eciam continetur tenor cujusdam litere confirmatorie illustrissimi principis et metuendissimi domini mei domini Philippi, Dei gracia Burgundie, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducis, in qua est incorporata quedam litera quondam ducis Philippi prelibati, de hospitalitatibus faciens mentionem, quam idem dux Burgundie, etc. memoratis religiosis confirmavit et ratificavit per modum et formam contentos in eadem.

Et demum sequitur in fine ejusdem quaterni litera confirmatoria predicti Johannis ducis tercii et ducis Wilhelmi de Bavaria, comitis Hannonie, Hollandie et Zelandie, super distributione et assignatione corweydiarum, etc., confecta, unacum litera declarationis per eundem ducem Wilhelmum desuper facta. Et quia omnes supradicte litere faciunt mentionem de libertatibus et privilegiis prelatis et religiosis Brabancie concessis, idcirco brevitatis causa dignum duxi ipsas in supradictis duobus quaternis copulare, non tenendo ordinem datarum earumdem literarum, ut lector facilius continenciam ipsarum scire possit, quam si sparsim, secundum datam

temporum quibus erant concesse, scripte fuissent. Et incipiunt dicti duo quaterni :

1429. « Philippus, Dei gracia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux, sacrique imperii marchio ac de Lyniaco ac Sancti Pauli comes, etc.

» Quia quosdam cognovimus in ecclesiasticas personas et regulares crudeliter desevire, adeo quod nec eos pudeat per ambitiones illicitas ecclesiasticorum jura turbare, ac privilegia, que eisdem ecclesiis et monasteriis et personis regularibus utriusque sexus provida dedit antiquitas, temeraria presumptione violenter invadere, non respicientes quod eterno judici tam de catholice sinceritatis injuria quam de judiciis paternarum traditionum, si in hac obstinatione permanserint, non sine perpetue damnationis interitu rationem sint reddituri, nos, inter ceteras, quibus in dies pro regimine nobis, licet immeritis, Altissimo providente, commisse patrie et subditorum occupamur, excitationes, querimonias eciam religiosorum in Christo abbatum, abbatissarum, priorum, priorissarum, prepositorumque conventuum, monasteriorum et piorum locorum, tam regularium qaam secularium, nostri ducatus Brabancie, prediaque et possessiones tenencium in eodem, solerter decernere decrevimus, quas contra nonnullorum officialium et subditorum nostrorum rapacitates, necessitas, ut comperimus, tandem compulit in publicum examen deferri : hi enim, ut informatio per nos desuper recepta patefecit, indiscreto moderamine quasdam basilicas et monasteria et curtes, et mansus ad illas pertinentes, cum personis et familiis inibi pro divini cultus augmento degentibus, pregravantes, dum in exactionibus et commessationibus aliisque diversis sumptibus et expensis superfluis frequenter insistunt, pene usque ad exinanitionem extreme virtutis illas et illa produxisse probantur, preter et contra continenciam literarum libertatum et privilegiorum, a recolende memorie dominis progenitoribus nostris, et signanter Johanne hujus nominis secundo, Johanne tercio, Wenceslao de Bohemia et Johanna ejus conthorali, ac Anthonio patre nostro, et Johanne hujus nominis quarto, fratre nostro, quondam Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducibus, dictis religiosis, tam generaliter quam specialiter, concessarum, nobis pro parte eorumdem exhibitarum, et per nos in nostro jucundo adventu et prima receptione ad dominium ducatus nostri Brabancie antedicti generaliter confirmatarum et ratificatarum, prestationeque nostri juramenti roboratarum : et eapropter dicti religiosi nobis sup-

plicarunt cum omni humilitate, quatenus hujusmodi libertates, privilegia ac cetera in dictis literis contenta, prout a dictis predecessoribus nostris concessa sunt, de novo laudare et confirmare et approbare, sibique ac monasteriis ac domibus, curtibus, mansionibus personisque et familiis suis predictis super oppressionibus prefatis, pro eorum tutela, pace et quiete perpetua, clementer et benigne providere dignaremur :

» Nos igitur, volentes libertatem, quam predecessores nostri predicti dictis religiosis privilegio exemptionum tam provide concesserunt, sic integram observari ut illam alii non infringant, et ipsi ejus limites non excedant, eorumdem religiosorum supplicationi favorabiliter inclinati, presertim cum justa petentibus non sit denegandus assensus, prefatas literas predecessorum nostrorum supradictorum per fideles magistrum Gislenum de Sarto, decanum ecclesie Sancti Dionisii Leodiensis cancellarium, et ceteros alios cancellarios nostros examinari fecimus diligenter, in omnibus et singulis suis tenoribus, articulis, punctis et aliis contentis in eisdem, prout inferius annotatur in hec verba :

» Universis Christi fidelibus, presentibus et futuris, Johannes, Dei gracia dux Lotharingie, Brabancie et Lymburgis, salutem in eo qui est omnium vera salus.

» Cura regiminis suscepti nos sollicitat, ut utilitatibus subjectorum et habitatorum in nostris territorio et districtu, in illis precipue per que animarum saluti consulitur, privilegiorum concessione et antiquorum innovatione sollicite providere curemus. Sane cum lis, discordia et questionis materia mota fuerit inter nos, ex una parte, ac religiosas personas, videlicet Sancti Laurentii juxta muros Leodiensis, Vliederbacensis, Florensis, Aluensis, Floreffiensis, Antwerpiensis, Bone Spei, Grymbergensis, Parchensis, Tongerlensis, Averbodiensis, Hillenchmensis, Sancti Foylliani, Mimiensis ac Gelensis monasteriorum abbates, necnon prepositum Sancte Gertrudis de Lovanio, de Geneppe, insuper de Foresto, de Cortenberge, de Zalazines, de Linthre, de Valle Florida, de Aquariis, de Camera monasteriorum abbatissas, et priorissas de Bigaerden, eorumque conventus, Sancti Benedicti, Cisterciensis, Premonstratensis et Sancti Augustini ordinum, Leodiensis et Cameracensis diocesis, parte ex altera, super certis injuriis, exactionibus et oppressionibus contra ecclesiasticam libertatem dictis religiosis, ut asserebant, ab officialibus, ministris et gentibus nostris

illatis: tandem, Spiritus Sancti gratia cooperante, de consilio illustris principis domini Guilhelmi comitis Hannonie et Hollandie, nostri consanguinei charissimi, habita deliberatione cum nobilibus nostre terre ac consulibus nostrarum bonarum villarum, in modum qui sequitur existit terminata:

» Inprimis quidem omnes lites, questiones et dissentiones, inter nos et partes antedictas, super premissis vel aliis quibuscumque, suborte, et omnes exploitationes et processus, hinc inde qualitercumque vel per quemcumque modum secuti, ex tunc cessent penitus et nullius sint et remaneant valoris, efficacie vel momenti. Et ut ipsi religiosi religioseque ferventius divinis insistant officiis, nec ab eis aliqualiter retrahantur, pro nobis et successoribus nostris orationes ad Dominum devotius effundere teneantur, ipsos cum eorum bonis et servientibus, mobilibus et immobilibus, presentibus et futuris, in nostra protectione atque gardia speciali, pro nobis et successoribus nostris, perpetue duximus assumendos. Insuper, cupientes dictos religiosos debita gaudere perpetuo libertate, literas felicis recordationis domini Johannis quondam nostri genitoris ipsis religiosis concessas super certis immunitatibus et libertatibus ex certa sciencia eis duximus per presentes confirmandas, quarum tenor sequitur in hec verba:

1312 » Universis Christi fidelibus ad quos presentes litere pervenerint, presentibus pariter et futuris, Johannes, Dei gracia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux, salutem in Domino sempiternam. Inter varias cogitationes nostrum quotidie pulsantes animuum, illa cordi nostro vehementius insidet quam de doctrina concipimus veritatis. Principes videlicet et milites suis contentos esse debere stipendiis et neminem concutere specialiter innocentem, attento nihilominus quod eo peccatum est gravius, quo in statum vel in gradum committitur altiorem. Cum nos igitur, postquam, Domino permittente, principatum suscepimus, abbatibus, abbatissis, prioribus, priorissis quibuscumque, religiosis ac regularibus, predia et possessiones habentibus in terra nostra, omnipotenti deo famulantibus sub habitu regulari, et eorum bonis et locis in districtu dominii nostri consistentibus, tallias, exactiones, subventiones et inconsueta servitia imposuerimus, seu imponi nomine nostro permiserimus, in eorum et ecclesiastice libertatis prejudicium non modicum et gravamen, universitati vestre notum facimus et testamur tenore presentium literarum, quod nos, preteritam nostram vitam lugubrem, gratia suffragante Altissimi, cupientes summopere in

melius commutare, sub spe petite venie de preteritis et obtente nihilominus a religiosis superius memoratis, predictos abbates, abbatissas, priores, priorissas, prepositos et religiosos ac regulares quoscumque alios terre nostre in generali, et eorum quemlibet in speciali, eorumque bona et loca ubicumque in districtu nostro consistentia, deinceps in perpetuum ab omni tallia, exactione, subventione et inconsuetis servitiis, diligenti deliberatione prehabita, pro nobis et nostris heredibus et successoribus quibuscumque, ob remedium anime nostre, animarum quoque heredum ac successorum nostrorum, absolvimus et quitamus, illis exceptis que de jure possunt exigi et levari.

» Receptionem quoque et nutritionem porcorum nostrorum in locis dictorum religiosorum et grangiis, et deductionem seu subventionem lignorum nostrorum combustibilium ad quevis nostra loca et hospitia, que consueta servitia reputamus, eisdem religiosis, pro nobis et pro nostris heredibus et successoribus, perpetuo jure remittimus propter Deum, ut eo ferventius et devotius pro nobis et nostris heredibus, ac pro bono et salubri statu totius Brabancie, intercedere et famulari possint Altissimo, quo de gravaminibus, molestiis et incursionibus fuerint melius custoditi. Mandando omnibus et singulis nostris villicis seu justiciariis, quocunque nomine censeantur, sub pena nostre gravissime animadversionis, si secus egerint, ne predictos religiosos suis sumptibus, petitionibus, vel in eorum monasteriis ac locis commessationibus gravent aliquatenus et molestent: eisdem religiosis firmiter injungentes, quatenus, si dicti nostri villici seu justiciarii contrarium attentare presumpserint, hec nobis indilate studeant intimare, quia eosdem religiosos expressos superius gaudere volumus ecclesiastica libertate: quos et eorum bona nihilominus sub nostra protectione perpetua suscepimus et tutela, promittentes fide media et juramento prestito corporali, tactis sacrosanctis evangeliis, pro nobis et nostris heredibus ac successoribus, quod contra premissa vel eorum aliquod non veniemus per nos, aut per quoscumque alios venire conabimur in futurum, nec artem, ingenium, consilium, favorem vel auxilium queremus vel prestabimus, queri vel prestari sustinebimus, per que infringi posset in posterum aliquid premissorum.

» In quorum omnium testimonium et memoriam sempiternam prefatis religiosis presentes literas, valituras simul omnibus et divisim eorum cui-

libet. contulimus, sigilli nostri munimine roboratas. Datum et actum. nobis recta ratione utentibus. anno Domini M° CCC° XII°, feria tercia post festum sancti Remigii episcopi :

» Et ut eis graciam faciamus ampliorem, dictis religiosis omnes alias literas a predecessoribus nostris eis et singulis ipsorum concessas super quibuscumque libertatibus vel juribus eorum, laudamus, approbamus ac eciam presentis scripti patrocinio confirmamus.

» Amplius de angariis seu corweydiis. quas officiales nostri nostro nomine petebant a dictis religiosis et ab aliis religiosis nostri ducatus. ratione suorum monasteriorum aut suarum curiarum, inter nos et dictos religiosos, suo nomine et aliorum religiosorum nostri ducatus, extitit concordatum. quod dicti religiosi et alii nostre terre pro omnibus corweydiis. quas exigere possimus ab eisdem, nobis et successoribus nostris in futurum tenebuntur exhibere, tradere et implere singulis annis mille et sexcentas dietas corweydiarum. tantummodo de curribus munitis et stoffatis. rationabiliter et sine dolo capiendas ad acceptandum. prout melius necessitati nostre videbitur expedire, cum minori tamen detrimento dictorum religiosorum, quod fieri poterit bono commodo. Et nos pro singulis corweydiis curruum predictorum, pro singulis diebus quibus nostro insistent servitio, tenemur dare sine mora duos grossos veteres cum dimidio monete regis Francie, aut monetam equivalentem, sine dolo. salvo eo quod dicti religiosi, si eis placuerit. poterunt singulas corweydias dictorum curruum redimere pro valore XII grossorum Turonensium monete antedicte. Has item angarias seu corweydias, et non ampliores, nos et nostri successores poterimus recipere et exigere. prout sunt assignate et distribute in locis assignatis et specificatis in aliis nostris literis, dictis religiosis traditis sub nostro sigillo majori et aliis : videlicet pro nobis domini Henrici dicti Stalbert, decani, ac magistri Henrici dicti Kueke, canonicorum ecclesie nostre beate Gudile Bruxellensis. capitulorum nostrorum, et sigillis religiosorum virorum Bone Spei et Helenchmensis monasteriorum. abbatum ordinis Premonstratensis. pro dictis religiosis. qui contra nos placitaverunt, et sigillis dilecti et fidelis nostri militis Leonii de Craenhem et Egidii de Braken, capituli beate Gudile predicte. pro aliis religiosis terre nostre. qui contra nos non placitaverant. deputatorum. Et assignationem et distributionem predictarum angariarum seu corweydiarum, ut premittitur, facientes, exhibitionem seu servicium

unius currus stoffati per unam diem pro una corweydia reputantes, salvo semper nobis nostrisque heredibus et successoribus corweyias recipere consuetas in expeditionibus nostris et cavalcaturis publicis, cum nos et successores nostros guerram habere contigerit, aperte sine dolo.

» Insuper de gistis nostrorum canum majorum est concordatum, quod dicti religiosi in abbatiis, domibus seu curtibus suis ad gistas recipiunt, et tenebuntur semel in anno, sicut fuit ab antiquo consuetum : videlicet, quod in locis ubi plene et integre giste debentur, duobus diebus et duabus noctibus, et ubi dimidie giste debentur, per unum diem et per unam noctem dictos canes convenienter recipere tenebuntur. Dicti tamen religiosi poterunt, quotiescumque voluerint, gistam integram pro duodecim solidis grossorum, et quamlibet dimidiam gistam pro sex solidis grossorum monete predicte, vel equivalentis, redimere, sine fraude. Insuper pro gistis canum nostrorum parvorum dabunt nobis singulis annis religiosi viri, videlicet Florensis, Antwerpiensis, Grymbergensis, Parchensis, Tongerlensis, Helechmensis et Gentensis monasteriorum abbates predictorum, nomine redemptionum ipsarum gistarum, semel in anno tres solidos grossorum monete antedicte. A quibus gistis, pro nobis et successoribus nostris, perpetuo religiosos, videlicet Sancti Laurentii juxta muros Leodienses, Aluensis, Floreffiensis, Bone Spei et Sancti Foyllani predictorum monasteriorum abbates, et de Zalachinos abbatissam predictam, et eorum successores, penitus volumus esse perpetuo liberos et immunes.

» His autem mediantibus nos dux antedictus, pro nobis nostrisque heredibus et successoribus, dictos religiosos et religiosas, et eorum successores, et eorum monasteria, domos, curtes et eorum bona quecumque, ab omni alio onere penitus esse volumus liberos et immunes, et ipsos gaudere debita libertate: ipsos quoque quitamus et liberamus in perpetuum ab omni onere receptionis vel custodie pecorum, anserum, caponum, gallinarum, aliorum canum, serviencium, sergantorum, balivorum, villicorum et aliorum officialium nostrorum vel successorum, necnon ab onere cujuslibet alterius exactionis seu impositionis, quocumque nomine censeantur.

» Ceterum, licet preclara religionis merita digna nos moveant, quod nos religiosarum personarum quarumlibet utilitatibus votive teneamur intendere, ac easdem favore et gracia prosequi et fovere, illas tamen personas religiosas infra districtum nostri dominii constitutas amplectimur carius.

et ex intimo cordis affectu liberaliter et libenter gratiis uberioribus confovemus, que tempore discordie quondam suborte inter nos et religiosos superius nominatim expressos, nostram nostreque patrie evidentem necessitatem attendentes, se nobis ac nostris nobilibus bonarumque nostrarum villarum consulibus, quantum cum Deo poterant, devote humiliterque subjecerunt, ac cum religiosis superius nominatis nullatenus contra nos placitare volentes, nobis cum stabili concordia fideliter in omnibus persistebant. Igitur, cum emolumentum, quod a litigiosis litigio seu arbitrio acquiritur, benevolis ac pacificis consimilium conditionum jure nequaquam denegatur, eapropter religiosis personis nobis in Domino predilectis, de Affligem, de Villari, de loco Sancti Bernardi et de Bern monasteriorum abbatibus, necnon de Parcho, dominarum de Nazareth, de Ewiria, de Rothem, de Waltheri-Brania ac de Bynderen monasteriorum abbatissis, et de Hoendonck monasterii priorisse, ac aliis nostre terre religiosis eorumque conventus Sancti Benedicti, Cisterciensis, Premonstratensis et Sancti Augustini ordinum, Leodiensis et Cameracensis diecesis, qui, ut premissum est, contra nos placitare penitus recusantes, pace ac fide constanti nobiscum persistere elegerunt, prehabito super his maturo nobilium terre nostre ac consulum bonarum nostrarum villarum consilio, confirmationes immunitatum ac libertatum, supportationes exactionum et talliarum, quitationes ab impositione omnium onerum et receptionum animalium quorumcumque, necnon omnes libertates et gracias universas et singulas, religiosis qui contra nos placitaverant concessas, prout superius de verbo ad verbum sunt expresse, ob remedium anime nostre ac dilecte consortis nostre, progenitorum quoque et successorum nostrorum animarum, generose concedimus et pure conferimus: propterea promittentes, bona fide prestita corporali, pro nobis ac nostris heredibus et successoribus, premissa universa et singula observare bona fide. Et nihilominus renuntiamus, pro nobis et successoribus nostris et heredibus, cum arte, consilio, ingenio, necnon subtilitatibus quibuscumque excogitatis seu in posterum excogitandis, viisque omnibus et singulis quibus possemus futuro tempore, libertatibus et graciis antedictis, aut earum cuilibet, quomodolibet obviare.

» Et, ut premissa omnia et singula, ex certa nostra scientia specificata et favore speciali concessa, robur et perpetuam obtineant firmitatem, volumus et jussimus illa sigilli nostri majoris munimine roborari, rogantes

insuper, benigne mandando, bonas villas nostras Lovaniensem et Bruxellensem, quatenus sigilla sua unacum nostro appendant presentibus, in testimonium veritatis ac robur perpetuum premissorum.

» Et nos ville Lovaniensis et Bruxellensis predicte, ad mandatum roga- 1338.
tumque illustris principis domini nostri predilecti domini Johannis, Dei gracia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducis, sigilla nostra unacum sigillo majori in premissorum omnium testimonium ac firmitatem perpetuam duximus presentibus apponenda. Datum et actum Bruxelle, anno Domini M° CCC° XXXVIII°, die lune ante festum Nativitatis beati Johannis Baptiste. »

« Nos Wenceslaus de Bohemia, Dei gracia dux, et Johanna, eadem 1376.
gracia ducissa Lucemburgensis, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis, sacrique imperii marchiones, notum facimus universis, quod in honorem et reverentiam Domini Nostri Jesu Christi et beatissime Marie virginis, sue genitricis, quorum cultum et laudis preconium in ecclesia sancta augeri cupimus puris affectibus et exaltari, considerantes eciam quod nonnisi tempore pacis convenienter coli posset auctor pacis, ob remedium et salutem animarum nostrarum, piis eciam progenitorum predecessorumque nostrorum, Brabancie ducum, vestigiis inherendo, promisimus animo deliberato, et promisisse nos recognoscimus et promittimus per presentes bona fide dilectis nostris in Christo abbati et conventui monasterii Vliederbacensis servare, manutenere et adimplere, legaliter, realiter et cum effectu, omnia et singula privilegia, libertates, franchisias, eidem et aliis monasteriis ducatus nostri Brabancie per nos seu predecessores nostros quoscumque duces Brabancie, generaliter vel specialiter, conjunctim vel divisim, eciam sub quibuscumque verborum formis quomodolibet concessa vel indulta, concessas vel indultas, in omnibus et per omnia, prout et secundum quod illa et illas prefato abbati et conventui suo predicto et omnibus aliis monasteriis ducatus nostri prefati in aliis nostris literis nos confirmasse, approbasse et ratificasse, atque ad illorum observationem, adimpletionem obligasse, nos mente revolvimus.

» Et specialiter privilegium domini quondam Johannis Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducis, bone memorie domini nostri et predecessoris immediati carissimi, qui inter cetera voluit et mandavit, pro se suisque heredibus et successoribus, dictos religiosos, cum suis monasteriis,

domibus, curtibus et eorum bonis quibuscumque, ab omni onere penitus esse liberos, immunes, et ipsos gaudere debere debita et ecclesiastica libertate, ipsosque quitari et liberari in perpetuum ab omni onere receptionis sue, servientium quoque, sergantorum, baillivorum, villicorum et aliorum officiatorum suorum et successorum, et custodie porcorum, anserum, caponum, gallinarum et aliorum canum [1], nec non ab omni onere alterius exactionis seu impositionis, quocumque nomine censeantur, salvis manentibus sibi successoribusque suis predictis in premissis certis servitiis corveydiarum curruum, canum aliorumque jurium, inter predictum dominum et predecessorem nostrum, ex una parte, et prelatos et presidentes pro parte monasteriorum et locorum ejusdem ducatus, ex altera, contentis et accordatis, ac in literis ejusdem patentibus, desuper confectis, contentis latius et expressis.

» In quorum omnium testimonium nos dux et ducissa prelibati sigilla nostra literis presentibus ex recta scientia appendi mandamus. Datum Bruxelle, anno Domini M° CCC° LXXVI°, secundum stylum diecesis Cameracensis, mensis martii die VII[a]. »

1415. « Anthonis, by der gratien Godts hertoge van Lotryck, van Brabant ende van Lymborch, marckgrave 's Heylichs Ryex, allen denghenen die desen brieff selen sien, saluyt. Want ons van onsse godtshuyssen wegen van Brabant clagelyck getoont is, dat dickwil jaerlyck, ende almeest alle jare, in veel van onssen godtshuyssen heuren vuythoven onse jegers met onssen honden, grooten en smalen, ende horen knechten haer gysten van teringen, eten ende drincken comen houwen, ende daertoe betaelen moeten van elcken gysten so veel gelts als daertoe steet, gelyck oft sy die teeringe van eten en drincken niet en deden, boven dat sy maer in d'een van desen, den cost van onssen jegers, knechten ende honden te doen, oft gelt daeraf te betaelen, welck van beyden sy willen, quyt syn schuldich te wesen naer den openen brieven, die sy van onssen voorders daeraff hebben, ende naer ouden hercomen. Es ons voert getoent van onssen voorseiden godtshuysen wege, naer den begrype van denselven haren openen brieven, dat sy schuldich syn gestaen van den dienste die sy ons van courweyden van horen wagenen syn gehouwen te doen jaerlycx, met gelde onverbonde in der leveringen van onse wagenen, dat hen eenen tyt gebroken heeft geweest

[1] Lege *aliarum avium.*

van onse courwyde-meesteren ende haren dienaeren, die den dinst genomen hebben t'onsen behoeff van haren wagenen, ende hen mit den gelde niet laeten volstaen. D'welck onssen godtshuyssen voorseid van beyden voorseiden poincten comen is dagelycx ende jaerlycx te groten schaden ende achterdeel, ende noch meer soude, waert sy daeraff van ons niet versien en worden, daer sy ons ootmoedelyck om gebeden hebben : so doen wy condt dat wy, geneycht ter ootmoediger ende ernstiger beden onser godtshuysen voorseid, gemerckt den grooten swaren last oft commer daer sy in steken van den beden, die sy onssen voorderen ende ons betaelt hebben, ende dat sy den dienst die sy ons schuldich syn niet en selen konnen doen en in state blyvende, aensiende mede d'inhouwen van horen voorseiden openen brieven, over ende in onssen courweyden gehouden syn, ghejont, gewillecoert ende geconsenteert hebben, jonnen, willecoren ende consenteren met desen brieve, niet willende dat sy veronrecht werden, ende dat sy voortaen gestaen ende quyt syn jaerlycx van den gysten van onssen honden, groten ende smalen, met also vele gelts als sy daeraf schuldich syn ende hore voorseide opene brieven inhouden, sonder daerenboven eenigen cost oft last te hebben van teringen, oft ander, van onssen jegeren, haren knechten ende honden, ende dat sy die onssen courweyden schuldich syn van wagenen, voortaene jaerlycx desgelycx quyt syn ende volstaen, van elcker courweyden ons te betalen, XII ouwe groote, gelyck deselve hare brieven dat begrypen, ongehouden daer overmits in den dinst van haren wagenen wuytgeschyden altoos wanneer wy openbaer oorloge hebben, dat sy ons dan met horen wagenen selen dienen, als men van ouwts geplogen heeft, ende in denselven voorseiden openen brieven wel verclaert staet. Ontbieden daerom ende bevelen onsse meester-jegeren ende corweyde-meesteren ende allen onssen ambachteren ende dienaeren, dien dat aengaen mach, dat sy dien dat aenruert voortane onssen voorseide godtshuysen ende alle die daertoe hooren, quyt houden ende gestaen laeten metten gelde van onssen gisten ende van onssen corweyden, gelyck voorseid steet, ende voorder te moeyen oft toe te sprekene, also lief als sy onsse hulde ende hare ambacht hebben te behouwen : want wy dat also gedaen willen hebben. In oorconden des brieffs is 't dat wy onssen segel hebben aen doen hangen. Gegeven te Diest des ierstes daechs in julio in den jaer Ons Heeren M CCCC XIII.

» Aldus geteeckent by mynen heere de hertoge; daerby waren joncker van Monjouwen ende heer Arent van Craenhem. — W. Bont. »

1415. « Anthonis, by der gratien Godts hertoge van Lottryck, van Brabant ende van Lymborch, markgrave des Heylichs Rycx, allen denghenen die desen brieff selen sien, saluyt. Want also wy claerlyck ende bescheydelyck onderwyst syn, die prelaten ende prelatessen ende meesterssen onsser godtshuysen ende gasthuysen van Brabant, ende die vuythove hen ende anderen godtshuysen, buyten onssen lande van Brabant gelegen, overmits grooten ende swaren last van beden, die sy van onssen vorvaderen van Brabant, saliger gedenkenissen, in tyden vorleden gehadt hebben ende oock cortelinge van onsser nieuwer incompst in denselven onsse landen van Brabant ende ons nieuws Heylichs Rycx, ende oock van ons courweyden van wagenen ende gysten van honden onser, ende sonderlinge van den gasteryen die er dagelycx overcomen, also seer t'achter ende t'onder syn, dat sy onsen dinst, die sy onssen vorderen ende ons gedaen hebben ende schuldich gewesen te doen, voertaen niet gedoen en selen konnen, horen godtshuyse, ende die vuythove voorseid in state blyvende, Godts dinst daer gedaen te wesen metten almoessen, die sy gewoon syn te doen, waer sy daeraff van remedien van ons niet versien en worden, daer sy ons ootmoedelyck om gebeden hebben :

» Ende want wy met herten daertoe geneycht ende beruert syn, onsse godtshuysen ende gasthuysen ende die vuythoven voorseid, aensiende Gode van hemelryck, ende den schoonen ende bequamen godlycken dinst die daerin dagelycx gedaen wert, ende mede die groote aelmoessen die den armen daerin gedeylt worden, in staet te houwen, op dat sy in dese weldaet gestaen mogen, ende oock volbrengen te doen ons ende onsse naercomelingen alsulcken dienst als sy ons schuldich syn : soo doen wy condt, dat wy, met goeden voerrade ende goeder deliberatien met onssen rade daerop gehadt, overdragen syn ende willen, gemerckt 't gene dat voorseid is ende die brieven van onssen vorvaderen daerop verleent, dat alle onsse godtshuysen, gasthuysen ende alle uythove voorseid voortaen vry ende los, ledich ende ontlast syn ende blyven van allen gasteryen die van hercomen daerbynnen gehanteert syn geweest, die ons comen syn, ende dagelycx doen, te cleynen ende egheenen profeyt, ende hen te swaren last ende groote schaden. Dat 's te weten dat van desen dage voort nieman van onssen rechteren, dienaren ende ondersaten, edel oft onedel, groot oft cleyn, hy sy van onssen huysgesinne, ende onsse woude-meester, warant-meester,

ende hore knechten, warant-huderen, patriserers, valkeneren, leenjagers oft anderen jegeren noch iemant anders (uuytgescheyden alleen onssen drossete van Brabant ende onssen raet, met hoers selliffs lyve ende met horen dagelycken dienaren ende knechten die sy met daer bringen selen) en sal noch en selen mogen comen binne eenigen van onssen voorseiden godtshuysen ende gasthuysen oft uuythoven voorseid, lyfveringe van eten oft drinken vore hen oft vore hore knechten, oft haver, hoy oft ander voedere vore de peerde te nemen oft te willen hebben, oft anderen eenegen cost oft overlast hen aldaer te doene, behouden dien oft den prelaten, prelaterssen, meesterssen van onsse godtshuysen, gasthuysen, oft die meestere van den uuythoven voorseid, te hore beden ende met horen wille, sonder argelist, iemant overquame binnen horen godtshuysen, dat sy die mogen ontfaen met horen peerden t'eten ende te drinken, ende horen peerden voeder geven, ende niemant anders.

» Syn voort overgedrâgen ende willen, dat de prelaten, prelaterssen, meesterssen van onsse godtshuysen ende gasthuysen, ende meesteren van uuythoven voorseid, alle die stallingen binnen horen godtshuysen ende uuythoven overal selen ende mogen, oft sy willen, terstont doen affbreken, oft die stellen tot anderen profeyt dan te peerden, sonder alleen die hen behoeven te behouwen vore hen selven ende hore winnen, ende niet meer; ende oock de huysingen, daerin sy gewoonlyck syn de gasten te ontfaen, toetesluyten, des daer niemant in en come daer ontfaen te wesen. Daerom ontbieden wy ende bevelen allen rechteren, dienaren ende ondersaten van Brabant, ons ende der smaelre heeren voorseid, ende elcken van hen, ende allen anderen, so ernstelyckste wy connen, dat hore gheen binnen onssen godtshuysen ende uuythoven voorseid en kome, lyffveringe vore hen oft hore knechten oft peerden en nemen, oft hen oock eenigerhande overlast oft cost aendoen, in geenre manieren. Bevelen desgelycx ende versuecken ernstelyck op onsse hulde, te behouden allen den prelaten, prelaterssen, meesterssen van onssen godtshuysen ende meesteren van den uuythoven voorseid, ende elcken van hen sonderlinge, dat hore gheen niemant, wie hy sy, dan onssen drossete ende raet voorseid met haren dagelycxen dienaren ende knechten, binnen horen godtshuysen ende uuythoven en ontfangen, t'eten noch te drincken en geven, ende hore stallinge affbreken, ende met anderen horen dingen becommeren, ende oock hore huysinge van gaste-

ryen te sluyten, oft sy willen, alleen wuytgenomen deghene die sy by hen sellen willen van horen vrienden, ende derre sy te doen hebben. Ende oft iemant van onsen oft onse smaelre heeren, rechteren, dieneren oft onderseten, oft iemant anders, tegen dese ordinantie in eenigen punct dede, oft oock eenige van den prelaten, prelaterssen, meesterssen van gasthuysen oft meesteren van uuythoven voorseid, die sal verboren jegen ons, tot allen tyden dat hy daerjegen dade, een pont oude grooten.

» Noch syn wy voort overdragen ende willen, om onsse godtshuysen ende uuythoven voorseid te meer ontlast te wesen, dat niemant van onssen rechteren, drosseten, onsse rentmeesteren, noch ander ambachteren dienaren oft onderseten voorseid, die onsse oft oock onse smaelre heeren, noch yemant anders eenige peerde oft wagene onssen prelaten, prelaterssen, meesteren van den gasthuysen ende den meesteren van uuythoven voorseid aff en leenen, ende desselven, gelycx oock allen de prelaten, prelaterssen, meesteren van den gasthuysen ende den meesteren van uuythoven voorseid, dat sy hen negheen peerde oft wagene en lienen noch en leveren, op die pene voorseid tegen ons te verboren also dick, al sy dat deden.

» In oorconden des brieffs ist dat wy onssen segel aen hebben doen hangen. Gegeven te Diest, des ierstes daechs in julio, in den jaer Ons Heeren M CCCC XIII. Aldus geteeckent by mynen heere de hertoge; daerby waren myn joncker van Monjouwen ende heere Aernt van Craenhem. — N. Bont. »

1429. « Et insuper, inter ceteros articulos privilegiorum dictis religiosis a quondam domino Johanne duce quarto, fratre nostro antedicto, concessorum, de data Lovanii XII^a^ maii, anno M° CCCC° XXII°, ipse frater noster indultum concessit, cujus tenor sequitur in hec verba :

» Item, willen wy ende consenteren, dat negheen van den edelen onse, ofte hore ambachteren, officiren, dieneren, syn sy hooge ofte leege, ons lants van Brabant, ofte edelre knapen gesinne, oft niemant anders, so wy hy ware, van nu voortaen gelasten oft beswaren selen mogen onsse kloosteren ofte godtshuysen onsselffs lants van Brabant met eeniger gastereyen van peerde, van lejageren, hanycken oft honden, uuytgenomen denselven cloosteren ende godtshuysen die daerop gesticht ende gefundeert syn, behoudelyck den edelen van onssen lande, hore heerlycheyt ende rechte. Ende dat men den voorseide cloostere ende godtshuysen hen privilegien, die

hen daeraff verleent syn, ende sonderlinge die privilegien die onsse heer ende vader hertoge Anthonis saliger gedachten onssen cloosteren ende godtshuysen daeraff verleent heeft ende gegeven, gehouden worden in hore volcomen macht.

» Quas quidem literas, omnesque alias literas et privilegia progenitorum et predecessorum nostrorum, predictis religiosis et singulis ipsorum successorumque eorumdem, generaliter et specialiter, et tam conjunctim quam divisim, concessas et concessa super quibuscumque libertatibus vel juribus eorum, ut perpetuo robur firmitatis obtineant, nos, juxta nostram in nostro adventu jucundo, sicut premittitur, concessionem, auctoritate nostra approbamus, ratificamus, et presentis scripti patrocinio, pro nobis et successoribus nostris, ob suarum nostrique ac predecessorum nostrorum animarum remedium et salutem, ex certa scientia confirmamus, volentes et concedentes ut iidem religiosi successoresque, ac monasteria, pia loca, curtes, mansus, bona, res, persone et familie eorumdem, universis et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, graciis, deportationibus, quitationibus corweydiarum et gistarum canum moderantibus literis, libertatibus et franchisiis, prout in suprascriptis literis expresse continentur et declarantur, pacifice gaudeant et quiete, impedimentis et contradictionibus quibuscumque procul motis: promittentes, fide prestita corporali, pro nobis ac heredibus et successoribus nostris, premissa omnia et singula observare bona fide, et non contravenire per nos vel alios, neque contravenire procurare quoquo modo.

» Et nihilominus seneschallo, receptori generali, magistris warandiarum et corweydiarum, omnibusque aliis et singulis justiciariis, officiariis nostris Brabancie ceterisque aliis subditis nostris, presentibus et futuris, quocumque nomine censeantur, sub pena nostre gravissime animadversionis, districte precipiendo mandamus, ne predictos religiosos, servitores et familias in eorum monasteriis et curtibus, mansibus, domibus atque locis, suis sumptibus, petitionibus vel commessationibus gravent aliquatenus vel molestent, nullasque dietas seu congregationes servent sive teneant in eisdem, sub pena unius libre grossorum veterum, nobis applicandorum, toties quoties contrafactum fuerit contra continenciam privilegii domini Anthonii ducis, patris nostri quondam supradicti, nec contra tenores predictarum literarum superius insertarum, et aliarum per nos, ut premititur, ratifica-

tarum et confirmatarum, per se vel alium vel alios ullatenus impediant vel perturbent, neque ultra vel contra moderationem corweyarum et gistarum canum amplius exigant, seu gravari, molestari, impediri, perturbari vel exigi permittant. in corporibus seu in bonis. quovis quesito colore: quin imo eosdem, eorum monasteria, servitores et familiam, curtes, mansus, domus, loca atque bona, quos, quas et que, tanquam eorum dominus supremus et advocatus, recognoscimus esse sub nostra protectione, salvagardia securoque conductu, in conservationem libertatis ecclesie juriumque et privilegiorum suorum predictorum manuteneant, et ubilibet contra invasores quoslibet et injuriatores a quibuscumque molestationibus et injuriis ipsis illatis vel inferendis tueantur et deffendant. ac ab omni precariarum, exactionum et talliarum impositione observent immunes, illis dumtaxat exceptis que de jure possunt exigi vel levari, et salvis servitiis et eorum bonis nobis debitis et accordatis, in supradictis literis latius contentis, moderatis et declaratis. Quas quidem molestationes, injurias et impositiones, si in prejudicium nostrarum confirmationum salvegardie predictarum ipsis illatas et exactas esse vel fuisse reperierint, absque mora et alterius expetitione mandati ad statum debitum reducant, nobisque et parti lese amendam propter hoc condignam faciant prestari; ac premissa omnia et singula in ecclesiis et aliis locis publicis, horis et locis debitis et consuetis, dum ad hoc fuerint requisiti, studeant publicare. Injungentes preterea predictis religiosis, eorumque servitoribus et familiis, firmiter et districte, quatenus, si predicti justiciarii, officiarii atque subditi nostri, cujuscumque etiam status vel conditionis extiterint, contrarium attemptare presumpserint, hoc nobis aut cancellario nostro indilate studeant intimare, quia contemptores, invasores et injuriatores hujusmodi juxta demeriti qualitatem taliter puniemus, quod ceteris cedat in exemplum, prefatique religiosi ad nos causam justam non habeant querelandi.

» In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes nostras literas inde fieri nostrique magni sigilli jussimus et fecimus appensione communiri. Datum in oppido nostro Lovaniensi, anno Domini M° CCCC° XXIX°, mensis octobris die VIII[a]. Et sic signata per dominum ducem in suo consilio, vobis, Engelberto comite, comite Nassauwie, domino Diestensi, domino de Rotselaer, Johanne de Schoonvorst, borchgravio de Monjouwen, fratre Emundo de Hennichoven, magistro de

Chantrain ordinis Sancti Johannis Hierosolimitani, domino Johanne de Witthem, Johanne de Woude, domino de Walhain, Henrico de Rotselaer, domino de Roest, Johanne de Witthem, domino de Boutersem, domino de Dongelberge, Arnoldo Stamelaert de Uden, et quampluribus aliis presentibus. — E. DE DYNTER. »

« Philips, by der gratien Godts hertoge van Bourgoindien, van Lothringen, van Brabant ende van Lymborch, greve van Vlandren, van Artois, van Bourgoindien, palatyn, van Henegouw, van Hollant, van Zeelant ende van Namen, marckgrave des Heylich Ryex, heere van Vrieslant, van Salines ende van Mechelen, allen denghenen die dese brieff selen sien oft hooren lesen, nu synde ende naermaels wesende, saluyt. 1430.

» Want onsse geminde in Gode, geestelicke en religiose persoonen, die prelaten ende prelaterssen, meesteren ende meesterssen van de godtshuysen, cloosteren ende cloosterhoven ons lants van Brabant, ons hebben doen toonen eenen openen besegelden brieff van confirmatien ons liefs neve, wylen hertoge Philips, hertoge van Brabant ende van Lymborch, greve van Ligney ende van Sint-Pol, mentie makende van sekeren privilegien by denselven onsen neve ende anderen onssen vorseten hertogen ende hertoginnen van Brabant saliger gedachten hen verleent, van de gasteryen die hen dagelycx overcomen, tot horen grooten lasten ende schaden, ons ootmoedelycken biddende dat wy hem den voorseiden brieff, met allen punten ende articulen daerin begreepen, boven die confirmatie generael van allen horen rechten, vryheden, ende privilegien, ende by ons in onsser eerster incompst gedaen, in't speciael willen confirmeren, ratificeren ende approberen, van welken brieve den teneur van woorde tot woorde hiernaer volcht ende luyt aldus :

» Philips, by der gratien Godts hertoge van Lottryck, van Brabant ende van Lymborch, marcgrave des Heylich Ryex, greve van Lyney ende van Sint-Pol, etc.[1].

» So ees 't dat wy den voorseiden brieff ende d'inhouwen van denselven by onssen lieven ende getrouwen cancellier Mr Jan Bont, doctoor in beyde rechten, ende sommige andere van onssen rade ernstelyck hebben doen

[1] Hoc loco sequuntur vernaculo idiomate literae Philippi comitis de Liniaco et S. Pauli, eaedem ac illae que leguntur latine, supra p. 598. Eas itaque hic omittendas esse duxi.

oversien, visiteren ende examineren, die ons volcomen relatie daeraff hebben gedaen, ende wy emmer naervolgen willen de salige voetstappen onsser vorseten voorseid, die onssen voorseiden godtshuysen ende cloosteren met allerhande gratien, vryheden, giften ende privilegien mildelyck ende genedichlyck verlicht hebben en versien : begerende met godlycker aendacht hen deselve gratien, vryheden, giften ende privilegien onverbrekelyck doen houden ende niet te verminderen, op dat sy te voorder gehouwen syn selen den dienst Godts vore de sielen onsser vorsaten, onsser liever geminder gesellinnen, der hertoginnen vrouwe Elisabeth, ende onsser naercomelingen, hertogen ende hertoginnen van Brabant, ende vore onsser, derselver onsser gesellinnen ende ons voorseiden lants salicheyt, eer ende welvaert, ende vore rust, vrede ende eendrachticheyt muchllycker te bidden, soe wael van allen prelaten, cloosteren ende godtshuysen ons voorseiden lands alle hore rechten, vryheyden ende privilegien, die sy hebben, ende hen van onssen voorgenoemden voorseten gegeven, verleent ende besegelt syn, in onsser eerster incompste ende ontfanckenisse totter heerlickheit ons voorseids lants van Brabant, generalyck ende in 't gemeyn hebben geconfirmeert ende geratificeert, ende geloeft hen die alle, gemeynlyck ende elck besonder, vast ende gestade te houwen eewelyck vore onsse hoir ende naercomelingen, sonder breken oft daertegen te doen oft laeten geschien, in eeniger manieren, gelyck de besegelde brieven van onsser voorseiden incompst onder meer ander puncten ende articulen dat claerlyck inhouwen.

» So ees 't nochtans dat wy, mits de voorseiden ende anderen redenen ons daertoe porrende, ende sonderlinge om dat sy ons en onsser voorseider liever gesellinnen te liefde, gonsten ende vrientschappen liberalyck hebben geconsenteert, ende geloeft die some van IV duysent cronen, tot den parke dat wy nuw doen maken ende bemueren achter ons hoff binnen onsser stadt van Bruessel, den voorseiden prelaten, prelaterssen, meesteren, meesterssen van godtshuysen, cloosteren ende cloosterhoven ons lants van Brabant voorseid, ende elcken besonder, ende hore naercomelingen, die welcke wy, ende elcke besonder, met allen horen winnen, laten, familien ende goeden, bekennen in onsser sonderlinger sauvegarden ende beschermenissen te wesen, om die by hare voorseide rechten, vryheyden ende privilegien gehouwen, ende van ongelyck gewonde lasten ende

onbehoerlycke gastereyen beschut te worden, alle die vryheden, privilegien, ende by onssen voorgenoemden voorseten van der gastereye, ende sonderlinge ons voorseiden neve, wylen hertoge Philips, hierboven geincorporeert, ende alle punten met den ordinantien van der gasterien daerin begreepen, tot eeren ende te loven Godts, vore ons, onsse hoir en naercomelingen voorseid, hebben in speciael geconfirmeert, geapprobeert ende vernieuwt, ende van sonderlinger gratien confirmeren, approberen ende vernieuwen mits desen brieve. Ontbieden hierom ende bevelen ernstelyck onssen drosseth ende allen onssen anderen ende der smaelre heeren ambachteren, richteren ende dienaren ons voorseiden lants van Brabant, ende horen stedehouweren, nuw synde ende naermaels wesende, ende allen anderen dien dat aengaen mach, ende elcken van hen also hen toebehoort, die des met desen brieve, oft met vidimus daervuyt onder onssen segel autentyck, oft copeye daeraff, by eenigen van onssen secretarissen oft eenigen notarissen gecollationneert ende geteeckent, versocht sal worden, dat sy den prelaten, prelaterssen, meesteren ende meesterssen van de godtshuysen, cloosteren en cloosterhoven voorseid, ende elcken besonder. onsser jegenwoordiger gratien ende confirmatien, ende sonderlinge alle der voorseiden vryheden van der gasteryen, naer inhouwt ons voorseiden neven ende desen onssen brieve, rustelyck ende vredelyck doen ende laeten gebrucken, sonder letsel ende wederseggen, op onsse hulde ende vrientschap, ende behouwen, ende op alle dat sy tegen ons verboren mogen, boven den penen in ons voorseiden neve brieven begreepen.

» Ende willen, om een iegelycken van schade te wachten, dat sy ende ellick van hen die des versocht sal worden, desen selven onssen brieff doen vuytlesen ende becondigen, t'allen behoorlicken dagen ende plaetsen, als sy des versocht selen worden. Ende waer 't sake dat onsse oft der voorseiden heeren ambachteren oft dienare hierinne onbereet waren, oft dat iemant boven onsse voorseide confirmatie ende ordinantie den voorseiden prelaten, prelaterssen, meesteren ende meesterssen, horen winnen, laten ende familien ende goeden, eenigen overlast deden, so bevelen wy hen dat sy ons, ofte, in onsser absentien, onssen voorseiden cancellier ende rade dat sonder eenige dissimulatie aenbrengen, om daerover alsulcke correctie, ende ons ende hen alsulcke beternisse te geschien als naer gelegentheyt der misdaet behoorlyck syn sal. Ende des t'oorconde hebben wy onssen segel aen desen brieff doen hangen.

» Gegeven in onsser stadt van Loven, XVII dagen in octobri, in 't jaer Ons Heere M CCCC XXX.

» Signatum by mynen heere den hertoge, daer van syne rade by waren heer Jan van Hoorne, drosseth van Brabant, Raes van Graven heer van Heverle, heer Jan de Hertoge riddere, ende Willem van Montis. — E. De Dynter. »

Tenor confirmatorie litere super distributione et assignatione corweydiarum et curruum monasteriorum ducatus Brabancie, et bona tenentium in eodem, per Johannem tertium concesse.

1355. « Universis Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, Johannes, Dei gracia Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux, Wilhelmus Hannonie et Hollandie comes, necnon fratres Johannes Bone Spei, Jacobus Hellichmensis, Johannes Parchensis monasteriorum abbates, Leonius de Craenhem miles, Henricus Stablert, decanus, Henricus Kueke, canonici ecclesie beate Gudile Bruxellensis, et Egidius de Braken, ejusdem ecclesie capellanus, salutem in Domino sempiternam, et presentibus perpetuam dare fidem. Noveritis quod, cum inter nos predictum ducem, ex una parte, et quosdam religiosos seu religiosas personas terre nostre quedam bona infra illam habentes, videlicet Sanctorum Benedicti, Augustini, Cisterciensis et Premonstratensis ordinum, Leodiensis et Cameracensis diecesis, qui et que contra nos placitaverant, et duxerant gravem litem, tam pro se quam pro aliis religiosis singulis terre nostre, qui contra nos non placitaverant, extitit finaliter concordatum, de proborum consilio, maxime predicto domino comite nostro consanguineo charissimo mediante, quod pro omnibus corweydiis mille et sexcentas dietas curruum a dictis religiosis, omnibus et singulis, juxta ratum annuatim recipiendum perpetuo tenemur et debemus contentari, nec ultra vel plus petere a religiosis omnibus et singulis supradictis, prout forma et modus hujus articuli plene concordati in literis nostris super hoc confectis plenius continetur, ad quas quidem corweydias distribuendas et specialiter assignandas dicti sex pro nobis et dictis religiosis fuerunt specialiter et concorditer deputati, easdem corweydias distribuerunt et specialiter assignaverunt in modum qui inferius annotatur : videlicet in primis super monasterio Afflighemensi cum suis prioratibus et curtibus CLXXX dietas curruum; item super monasterium Villariense cum suis curtibus CL : item super monasterium de Bygaerden XXX ; item super monas-

terium Jettense XXX; item super monasterium Grimbergense XXX; item super monasterium de Foresto C; item super monasterium de Camera LXXX; item super monasterium de Cortenberge XLV; item super monasterium Parchense dominorum LXXX; item super monasterium Parchense dominarum LX; item super monasterium de Linthre L; item super monasterium Vliederbacense L; item super prioratum de Biebais XX; item super monasterium de Geneppe XX; item super monasterium Hellechem XXX; item super monasterium Tongerlense XXX; item super monasterium Everbodiense XXX; item super monasterium Sancti Michaelis Antwerpiensis XXX; item super monasterium Sancti Bernardi XL; item super curte de Hubamont XX; item super curte de Corires XX; item super monasterio de Aquariis LX; item super monasterio de Wautibraine XX; item super monasterium de Valle Florida XX; item super curte de Tuel-Guertecien XX; item super curte de Chars de la Rameye XXX; item super curte Baelsont XXX; item super curte de la Kiese, spectans ad monasterium de Hawier [1], XLV; item super monasterium Vallis Ducis XL; item super monasterium Nazareth XV; item super monasterium Rothen XX; item super monasterium scholarum de Leeuwis XX; item super curte de Valliopont XX; item super curte de Wilrons X; item super curte montis Sancti Johannis X; item super curte Walsbergen XX; item super monasterium de Ormaux XX; item super curte de Bertreys XX dietarum curruum.

» Eapropter nos dux memoratus, predictas distributionem et assignationem laudantes et eciam approbantes, volumus eisdem distributione et assignatione pro nobis et nostris heredibus seu successoribus perpetuo contentari, fide media solemniter prestita, promittens quod ultra taxationem et assignationem predictas corweydias nullas petemus, recipiemus, exigi seu recipi patiemur a monasteriis et curtibus antedictis. Ad que firmiter observanda nos et nostros predictos omnes efficaciter obligamus.

» In quorum videlicet obligationis, laudationis, approbationis et contentationis predictarum signum, presentes literas appositione majoris sigilli nostri fecimus communiri, una cum sigillis domini consanguinei nostri, videlicet comitis Hannonie, abbatum, militum, decani, canonici et capituli predictorum, que presentibus apponi rogavimus et fecimus pro firmiori tes-

[1] Alias *Hastiers*.

timonio veritatis. Datum et actum Bruxelle, anno Domini M° CCC° XXXV°, XXIVª octobris. »

1336. Declaratio Wilhelmi comitis Hannonie super premissis corweydiis :

« Guilleaume conte de Haynau, de Hollande, Zélande et de Frise, à tous ceulx qui ces présentes véront, salut.

» Comme ainsy fut que sur plusieurs débatz et discors, entre nostre chier et aymé coussin le duc de Brabant, d'une part, et les religieuses personnes de son pays, et aultres religieulx tenans possession en son pays, d'aultre part, fussent par noz faict plusieurs traitiez pour bien du pays, et d'accort et ordonnances, ainsi comme il appert par lettres sur ce faictes, seellées des seelz de nostredict coussin le duc et du nostre et plusieurs aultres, savoir faisons à tous que sur tous les points contenus et accordez èsdittes lettres, se n'est rien attenté que par traitiet et ordonnance, que nous avons faict desdits discors, préjudices ou griefs soit faict à chose qui touche anchiennement a l'héritage de nostredit coussin, ou à chose qui lui soit donnée de droict ou de loyaule coustume anchienne, par le tesmoing de ces lettres seellées de nostre seel. Donné à Quesnoi, le marckedi après le Sainct-Nicolas, l'an M CCC XXXVI. »

De adventu Eduwardi regis Anglie in patriam Brabancie. Cap. CXLI.

1338. Anno Domini M° CCC° XXXVIII°, ipso die beate Marie Magdalene, Eduwardus rex Anglie applicuit in Antwerpiam cum trecentis et quinquaginta magnis navibus, intentione, auxilio imperatoris Ludovici et nonnullorum principum, comitum et aliorum dominorum ex regno Germanorum, qui sibi assistenciam promiserant, acquirendi et recuperandi de manibus Philippi de Valesio regnum Francie, quia illud injuste, ut asseruit, detinebat occupatum. Quod quidem regnum sibi tanquam proximiori heredi in recta linea, licet per sexum femineum, pertinere pretendebat, causa domine Isabellis regine Anglie, matris sue, que fuerat filia Philippi hujus nominis quinti regis Francie, dicti Formosi. Predictus autem Philippus de Valesio fuit filius Caroli comitis de Valesio, fratris regis Philippi Formosi antedicti. Hic itaque Eduwardus rex cum domina regina sua uxore, que fuit soror Wilhelmi comitis Hannonie, Hollandie, etc., moram traxit per annum

integrum in Antwerpia, videlicet in claustro abbacie Sancti Michaelis, ubi genuit Leonellum ducem Clarensem, unde versus :

Rex erat Eduwardus vir strenuus ut leopardus,
Hoc claustro natum genuit et fonte renatum.

Fundavitque in ecclesia ejusdem monasterii unum altare in honorem sancti Georgii ad missam cotidianam. Genuit autem dictus Eduwardus ex jam dicta regina quinque filios : scilicet Eduwardum de Woedestock, qui fuit primogenitus et princeps Vallie; predictum Leonem de Antwerpia, qui fuit dux Clarensis; Johannem de Gandavo, qui fuit dux Lancastrie; Emundum de Langelia, qui fuit dux Eboraci, ac Thomam de Woedestock, qui fuit dux Gloucestrie.

De privilegio per dictum Eduwardum regem Anglie mercatoribus et burgensibus ville Bruxellensis concesso, cujus tenor sequitur. Cap. CXLII.

« Eduwardus, Dei gracia rex Anglie, dominus Hibernie et dux Aquitanie, omnibus ad quos presentes litere pervenerint, salutem. Sciatis quod, ad instanciam nobilis et potentis viri Johannis ducis Brabancie, consanguinei nostri karissimi, et ob affectionem quam mercatores et burgenses ville Bruxellensis in Brabancia apud nos et nostros habere conspicimus, concessimus dictis mercatoribus et burgensibus libertates subscriptas habendas, quamdiu nostre placuerit voluntati, videlicet quod ipsi, et eorum heredes et successores ville predicte, sub salvo et securo conductu et sub protectione et deffensione nostris veniant infra regnum nostrum cum rebus et merchandisiis suis, quo et quando voluerint, recedant; ita tamen quod ad terras nobis guerrinas nullatenus se divertant, nec inde cum inimicis nostris communicent quoquo modo, dummodo consuetudines et costumas de hujusmodi rebus et marchandisiis debitas et usitatas in regno nostro persolvant et faciant, ut debebunt. Concessimus eciam eisdem mercatoribus et burgensibus, et eorum heredibus et successoribus predictis, quod ipsi, et eorum bona seu merchandisie, pretextu alicujus guerre hactenus quocumque tempore mote seu ex nunc movende, inter nos ac alium quemcumque regem ac dominum terre, cujuscumque rationis, nec pro alienis

1338.

transgressionibus, debitis, conventionibus seu conjunctibus infra regnum nostrum nullatenus arrestentur, nisi dumtaxat pro transgressionibus, conventionibus et conjunctibus suis propriis et plegiariis secundum legem mercatoriam, vel communem legem regni Anglie, dum tamen domini ville predicte, heredes ac successores sui, contra nos de guerra non fuerint, nec adherentes aliquibus contra nos de guerra existentibus : in quo casu volumus et concedimus, quod prefati mercatores et burgenses, successores et heredes sui, intra quadraginta dies, a tempore quo hujusmodi guerra mota et publicata fuerit, exeant regnum et potestatem nostram cum bonis et rebus suis, absque impedimento seu disturbatione nostra seu ministrorum nostrorum quorumcumque.

» Insuper concessimus iisdem mercatoribus et burgensibus, heredibus et successoribus eorumdem, quod panni facti in villa predicta et per eos, vel servientes eorum suo nomine, infra signum nostrum adducti, infra quinque dies a tempore quo despectati seu aperti fuerint, per ulnatores nostros, in locis ubi pannos illos adduci contigerit, absque ulteriori dilatione ulnentur et signentur. Adhuc concessimus mercatoribus et burgensibus predictis, quod ipsi, et heredes eorum et successores, lanas et alias merchandisias quascumque ubique infra regnum nostrum emere, et eas extra idem regnum, solutis prius costumis et aliis consuetudinibus inde debitis, absque impedimento ducere possunt; ita tamen quod se cum lanis et marchandisiis illis ad terras nobis guerrinas non divertant, nec cum inimicis nostris communicent de eisdem.

» Concessimus eciam, quod propria bona et merchandisie dictorum mercatorum et burgensium dicte ville Bruxellensis, heredum seu successorum suorum predictorum, pretextu alicujus delicti vel forisfacti valetorum seu servientium suorum, eadem bona, ut merchandisias in custodia sua habentium nullatenus confitentur nec pro foreffactis habeantur, dummodo iidem mercatores et burgenses legitime probare poterint, eadem bona et merchandisias sua propria et non electorum servientium suorum extitisse. Et si iidem valeti et servientes infra regnum nostrum decesserint, sive testamentum fecerint sive non, bona et merchandisie ipsorum mercatorum, burgensium, heredum et successorum suorum predictorum, que in dictorum valetorum et serviencium custodia tunc fuerant, nullatenus atthacientur seu arrestentur, sed sine difficultate ipsis mercatoribus et burgensibus, et

eorum heredibus et successoribus et executoribus, plenarie liberentur. quatenus probare poterunt, eadem bona et merchandisias ad ipsos de jure pertinere debere: ita tamen quod predicti mercatores extraneos, qui non fuerant de eadem villa, non possint quoquomodo calumpniare, etsi contingat nos predictas concessiones nostras ex causis aliquibus revocare; et. ne talis revocacio dici possit dictis mercatoribus seu burgensibus. vel eorum heredibus et successoribus, captiosa, volumus et concedimus, quod dicte concessiones nostre per unum annum continuum a tempore quo dictam revocationem ipsis mercatoribus et burgensibus, aut heredibus et successoribus suis predictis, intimari fecerimus, in suo robore perseverent. In cujus rei testimonium has nostras literas fecimus patentes. Datum apud Antwerpiam, XVIII^a die augusti, anno regni nostri XII°, anno Domini M° CCC° XXXVIII°. »

Conceditur predicto Johanni duci Brabancie potestas cudendi monetam auream, sub titulo et nomine imperatoris. Cap. CXLIII.

Item supradictus Ludovicus imperator indulsit. auctoritate cesarea. Johanni hujus nominis duci tercio Brabancie, ut, sub nomine et titulo ejusdem imperatoris atque armorum imperii insigniis, in oppido Antwerpiensi posset facere cudi monetam auream, cujus siquidem indulti vigore ipse dux Johannes fecit cudi in dicto oppido Antwerpiensi per Falconem de Pistorio scuta aurea, que in vulgari theutonico *faucons-schilde* sive *Antwerpsche schilde* nuncupantur, et valent tantum quantum antiqua scuta cugni regis Francie, minus uno grosso Turonensi.

Qualiter Guilhelmus comes Juliacensis per Ludovicum imperatorem creatur in marchionem, et qualiter filiam Eduwardi regis Anglie duxit in uxorem, ex qua magna generacio processit, et sequitur. Cap. CXLIV.

Circa hec tempora supradictus imperator Ludovicus creavit Wilhelmum comitem Juliacensem in marchionem, quem Carolus imperator quartus postea creavit in ducem. Hic Wilhelmus marchio Juliacensis duxit in uxo-

rem filiam supradicti Eduwardi regis Anglie, ex qua genuit duos filios, scilicet Gherardum et Wilhelmum, et plures filias, et inter ceteras unam nomine Philippam.

Gerardus primogenitus duxit in uxorem unicam filiam comitis Montensis, ex qua ipse Gerardus genuit Wilhelmum, qui ipsi successit in dicto comitatu, quique postea per Carolum quartum factus fuit dux, et fuit occisus in Eyflia, in obsidione ante Sleyden. Hic Wilhelmus primus dux Montensis genuit Gerardum secundum ducem Montensem, qui genuit duos filios, scilicet Adolphum et Wilhelmum. Adolphus successit patri in ducatu Montensi, et post mortem Reynaldi ducis Juliacensis et Gelrie adeptus est ducatum Juliacensem; Wilhelmus vero frater ejus fuit electus in episcopum Paderbornensem, et post mortem Frederici de Sarwerden archiepiscopi Coloniensis fuit postulatus in archiepiscopum Coloniensem contra Theodericum de Moerse electum Coloniensem, qui tandem obtinuit archiepiscopatum. Deinde Wilhelmus postulatus duxit in uxorem neptem dicti archiepiscopi, ex qua genuit unum filium nomine Gerardum, qui dicto duci Adolpho patruo suo successit in ducatibus Montensi et Juliacensi, ex eodem Juliacensi ducatu, tam per ipsum quam per dictum patruum suum, excluso Arnoldo duce Gelrie, qui in eodem ducatu Juliacensi potius jus habet, ut infra patebit.

Wilhelmus autem, secundogenitus Wilhelmi marchionis postea ducis, et frater Gerardi comitis Montensis, et excluso eodem Gerardo seniore fratre suo, adeptus est ducatum Juliacensem, duxitque in uxorem sororem Eduwardi ducis Gelrie, ex qua genuit Wilhelmum et Reynaldum, successive unum post alium duces Juliacenses et Gelrie. Genuit eciam unam filiam nomine Johannam, quam duxit in uxorem Johannes dominus de Arkele, qui ex ea genuit unum filium nomine Wilhelmum, qui interiit in bello apud Gorinchem, et unam filiam nomine Mariam, quam duxit in uxorem dominus de Egmonda, qui ex ea genuit Arnoldum ducem Gelrie modernum, qui ducatum Gelrie adeptus fuit post obitum Reynaldi avunculi sui, ducis Juliacensis et Gelrie supradicti. Ducatum vero Juliacensem occupavit dux Adolphus predictus, et post eum Gerardus dux Montensis et Juliacensis modernus, ut superius est expressum.

Philippam vero, filiam Wilhelmi marchionis et postea ducis Juliacensis, et sororem Gherardi comitis Montensis et Wilhelmi ducis Juliacensis pre-

dictorum, duxit in uxorem Godefridus de Loen, dominus de Heynsberghe et de Leeuwenberch, qui ex ea genuit Johannem de Loen dominum de Heynsberch et de Leeuwenberch, et postea ducem Juliacensem, ratione partificationis facte cum quondam Adolpho duce Montensi et Juliacensi post obitum Reynaldi ducis Juliacensis et Gelrie. Que domina Philippa, mater ejusdem Johannis domini de Heynsberghe, etc., fuerat filia supradicti marchionis postea ducis Juliacensis ex filia regis Anglie, atque soror Gerardi comitis Montensis et Wilhelmi secundi ducis Juliacensis predictorum, patris Wilhelmi et Reynaldi, successive ducum Gelrie et Juliacensium. Hic itaque Johannes de Loen, dominus de Heynsberghe et Leeuwenberch et Juliacensis, fuit pater Johannis de Loen, episcopi Leodiensis et comitis Lossensis moderni, atque Wilhelmi de Loen comitis de Blanckenhem, necnon Johannis de Loen, senioris filii domini de Heynsberche, patris Wilhelmi de Loen, domini de Heynsberghe et Leeuwenberch, de Diest et de Sichem moderni.

Qualiter Eduwardus rex Anglie propria in persona se transtulit de Antwerpia versus imperatorem Ludovicum, tunc temporis apud Confluenciam existentem, qui eundem instituit imperii vicarium generalem. Cap. CXLV.

Eduwardus autem rex Anglie, qui, sperans regnum Francie ex manibus 1338
Philippi de Valesio, se pro rege Francie tunc gerentis, acquirere et recuperare, auxilio Ludovici Romanorum imperatoris et nonnullorum principum et magnatum Allemanie, qui sibi ad hoc, sumptibus ejusdem regis, opem et assistenciam promiserant, qua de causa idem rex de regno suo Anglie ad has partes Brabancie se duxerat transferendum, et quia dictus imperator manu forti et armatorum copia in auxilium dicti regis proficisci distulit, quapropter idem rex personaliter se transtulit versus predictum imperatorem, apud Confluenciam tunc existentem, qui adventum ejusdem regis percipiens, sibi magnifice obviam procedens, ipsum honorifice, ut decuit, in dictum oppidum introduxit. Qui quidem imperator, post diversas collocutiones inter ipsum et prefatum regem habitas, convocatis ibidem omnibus principibus electoribus et pluribus aliis suis et imperii principi-

bus, ecclesiasticis et secularibus, anno Domini M° CCC° XXXVIII°, mense septembris, anno regni sui XXIV°, imperii vero XI°, imperialiter in sua curia solemni apud Confluenciam [1], in solio majestatis cesaree, imperialibus infulis insignitus, pro tribunali sedens, assistentibus sibi supradictis principibus electoribus, et aliis suis et imperii principibus, dempto rege Bohemie, cum multitudine baronum et vasallorum imperii, pro deffensione, conservatione et recuperatione bonorum, honorum et jurium imperii quasdam sententias et judicia ibidem edicto perpetuo protulit, et aliquas seu aliqua per organum archiepiscopi Trevirensis proferri fecit, juris ordine ac stilo sue imperialis curie solempniter observatis; necnon de predictorum principum et procerum consilio et assensu, dempto rege Bohemie supradicto, prelibatum serenissimum principem, dominum Eduwardum regem Anglie, dominum Hybernie et ducem Aquitanie, sacri Romani imperii per totam Allemaniam et Germaniam, ac universas et singulas earum provincias sive partes, vicarium generalem statuendum duxit et ordinandum.

De legibus sive constitutionibus per antedictum imperatorem Ludovicum in predicta sua solempni curia apud Confluenciam editis. Cap. CXLVI.

Et insuper prelibatus imperator, in predicta sua solempni curia apud Confluenciam, modo premisso imperialibus infulis et diademate decoratus, matura deliberatione, ut premittitur, previa, de imperialis potestatis plenitudine quinque leges sive constitutiones edidit, statuit et duxit statuendas.

Et primo, ut, quoties et quandocumque futuris temporibus necessitas sive casus electionis regis Romanorum in imperatorem promovendum emerserit, et principes electores ad electionem hujusmodi, juxta antiquam et laudabilem consuetudinem, in civitatem Francfordensem more solito convenerint, quod is qui per eosdem electores concorditer, vel partem eorum majorem numero, electus fuerit, peracta statim electione hujusmodi in omnibus causis, juribus, bonis et negociis imperii poterit administrare,

[1] Vide Anonymum Leobiensem apud Pez, *Script.* t. I p. 954.

virtute sacri imperii, confirmatione sedis apostolice super hoc non expectata, etc.

Secundo, quod, quandocumque aliquis imperii vasallus contra imperium se opponit seu forefacit, attemptans jura ipsius auferre, diminuere seu occupare, quod talis contra imperium corpus et bona irremissibiliter committit.

Tercio, quod, quandocumque Romanorum imperator sive rex, aut ejus vicarius ad hoc potestatem habens, pro deffensione, conservatione et recuperatione bonorum, honorum et jurium imperii contra quoscumque seu quascumque provincias sive terras voluerit proficisci, quod tunc omnes vassalli et fideles imperii et subditi, auctoritate imperiali sufficienter moniti sive requisiti, sibi vel suo vicario parere, sequi et pro viribus opem ferre teneantur; sub penis prevaricationis et aliis in jure comprehensis.

Quarto, quod, si quis aliquem diffidaverit, talis infra tres dies naturales diffidatum invadere seu dampnificare non poterit, occasione sive pretextu diffidationis hujusmodi, et, si contrarium fecerit, infamiam eo ipso incurret, et tamquam proditor per quoscumque judices penis legalibus debet castigari.

Quinto, quod omnes raptores, spoliatores, depredatores stratarum publicarum agrorumque depopulatores, et receptatores et fautores eorumdem, sua corpora atque bona committent, que imperator sive Romanorum rex ipsis remittere non poterit; quod si fecerit, viribus non subsistet, nulliusque roboris erit vel momenti.

Citatur et monetur Johannes dux Brabancie ad comparendum certis die et loco coram imperatoris vicario predicto, auditurus recitacionem et insinuacionem sentenciarum, judiciorum et mandatorum a dicto imperatore emanatorum. Cap. CXLVII.

Preterea est sciendum, quod memoratus Eduwardus rex Anglie, tanquam vicarius imperii, sui vicariatus, ymmo verius cesaree celsitudinis auctoritate, volens sentencias et judicia per supradictum dominum imperatorem in predicta sua solempni curia, ut premittitur, apud Confluenciam promulgata, ad noticiam principum et baronum imperii ab inde absentium

insinuare, cum quibusdam aliis mandatis sibi ab eodem imperatore specialiter commissis, honorem et statum sacri Romani imperii quamplurimum concernentibus, per suas certi tenoris patentes literas, datas apud Mechliniam, XVIII^{a} die septembris, anno regni dicti domini imperatoris XXIIII^{o}, imperii vero sui XI^{o}, illustri Johanni Lotharingie, Brabancie et Lymburgis duci, consanguineo suo karissimo, auctoritate predicta precepit et mandavit, in fide, qua sacro imperio adstrictus tenebatur, firmiter injungendo, nichilominus ipsum monendo primo, secundo, tercio ac uno termino peremptorie pro omnibus, ac sub pena privationis jurium, honorum, privilegiorum, libertatum et feudorum, que a sacro Romano imperio dinoscebatur obtinere, quatenus coram ipso, die lune proxima post tunc instans festum sancti Dyonisii, apud Herck sufficienter et tempestive compareret, recitacionem et insinuacionem predictarum sentenciarum et judiciorum ac aliorum suorum, ymmo verius sedis imperialis mandatorum auditurus, ulteriusque facturus et recepturus quod juris fuerit et consonum rationi, cum intimatione, quod, si non venerit, aut ea non curaverit adimplere, non tenebatur, quod contra ipsum ad privacionem predictorum procederet, prout de jure et consuetudine curie imperialis, cui tunc in ipso vicariatu presidebat, fuerit procedendum, prout in supradictis literis plenius continetur et habetur.

Item, similis citacio sive monicio emanavit a predicto rege Anglie et vicario imperii contra ducem Johannem memoratum, quod compareret coram ipso Mechlinie, die lune proxima ante festum Omnium Sanctorum, cujus litere fuerunt date apud Dyest, XII^{a} die octobris, anno quo supra.

Dux Brabancie personaliter et peremptorie citatur, ut ad certos diem et locum, cum ea qua potuerit hominum armatorum multitudine vicarium imperii accederet, secum vicarii expensis ulterius profecturus. Cap. CXLVIII.

Deinde prelibatus dominus rex et vicarius, per alias suas certi tenoris literas, datas apud Antwerpiam, die XX^{a} mensis novembris, anno regni dicti domini imperatoris XXIIII^{o}, imperii vero XI^{o}, significavit dicto duci Johanni, quod, cum memoratus Ludovicus imperator, nuper apud Con-

fluenciam in solempni sua curia pro tribunali sedens, deliberato plurium principum electorum et aliorum suorum et imperii fidelium ibidem tunc existencium consilio et assensu, inter alia edicto perpetuo statuit et sanxivit, quod omnes, cujuscumque status, dignitatis aut conditionis existentes, sui et ipsius imperii dicioni subditi, auctoritate imperiali legitime premoniti, debeant sibi vel suo vicario, pro deffensione, conservatione et recuperatione bonorum, honorum et jurium imperii, sub penis certis in dicto statuto contentis, parere et pro viribus opem ferre. Ipse igitur dominus vicarius, attendens occupaciones injuriosas et usurpaciones ac detenciones indebitas super locis, bonis et juribus imperii, tam in Flandria et comitatu Cameracensi et in Burgundia quam alibi per dominum Philippum de Valesio, qui se dicit regem Francie, et alias multipliciter et notorie occupatas et diu continuatas, in ipsius imperii scandalum non modicum et gravamen, et provide volens, prout tenebatur, circa recuperationem et reductionem dictorum locorum, bonorum et jurium, efficaciter, favente Domino, laborare, disposuit et constanti proposito firmavit esse personaliter cum exercitu valido inter villas de Mometz[1] et Bins[2], in Hannonia, die veneris tunc proxima ante festum beati Thome apostoli, exinde directe contra dictos occupatores et detentores illicitos, potencius quo potuerit progressurus. Quapropter prefatum ducem Johannem, ut fidelem, potentem et precipuum imperii principem, ex corde rogavit et premunivit, ipsi nichilominus, in fide qua sacro Romano imperio tenebatur, et sub penis in dicto statuto et aliis in jure contentis, firmiter injungens ac peremptorie ipsum citans, quatenus juxta nobilitatis sue decenciam et sue potencie qualitatem ad dictos diem et locum, cum ea qua potuerit hominum armatorum multitudine, personaliter accederet, secum ulterius in manu forti, pro recuperatione dictorum locorum, bonorum et jurium, ejusdem vicarii sumptibus, profecturus, ejusque consilium et auxilium super hiis fideliter impensurus, sciturus quod, si sic ad ipsum venire et sibi in hac parte subvenire non curaret, ut deberet, quod contra ipsum ad inflictionem penarum predictarum, prout justum fuerit, procedere curaret, prout in dictis literis lacius continetur.

[1] Lege *Montes Hannoniae* (Mons). [2] *Binche*.

Expedicio regis Anglie et vicarii imperii prorogatur usque ad estatem proximam sequentem; tunc vicarius proficiscitur, quem dux sequitur, ut immediate scribitur. Cap. CXLIX.

1339. Est sciendum, quod propter hyemem dictus rex et vicarius prorogavit suam expeditionem usque ad estatem tunc proxime venturam, sub spe quod imperator Ludovicus propria in persona manu forti sibi assistere deberet; et, quia imperator non venit, ut sibi promiserat, licet ad hoc, nunc per episcopos, nunc per comites, ex parte dicti regis, juxta continenciam confederationis inter ipsos inite sufficienter fuerit requisitus, occasionem allegans quod stipendia sua non erant sibi ex parte dicti regis integraliter persoluta, nichilominus mandaret suis principibus et fidelibus, nobilibus necnon civitatibus et oppidis imperii, ut dicto regi, suis sumptibus et expensis, armipotenter assisterent ad recuperationem bonorum, honorum et jurium imperii, etc. Quo audito, idem rex dixit, ut asseritur : « Deus omnipotens hoc facit pro meliori, quia, si imperator veniret in auxilium meum, ut promisit, et istam guerram mecum assumeret, et Dei gracia victoria potiremur, illa utique sibi ascriberetur. Ipse eciam est majori excommunicationis sentencia per sedem apostolicam innodatus, quare negocia mea justa de causa per me gesta pejus valere possent. Rogo igitur Altissimum, quatenus me meamque justam causam in jure et justicia cum incrementis prosperis et votivis propicius dirigere et regere dignetur. »

Et paulo post ipse rex, maturis deliberatione et consilio cum supradicto Johanne duce Brabancie necnon aliis principibus et proceribus, quos ad suum auxilium invitaverat, prius prehabitis, scilicet Reynaldo duce Gelrie, marchionibus Brandenburgensi et Juliacensi, domino Johanne de Hannonia, domino de Bellomonte et domino Ottone de Kuyck, ipse Anglie rex et vicarius imperii circa festum nativitatis beate Marie, cum valido exercitu ac cum principibus, comitibus et proceribus suprascriptis, fuit secutus; sed, antequam dux limites regni Francorum intrare voluit, mansit aliquandiu apud Haspre prope Cameracum, sua castra inibi metando, nolens ulterius progredi, nisi prius cum consilio civitatis Cameracensis locutus fuisset. Qui, ad peticionem ducis, sub ejus salvo conductu, de notabilioribus civibus ad ipsum destinarunt : quos tanquam princeps et vasallus imperii requisivit,

quatenus, semotis et exclusis Francigenis, qui ipsam civitatem contra imperium et pro rege Francie tenebant occupatam, se ad obedienciam imperatoris Romanorum restituerent, ut deberent; alioquin imperator et Anglie rex imperii vicarius ipse, et alii principes imperii, ad hoc providere studerent viis et remediis opportunis. Qui quidem cives aliqualem excusationem allegabant, quod non ipsi, sed episcopus Cameracensis, eorum dominus specialis, predictam civitatem, ipsis invitis, in manus regis Francie tradidisset, etc.

Et sic dux veraciter sciens predictam civitatem, que spectat ad imperium Romanum, per dictum regem Francie et suos in prejudicium et vilipendium imperii, fore occupatam, illico predictum regem diffidavit, et ab Haspre discedens, cum suo exercitu versus vicarium proficiscens, secum Franciam intravit, quam per tres septimanas, continuo pervagantes fines Pyronenses, Sancti Quintini, Laudunensis, Rhemensis, et in reditu Flamingariam incendio, rapina, captivitatibus, homicidio et alia clade diversa vastaverunt, non percipientes interim de rege Francorum aut quoquo alio, qui ipsis in premissis resistere curaret. Quare idem vicarius cum suis, propter hyemis asperitatem nolens aliquam civitatem, oppidum aut castrum obsidere, disposuit adversus Antwerpiam penes reginam se transferre.

Est verum, quando regi Francie, qui per duas leucas vel circa ultra fortissimum passum cum rege Bohemie, episcopo Leodiensi et aliis principibus et gentibus armorum prope exercitum vicarii tunc extiterat, fuit significatum, quod utique dux Brabancie, qui suo in exercitu potiorem potenciam habuit, repatriaverat, idem rex ordinavit quod rex Bohemie, episcopus Leodiensis, cum nonnullis proceribus ex Francia et Allemannia, vicarium, in motu et recessu, ut opinabantur, existentem, debellarent. Quod per unum Francigenam captivatum eidem vicario innotuit, qui mox cum dicto duce Brabancie et aliis principibus, consilio prehabito, acies suas duxit ordinandum, et, dictum captivum de sua captivitate liberum et quitum reddens, dedit sibi bonum equum et magnam pecunie summam, sibi adjungendo, quatenus incunctanter se transferret versus predictum regem, sui ex parte sibi significando, qualiter ipse vicarius eundem regem in campis expectaret, desiderans ipsum videre et pro victoria fortune vices secum experiri. Qui quidem Francigena, dum obviaret in itinere

supradictis regi Bohemie, episcopo Leodiensi et aliis, et ipsis premissa per ordinem significaret, et signanter, qualiter dux Brabancie adhuc eidem vicario adesset et aciem suam ordinaret, illico retrocedentes hec omnia predicto regi dixerunt. Advenit eciam unus exploratorum regis, qui ipsis de predicti ducis presentia eciam certificavit. Quare predicti rex et episcopus hec regi exposuerunt, studentes ipsum exhortari et ad hoc inducere, ut, si talis animi foret, quod propria in persona suos inimicos, qui sibi tot et tanta dampna intulerant, et ipsum tam prope in campis expectarent, vellet debellare, quod, salvo suo honore, dimittere non posset, hac die sibi cum corpore et anima totisque viribus assistere parati erant. Quibus ipse rex respondit, quod se neque suum regnum, quod plus quam per viginti annos pacifice possederat, nollet una die ponere in casu et fortuna belli, cujus exitus sive finis dubius consistere consuevit. Vicarius autem, videns quod rex Francie ipsum debellare recusaret, duxit se versus terras amicorum cum suis coadjutoribus transferendum : vicarius Antwerpiam penes reginam, que ibidem peperit filium nomine Leonellum, qui fuit dux Clarensis, ut superius scriptum est, reliqui vero principes et magnates ad lares suos proprios remearunt. Istud accidit anno Domini M° CCC° XXXIX°, circa festum beati Remigii, in uno die sabbati.

De Jacobo de Artenvelde et de confederatione facta inter regem Anglie et terras Brabancie et Flandrie. Cap. CL.

1339. Hoc anno M° CCC° XXXIX°, supradicto rege Anglie imperii vicario in Antwerpia residente, insurrexit communitas omnium oppidorum Flandrie contra Ludovicum comitem Flandrie, ipsorum dominum naturalem, qui metu mortis se transtulit versus regem Francie. Quare, de communi consensu et concordia omnium communitatum Flandrie, quidam burgensis Gandavensis, nomine Jacobus de Artenvelde, fuit per ipsos electus et constitutus capitaneus generalis totius Flandrie comitatus: qui sua industria et nequicia tantum fecit et procuravit, quod Eduwardus rex Anglie, imperii vicarius, Johannes dux Brabancie, cum tota sua terra Brabancie, dictus Jacobus de Artenvelde capitaneus generalis, cum tota communitate et terra Flandrie, mutuo fedus pepigerint. Ad hujusmodi igitur confederationem

roborandam ac literis et sigillis confirmandam predictus rex et vicarius unacum domina regina se transtulit de Antwerpia versus Gandavum, ubi fuit cum ea qua decuit reverentia receptus, et intronizatus tanquam rex Francie et dominus ipsorum directus et supremus, facientes ipsi fidelitatis, obediencie et subjectionis debita juramenta, quemadmodum regibus Francie hactenus facere consueverant. Ipse autem rex in suo introitu insignitus fuit armis Francie et Anglie quartilatis, et ex tunc in antea assumpsit sibi titulum scribendi in literis suis: Eduwardus, Dei gracia rex Anglie et Francie, etc..

Ipse igitur rex, animo maturius disponendi de guerrarum negocio per ipsum incepto, dimissa regina in Gandavo, ubi peperit filium nomine Johannem, qui fuit dux Lancastrie, versus Angliam se duxit transferendum, promittens in verbo regio quod ante festum beati Johannis Baptiste cum manu forti et exercitu bellicoso in Flandriam rediret; mandans igitur duci Brabancie, duci Gelrie, marchioni Juliacensi, Hannonie, Hollandie comitibus, et nonnullis aliis imperii principibus, quatenus circa idem tempus se prepararent, cum eorum gentibus armorum atque communitatibus bonorum oppidorum ipsum accederent, dum per ipsum super hoc essent requisiti, secum contra hostes imperii profecturi.

De classe ducentarum navium per regem Francie destinatarum in Zwen, quam rex Anglie bello navali vicit et victoriose superavit [1]. Cap. CLI.

Anno Domini M° CCC° XL°, Philippus rex Francie fecit ordinari classem 1340.
ducentarum navium, cum hominibus armorum, ad ora maris in Zwen occupandum, qui per mare impediebant quod nulla victualia, nulleque res atque merces venire poterant ad partes Flandrie, Brabancie et Zelandie; qui eciam Eduwardum regem et vicarium, si versus Flandriam, Brabanciam et Zelandiam transfretare vellet, ipsum debellare, capere vel occidere deberent. Eduwardus vero, hoc percipiens, affectans eciam suam promissionem ad effectum producere, scilicet ante festum Johannis Baptiste vel circa ad terram Flandrie redire, munitus ducentis navibus vel circiter,

[1] Cfr. Meyeri Annales ad an. 1340.

bellicosis armorum gentibus oneratis, iter per mare versus Flandriam arripuit in vigilia beati Johannis predicti, et, dum limites Flandrie attingebat, fecit se poni ad terram, ut promissioni sue satisfaceret. Et extemplo navim ascendens, flante vento peroptato, in crastinum, scilicet in die beati Johannis, Francigenas in Zwen existentes debellans bello navali, de ipsis plus quam XXX millia hominum interfecit, preter submersos, quorum numerus erat incertus.

Erat autem cum Francigenis unus capitaneus piratarum, qui cognominabatur Spandeus, qui cum X navibus aufugit; reliqui pene omnes de parte Francigenarum aut interfecti aut submersi fuerunt; de parte vero Anglicorum non plures quam centum et quadraginta homines sunt interfecti.

Qua siquidem victoria obtenta rex Anglie, magnificans Deum cum magno gaudio et tripudio, se versus reginam apud Gandavum duxit transferendum: ubi regina pepererat filium nomine Johannem, qui fuit dux Lancastrie, ut supra babetur.

Eduwardus vero, existens in Gandavo, requisivit duces Brabancie et Gelrie, marchionem Juliacensem, Wilhelmum comitem Hannonie et Hollandie, quatenus circa nominatam diem, quam ipsis prefixit, cum majori, qua possent, potentia gentium armorum atque communitatum bonorum oppidorum, versus Franciam penes ipsum applicarent, secum profecturi atque civitatem Tornacensem obsessuri. Eduwardus eciam, habens adhuc penes se nonnullas literas per Ludovicum imperatorem nonnullis oppidis Brabancie et Hollandie directas, dictis oppidis tunc primitus transmisit easdem.

Tenor vero dictarum literarum, de quibus hic fit mencio, sequitur consequenter et est talis :

« Ludovicus, Dei gracia Romanorum imperator semper Augustus, prudentibus viris, magistris, scabinis et consulibus Harlemensis oppidi graciam suam et omne bonum. Nostre majestatis literis spectabilem Hollandie comitem Wilhelmum requisivimus ex affectu, ut ad recuperandum imperium seu imperii jura, nobiscum aut cum vicario nostro, Philippum, qui se pro rege Francie gerit, cum armatorum decenti potentia jam finaliter se disponat debellare. Unde vestram fidelitatem nobis et imperio debitam sinceris affectibus nunc requirimus et hortamur, quatenus cum armatis esse curetis jam muniti, quod vos cum dicto Wilhelmo sub exercitus sui sodalitio

videre valeamus : scituri firmiter quod vestram in premissis promotionem pre oculis habere volumus pro termino nostre vite. Datum Francofordie, etc. »

Consimiles literas direxit aliis oppidis Hollandie, et eciam aliquibus oppidis Brabancie, mutatis mutandis.

De dissensione sive discordia exorta inter oppida Lovaniense et Bruxellense, utroque ipsorum contendente ad partem dexteram domini ducis, in suis expeditionibus generalibus, et sibi propius locari debere. CAP. CLII.

Cum tempore supradicti Johannis Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducis inter oppidum Lovaniense, ex una, et oppidum Bruxellense, parte ex altera, discordia sive materia questionis fuerat exorta, ex eo quod utrumque ipsorum proponebat et sibi competere contendebat, quod, eodem domino duce in expeditione generali cum exercitu suo proficiscente, sibi propius ad latus suum dexterum locari deberet, de qua quidem dissensione seu discordia dicta duo oppida Lovaniense et Bruxellense in ejusdem domini ducis ordinatione se submiserunt, exhibentes sibi in scriptis suas rationes et documenta, quibus in hac causa uti et pro eorum intentione consequenda se juvare volebant : quibus memoratus dominus dux ad se receptis, visisque et diligenter examinatis, ac matura deliberatione desuper prius prehabita suis cum nobilibus hominibus armorum militibusque et scutiferis, quibus unanimiter videbatur, secundum jus armorum nemini licere in exercitu dicti domini ducis Brabancie declinare, sive aliquem locum capere, ex illis qui penes eundem dominum ducem et in ejus servicio applicuerint, qualescumque eciam fuerint, nobiles aut ignobiles, alti vel humiles, nisi quem marescallus ducis sibi assignaret, quia ipsemet dominus dux declinat et locum capit, quem suus marescallus sibi duxerit assignandum. Et quia ipse dominus dux, desiderans pacem et concordiam inter dicta sua oppida reformare, et omnem dissensionem et rancorem evellere et sopire, ob multiplicia grata et gratuita servitia, per predicta oppida sibi et suis predecessoribus impensa, volensque propterea unumquodque oppidorum suorum in suo jure illesum servare, protulit et pronunciavit suum dictum sive suam ordinationem sub forma sequenti :

Videlicet, quod, toties quoties predicta sua oppida secum exibunt et in guerris suis sibi servient, et ipse dux proficisceretur versus Flandriam vel Hannoniam, occidentaliter vel australiter, id est *west oft suyt,* quando Lovanienses primitus sive prius exeunt, quod marescallus ipsos deinceps cunctis futuris temporibus locabit propius domino duci, ejusdem familie, suo corpori et hospitio appertinenti, et ad latus suum dextrum, ubi voluerint.

Insuper dixit et declaravit, quod, quotiescunque predicta oppida proficiscerentur et dicto domino duci in suis guerris servirent, ut premissum est, versus episcopatum Leodiensem vel versus Mosam, per plagam orientalem, vel inter orientalem et aquilonarem, id est *oest oft noord-oest,* et illi de Bruxella exierint prius quam illi de Lovanio, quod tunc marescallus ex tunc in perpetuum Bruxellenses locabit propius domino duci et ad latus suum dextrum, eodem modo quo suprascriptum est de Lovaniensibus, ubi voluerint.

Et insuper dixit, ordinavit et declaravit, ad omnem dissensionem precavendam inter oppida predicta, si contingeret eadem oppida proficisci in servicio ducis, ut premissum est, et dux proficisceretur versus Waterlandiam, scilicet septentrionem, id est *noord,* versus Mechliniam vel Antwerpiam, quod tunc marescallus, secundum dispositionem itineris, Lovanienses locare deberet ad latus dextrum, ut supra, et Bruxellenses ad latus sinistrum. Et, si contigerit dominum ducem proficisci versus Namurcum, versus viam australem sive meridionalem, id est *de suyt syde,* et predicta oppida cum ipso, tunc marescallus, secundum dispositionem itineris, deberet Bruxellenses locare ad latus dextrum, etc., ut supra, et Lovanienses ad latus sinistrum, prout clarius patebit in literis desuper confectis, in vulgari theutonico conscriptis, tenoris infrascripti.

1340. « Jan, by der gratien Ons Heeren hertoghe van Lottryc, van Brabant ende van Lymborch, ende marcgreve des Heylich Rycx, doen condt ende kenlick allen lieden, ende yegelike, want dissentie ende twist heeft ghewest tusschen beiden onssen goeden steden van Lovene ende van Bruessel, van dien dat elck van onssen beiden steden proponeerde ende segghen woude, so, wanneer dat wy utlaghen met gemeynen here, dat sy ligghen souden naest ons ende t'onsere rechter siden, van welcken twist ende dissencie beide onsse voorseide steden t'onswaert bleven syn, ende hebben

ons overgheghevén alle die schoon redenen ende thoonen, die elck daertoe segghen woude ende alligeren in ghescrifte: wy met goeder deliberacien aensien ende geexamineert hebben, ende hebben ons besproken met onsen edelen lieden van wapenen, met ridderen ende knapen, diewelcken dunct, nae den recht van wapenen ende eendrachtelicke, dat nyemant schuldich en is neder te vallene noch plaetse te nemene in onssen here, van denghenen die by ons comen ende in onsen dienst wesen, syn sy edel oft onedel, groot oft cleyne, en werde hem ghelevert by onssen marscalke, want wy selver nedervallen ende plaetse nemen, daer hy se ons levert, ende nergens eldere; maer, om dat wy payse ende ruste begheren tusschen onse voorseide steden, ende wy alderhande twist ende discordie tusschen hen scheden willen, aensiende den meneghen schoenen dienst, die sy ons ende onsen vorderen ghedaen hebben, so willen wy elcken houden in synen rechte, ende segghen ons segghen in dier formen die hiernaer :

» Dat 's te wetene, alsoe dicke ende alsoe menichwerven alse onse voorseide steden met ons uuttrecken selen ende ons dienen in onsen oorloghe, ende wy varen te Vlaendren oft te Henegouwe waert, west oft zuyt, als die van Loven vore uuttrecken, dat se onse marscalc voertmeere legghen sal t'eeweliken daghen naest ons ende naest onsen ghesinde, toebehoorende onssen live ende onser herberghen, ende t'onser rechter syden, waer zy willen.

» Voert, soe segghen wy ende verclaren, soe wanneer onsse vorseide steden uuttrecken selen ende ons dienen in onse orloghe, als voorseid is, ende wy trecken den bisdomme waert van Ludicke oft ter Masen waert, oest oft noort-oest, ende die van Bruessel vore uuttrecken, eer die van Lovene, dat dan onse marscalc, van nuw tot eeuweliken daghen, die van Bruessel legghen sal naest ons ende tot onsser rechter siden, in diere manieren dat voerseid is van dien van Lovene, waer sy willen.

» Voert, segghen wy, ordineren ende verclaren, om alderhande twist te benemen tusschen onsse voorseide steden, ghevielt dat sy uuttrocken in onssen dienst, alsoe vorseid is, ende wy voeren te Waeterlande waert, dat 's te wetene noort te Mechelen oft t'Antwerpen waert, so soude onse marscalc, naer die gelyckheit van den weghe, die van Loven legghen ter rechter syden van ons ende onssen gesinde, toebehoorende onsen live ende

onser herbergen also als 't voorseyd is, ende die van Bruessel ter slincker syden.

» Ende gheviel oock dat wy trocken te Namen waert, dat 's zuyt syde, ende onse voorseide steden met ons, so soude ons marscalc, nae de gelyckheit van hen, die van Bruessel legghen t'onsser rechter syden ende ons ghesins, toebehoorende onssen lyve ende onser herberghen, gelyc dat voorseyd is, ende die van Loven ter slincker syden.

» Ende om dat wy willen dat alle dese pointen vaste ende gestade bliven ghehouden, om die redenen dat wy se geseid, geordineert ende verclaert hebben als over een recht segghen, soe bevelen wy onsen marscalc, die nuw is ende naermaels syn sal, ende beide onssen voorseiden steden, dat sy deze voorseide pointen ende ordinantien houden, van nuw voortaene t'euwelycken daghen duerende, ende behouden altoes alle saeken, pointen ende articulen van twist, van donckernissen oft van discorde, die dese saken toebehooren, spruten oft comen mochten in tyden toetecomene, t'onsser verclaernisse. In kennissen ende getuygenissen van der waerheyt hebben wy dese lettren beseghelt met onsen seghelen, die ghegheven ende ghemaect waren te Lieugie, vier dagen in de oegst-maent, in 't jaer Ons Heeren doe men schreef M CCC ende XL. »

Qualiter rex Eduwardus cum suis confederatis civitatem Tornacensem obsidione circumcinxit. Cap. CLIII.

Rex autem Eduwardus, adveniente tempore antedicto suis confederatis prefixo, posuit se in campis, eosdem suos confederatos expectando, quibus coadunatis, preter ducem Brabancie, qui propter communitatis multitudinem Brabancie, quam secum adduxit, expeditionem suam, de qua doluit, aliquantulum retardavit, civitatem Tornacensem circum obsedit. Dux vero Brabancie, paratis jam omnibus eidem expeditioni congruentibus, infra biduum cum validissimo armatorum exercitu, illi simili in apparatu bellico ante hec tempore nunquam viso, predicti regis, Flandrensisque, Hollandie et Zelandie exercitibus se adjunxit, castra metando ac papiliones et tentoria in gyrum fingendo et erigendo. Advenerant ibidem eciam cum armatorum copia dux Gelrie, marchio Juliacensis, domini de Valkenborch,

de Bellomonte et de Kuyck, et alii quamplures nobiles, comites et barones.

Obsessa siquidem civitate Tornacensi, Eduwardus rex per suum heraldum indixit Philippo regi suo adversario bellum secundum velle suum: videlicet, pro effusione christiani sanguinis vitanda permaxima, que verisimiliter alias inde sequeretur, quod secum iniret singulare certamen; si hoc sibi non placeret, quod secum confligeret cum centum militibus contra centum; et, si alterum istorum duorum nollet acceptare, quod tunc utrinque inter ipsos fieret bellum plenarium, conditione tali: qui altera istarum trium viarum alterum in certamine vinceret, regnum Francorum pro victoria reportaret, et illud omni modo pacifice obtineret, petens super his per eundem heraldum suum intentionem sibi significari, quod ipsum ibidem expectaret una predictarum viarum secum preliandi.

Ad hec rex Philippus fecit responderi, quod ipse regnum plus quam per viginti annos cum consensu parium ejusdem in possessione pacifica obtinuerat, sibi, tanquam heredi proximiori ex linea masculina descendenti, jure devolutionis sibi et non alteri legitime debitum: quapropter pro jure ejusdem non intenderet in presentiarum cum dicto suo adversario aliquod certamen subire, sed, dum sibi opportunum videret, ipsum debellaret, et fortassis citius quam sibi placeret.

Deinde vero, dum rex Anglie dictam civitatem per unum mensem vel circa fixe obsederat, et ipsam magenis [1] et aliis diversis instrumentorum generibus impugnasset (nam aliquando creberrimi jactus saxorum quassarunt turres et menia, aliquotiens eciam arietes ferratos impegit in portas et antemuralia, et e contra Tornacenses, horrenda coaptantes ingenia, hostes forenses absterruerunt a portis et turribus, sese viriliter deffendentes telis et missilibus atque fundis), prosiliens extra dictam civitatem quidam Frater Minor, obtenta licencia, predicto regi Eduwardo narravit, se ex parte nonnullarum nobilium matronarum impregnatarum ad celsitudinem suam fuisse destinatum, eandem humillime deprecancium, quatenus ipse ex innata sibi clementia de piscibus marinis, et specialiter de allecibus recentibus, pro appetitus ipsarum completione, in honore beate Marie Virginis et omnium dominarum, ipsis providere dignaretur. Rex vero, humilibus dictarum matronarum precibus favorabiliter inclinatus, fecit onerari duos currus

[1] Machinis bellicis.

cum sturionibus, salmonibus et allecibus recentibus, quos predictis ingenuis dominabus infra dictam civitatem destinavit, mandans eisdem quod de piscibus eisdem eciam dividerent humilibus et ignobilibus mulieribus impregnatis, quibus nullam volebat movere guerram.

Tandem per medium domine comitisse Hollandie, Hannonie, que fuit soror Philippi regis et mater regine Anglie, fuerunt certe treuge et guerrarum abstinentie tractate inter predictos duos reges et eorum coadjutores, durature usque ad festum beati Johannis Baptiste ex tunc immediate futurum, anno Domini M° CCC° XLI°.

Ad hujusmodi siquidem tractatum consequendum ex parte regis Anglie episcopus Lincoliensis et dux Brabancie, et ex parte regis Francie rex Bohemie et episcopus Leodiensis operam dederunt efficacem, et sic obsidio fuit soluta, et quilibet ad propria remeavit.

Qualiter domus et castrum de Meghem tenetur in feudum a duce Brabancie, habetur in litera tenoris sequentis. Cap. CLIV.

1340 « Allen denghenen die dese letteren sullen sien oft hooren lesen, Jan, die men heet greve van Meghem, riddere, ende Willem, syn ouste soen, saluyt, met kennissen der waerheit. Wy doen condt ende kenlic allen lieden dat, want onse lieve ende seer gheminde heere, Jan, by der gratien Ons Heeren hertoghe van Lothryc, van Brabant ende van Lymborch, ende mercgreve des Heylich Ryex, ons, overmits den ocsuyne van onsen huys ende onser borch van Meghem van onsen lieven heere den hertoghe voergenoempt ende van synen vorderen in rechten leene aen heeft doen spreken ende doen calengieren, dat wy ons voergenoempt huys ende borch anders van hem sculdich waren te houdene te leene, dan wy hem en kenden noch kennen en wouden, wy, overmits dat wy hem soe goedertieren in dese sake te onswaert souden hebben, soe draghen wy op, voer ons ende voer onse oir ende voer onse erffgenamen t'eeuwelicken daghen, onssen lieven heere den hertoghe voorseid, synen oir ende synen erffgenamen, onse voorseid huys ende borch van Meghem, met allen den huysen daertoe behoorende, alse syn open huys; ende bekennen, voer ons ende voer onse hoir ende voer onsse erffgenamen, dat dat is ende sculdich is te

syne in eeuwelycken tiden syn open huys, ende dat hy, syn hoir ende syn erffgenamen daerin hebben ende altyt hebben moeten, ende oock hare liede van haren weghen in allen tyden, als sy's selen te doene hebben, ende sy se daer senden selen met haren openen brieven, oft met waerachteghe litteeckenen, haer inriden ende haer uutriden, hem altyt daermede te behulpene jeghen alle heeren ende jeghen allen mannen, alse met haren openen huysen. Ende, wanneer dat onsse heere de hertoghe voorseid, syn hoer, syn erffgenamen, ofte haer liede van harentweghen haren oorboir selen hebben gedaen met onssen voorseid huse, so selen sy ons dat moeten wederleveren, ende dat sullen wy dan voert altyt houden als haer open huys, alsoe als voorseid is, emmermeer op onsen cost. Ende, waer ons dan eenige scade geschiet in onsen voorseid huyse ende borghe by onsen heer den hertoghe voorseid, by synen hoir oft erffgenamen, oft by synen luden, die scade is hy oft syn naercomelingen altyt sculdich opterechten, ten segghene van twee goede ende wettighen luden, alle arghelist uutghenomen in desen dinghen.

» In oorconscape van welken dinghen wy Jan, die men heet greve van Meghem, ende Willem, syn ouste soen voorseid, hebben onsen lieven ende gheminden heere den hertoghe voorseid dese letteren ghegheven te eeuwelicken tyden duerende, beseghelt met onssen seghelen, in kennissen der waerheit. Ende, om noch meerder sekerheit van allen desen dinghen, so bidden wy onssen lieven vrienden, heere Janne van Wyckvliet, heere van Blaesvelt, heere Gielis van Quaderibbe, heere van Berges, heere Jan van Bouchouwt, heere Jan van Immersele ende heeren Daniel van Crayenhem, dat sy, alse ons lieve vriende ende maghe, ende oock mannen van leen ons liefs heeren des hertoghen voorgenoempt, want sy jeghenwordich waren daer alle dese dinghen geschieden, gelyck dat sy hierboven syn beschreven, hare seghelen metten onsen seghelen hanghen willen aen dese letteren, als ghetuygen in kennissen der waerheit, ende in oorcontscappen van allen desen dinghen voergenoempt. Ende wy Jan van Wycvliet, heere van Blaesvelt, Gielis van Quaderibbe, heere van Berges, Jan van Bouchouwt, Jan van Immerseel, ende Daniel van Crayenhem, ridderen, overmits beden heere Jan, die men heet greve van Meghem, ende Willems, syn oudste soens, onsen lieven vriende ende maghe, want wy jeghenwoordich waren daer alle dese dinghen geschieden, gelyck dat sy hiervore beschreven syn, soe hebben

wy onsse seghelen metten haren ghehanghen aen dese letteren, in kennissen der waerheit ende in oorconscappe van allen desen voorgenoempte dingen. Dit was gedaen, geaccordeert ende ghegheven tot Lovene, des maendaeghs naer Dertiendach, in den jaer Ons Heeren M CCC drie ende XL, nae de usagie des bisdoms van Cameryck. »

Ludovicus imperator mandat abbatisse, decano et capitulo Nyvellensi et omnibus nobilibus Brabancie, quod obediant duci in omnibus juribus regalium, feudorum et temporalitatum. Cap. CLV.

1343. Iste Ludovicus imperator. per suas certi tenoris literas datas in castro de Furstemberch die XV^a septembris anno Domini M° CCC° XLIII°, mandat abbatisse, decano, et capitulo Nyvellensi, et omnibus nobilibus et non nobilibus ducatus Brabancie, quod obediant duci Brabancie in omnibus juribus regalium, feudorum et temporalitatum predicte abbatie ipsi duci tanquam domino ordinario competenti.

1344. Anno Domini M° CCC° XLIIII°, ipso die beati Huberti episcopi, qui erat feria secunda, obiit reverendus pater Adolphus de Marka episcopus Leodiensis, cui successit Engelbertus de Marka prepositus Leodiensis, filius fratris sui, vir in promotione sua in curia valde prosperatus, et hoc rege Francorum Philippo cooperante, cui provisum extitit de dicto episcopatu feria quarta post dominicam *Reminiscere* anno predicto.

De morte Wilhelmi comitis Hannonie, Hollandie et Zelandie, qui habuit in uxorem Johannam filiam seniorem Johannis tercii ducis Brabancie. Cap. CLVI.

1345. Anno Domini M° CCC° XLV° Wilhelmus comes Hannonie, Hollandie et Zelandie ac dominus Frisie, cum quadringentis equitibus a Prussia jam tertio rediens, coadunavit expeditam militiam, ut armipotenter expugnaret orientalem Frisiam sibi rebellem; sed, proch dolor! gloriosus exercitus ejusdem comitis ad terram incognitam inordinate transfretavit, quapropter universus populus magnum infortunium inopinate jam incurrit. Johannes

quidem de Hannonia, cum multis classem suam dirigens, versus australem plagam monasterii beati Rodulphi confessoris in terram descendit, locando tentoria sua super ripam vicini maris, et extemplo exercitus Hollandorum, non expectatis posterioribus, adversus hostes adeo viriliter aggressi sunt, ut eosdem aut infra civitatem Stavrie[1] vel e munitate ecclesie profugarent, et presidium cemiterii cum armatis bellatoribus assilirent, ita quod Hollandis nullum obstabat infortunium, quoad usque ceperunt impugnare monasterium, qui potius virtute divina quam humana a predicto cimiterio paulative repulsi sunt, quos ex tunc Frisones passim occidentes perniciter insecuti sunt. Comes autem, ut princeps imperterritus, hujus infortunii totaliter inscius, classem suam versus borealem partem predicti monasterii direxit, quasi cum quingentis bellatoribus in terram ascendit, viciniorem domum exussit, infinitis hostibus audacter occurrit, nobilem quemdam Frisonem personaliter interfecit, et usque ad mortem multum honorifice se deffendit.

E contra vero Frisones, cum infinitis armigeris pusillum gregem Hollandorum ambientes, ipsum comitem cum multis aliis, ipsis ignorantibus, occiderunt, quem eciam mortuum in vindictam nobilis Frisonis singulariter decollaverunt. Acta fuit hec cruenta strages V° kalendas octobris, eodem loco quo comites Hollandie pridem pro tribunali sedere consueverunt, quando comitatum orientalis Frisie potestative gubernaverant. Et ecce quomodo *ludit in humanis divina potentia rebus.* Reynaldus enim Gelrie comes hunc Wilhelmum a Frisonibus occidendum predixit, cum eundem de baptismi sacri fonte suscepit.

Corruerunt autem in hac expeditione cum ipso comite quingenti vel amplius pugnantes armigeri, de quibus hii fuere principales et precipui : utpote dominus de Horn, dominus de Autonghen, dominus de Haemsteden et dominus de Merweden, barones; Gerardus Barbatus, alias dictus *met den Baerde,* Wilhelmus de Naeldwyc, Simon et Theodericus de Theilinghen, Ghio de Asperen, Johannes, Renerus et Wilhelmus de Montforde, Theodericus de Zanthorst, Theodericus et Hermannus de Zweten, Florencius de Merwede, Ogerus de Spaenge, Gerardus de Vere, Alfridus de Horst, Nicolaus Ouden, Wilhelmus de Donghen, Theodericus Walcort, Gerardus de

[1] Staveren.

Forin Bennichou wers milites, cum multis aliis electis burgensibus et proceribus approbatis.

Decima dehinc exorta luce Wilhelmus illustris comes per dominum Martinum commendatorem Herlemensem inter occisorum cadavera, prout asserunt, per intersignia certa repertus est, qui ad monasterium Floridi Campi cum eisdem a Frisonibus adductus est.

De querra inter episcopum Leodiensem et patriam. Cap. CLVII.

1346. Anno Domini M° CCC° XLVI°, feria quarta ante festum beate Marie Magdalene, que erat XVIII^a^ die mensis julii, Carolus filius Bohemie regis, gerens se pro rege Romanorum, Johannes rex Bohemie, pater ipsius, marchio Juliacensis, de Monte, de Marka, de Loen, de Aersberch et quamplures comites, Theodericus dominus de Valkenborch, Heinricus dominus de Leeuwenberch ac alii plures domini et militares, provocati per dominum Leodiensem predictum, contra Leodienses et episcopatum Leodiensem, propter injuriam quam faciebant sibi domino Engelberto episcopo Leodiensi eorum domino, de qua, licet multociens requisiti fuerint, tamen ob duriciam eorum desistere nolebant, congregantes se ex utraque parte apud Batinne juxta Leodium, ubi predicti domini pericula non precaventes, super ipsos Leodienses irruerunt, sed dicti Leodienses multos ex eis trucidaverunt, et reliquos fugaverunt. Ibi interiit dominus Theodericus dominus de Valkenborch, et dominus de Leeuwenberch, et multi strenui et valentes milites et armigeri comitis de Monte.

De bello in Cryssi. Cap. CLVIII.

1347. Anno Domini M° CCC° XLVII°, circa festum beate Virginis, Eduwardus rex Anglie, intrans potestative regnum Francorum et peragrans Sequanam incendio non modico, ita quod ignis visus est de civitate Parisiensi, tandem rex Francie, coadunatis sibi dominis ac militibus pluribus, ipsum Eduwardum viriliter insequitur, et in loco qui dicitur Cryssi ab eisdem extitit preliatum: sed Anglici victoriam habentes Francos fugaverunt. Ubi interiit Johannes rex Bohemie, Arragonie, rex Moyororum, Ludovicus

comes Flandrensis, dux Lotharingie, comes Blesensis et alii quamplures domini terrarum et milites. Ibidem princeps, filius regis Anglie videlicet, princeps Gallie, licet juvenis, bene fecisse memoratur.

Anno Domini M° CCC° XLVI°, quasi eodem tempore, destructum est castrum dictum Clermont, et post non multum castrum dictum Hamal per Leodienses.

Anno Domini M° CCC° XLVI°, quarta die mensis septembris, que tunc erat feria secunda ante Nativitatem beate Marie Virginis, obiit Colonie venerabilis Heinricus de Sampheim, prepositus Aquensis et thesaurarius Coloniensis, et Colonie sepelitur : vir utique suis temporibus strenuus et multum honestus, et, quod prelatum decebat, non modicum ecclesiasticus : cui successit dominus Gerardus de Vernemborch, filius sororis marchionis Juliacensis juvenis.

Anno Domini M° CCC° XLVI°, in octava apostolorum Petri et Pauli, obiit comes Clivensis, cui successit in dominio Johannes decanus Coloniensis, frater ejusdem.

De destructione castri de Arkenteel. Cap. CLIX.

Anno Domini M° CCC° XLVII°, in die divisionis apostolorum, destructum est castrum dictum Arkenteel, per Leodienses, et post modum, ipsis invitis, fortius quam antea fuerat, reedificatur seu renovatur, ut patuit. 1347.

De bello inter episcopum Leodiensem et duces Brabancie et Gelrie ex una parte, et Leodienses ex altera in Turynis. Cap. CLX.

Cum vero Leodienses ceperant et destruxerant castra de Clermont et de 1347.
Hamalia, et obsidionem posuerant ante Arkenteel, presumentes eorum episcopum et omnes nobiles patrie Leodiensis exterminare, venerunt ad supradictum Johannem Brabancie ducem Engelbertus de Marka episcopus Leodiensis et Reynaldus dominus de Arkenteel, auxilium ejusdem ducis contra dictos Leodienses et ad resistendum eisdem instantissime implorantes, episcopo offerente dicto duci assistenciam et auxilium in casu consimili vel majori, Reynaldo domino de Arkenteel ad hoc rationem alligante.

videlicet quod ipse predictum castrum de Arkenteel ab ipso domino duce in feudum teneret, quodque de eodem sibi prestiterat fidelitatis et homagii debitum juramentum. Dux autem, justis ipsorum petitionibus favorabiliter inclinatus, statim mandavit pro affine suo Reynaldo duce Gelrie, quatenus cum qua posset majori armatorum copia se acceleraret penes ipsum venire, prope Trajectum supra Mosam, ad certum diem quem sibi duxit assignandum: quo die dux Brabancie cum exercitu validissimo, dux Gelrie cum potentia magna, et episcopus cum fratre suo comite de Marka, ac nobiles patrie Leodiensis, debellandi et castrum de Arckenteel de obsidione liberandi gracia congregati sunt; sed supervenerunt nova, quod dictum castrum jam fuerat captum et per minerias ad solum projectum.

Quo audito episcopus atque duces, terram Leodiensem intrantes, ipsam igne et gladio perlustari ceperunt, quos Leodienses intrepide prosequentes, ipsos debellarunt acerrime: sed, Domino cooperante, et episcopo cum ducibus pro jure ecclesie et sancti Lamberti viriliter preliantibus, fuerunt de Leodiensibus prope Leodium in parte, et intra Leodium et Hoyum in turmis fere XXX millia interfecti. Ubi ceciderunt in primo congressu belli multi nobiles et strenui milites ducis Gelrie. Ibi ipse dux Gelrie, Heinricus dux Lymburgensis, primogenitus ducis Brabancie, efficiuntur milites per ducem Brabancie.

Hoc autem bellum commissum fuit anno Domini M° CCC° XLVII°, in vigilia beate Marie Magdalene.

De captione Calesii, et de duobus matrimoniis que Eduwardus rex Anglie ante obsidionem Calesii tractare nitebatur. Cap. CLXI.

1347 Anno Domini M° CCC° XLVII° predicto, Eduwardus rex Anglie oppidum Calesii, jam fere per annum per ipsum obsessum, sabbato post festum Petri ad Vincula cepit. In eadem siquidem obsidione, ubi in ipsius auxilium advenerunt Reynaldus dux Gelrie et Wilhelmus marchio Juliacensis, que inceperat anno Domini M° CCC° XLVI° precedente, circa festum beati Egidii, rex Anglie nitebatur tractare duo matrimonia, ut infra patebit, et fecit tantum quod Jacobus de Artenvelde, capitaneus Flamingorum, fecit ibi adduci juvenem Ludovicum comitem Flandrie, qui post decessum Flan-

drie in eorum dominum et comitem [1], quem ad hoc coegerunt quod ibidem filiam predicti regis, licet invite, affidavit in suam sponsam et uxorem futuram. Quo facto se transtulit versus Flandriam, ad preparandum juxta status sui decenciam pro consummatione dicti matrimonii sibi necessaria et opportuna, sed abhinc occulte aufugit in Franciam versus regem atque suam matrem. Consimiliter instabat, quod Reynaldus dux Gelrie, filius sororis sue, caperet in uxorem filiam marchionis Juliacensis predicti, qui, licet se excusaret, quod, in pronunciacione pacis facte per regem Francie inter ducem et bone memorie suum patrem, fuit ab utraque parte promissum et ordinatum, quod ipse domicellam Mariam, juniorem filiam ducis Brabancie predicti, in suam legitimam duceret uxorem, quodque se hoc facturum promiserat patri suo in lecto egritudinis decumbenti; qua excusatione non obstante, ipse dux, licet invitus et per dictum regem suum avunculum ad hoc compulsus, predicti marchionis filiam, que ibi fuit allata, suam duxit in uxorem. Qui, antequam carnalis copula fuerit subsecuta, in habitu dissimulato etiam abinde secrete aufugit cum Eduwardo fratre suo juniore, festinantissime die noctuque equitando versus Antwerpiam, ubi tunc temporis dux Brabancie extitit, qui ipsos honorifice recolligens, ipsis de equis recentibus, vestibus et aliis necessariis providit, et sic ad terram suam Gelrie cum dicto fratre suo remeavit.

Et anno sequenti ipse dux Gelrie cum duce Brabancie suo patre Leodienses debellavit, ut supra habetur.

De concordia et confederatione inita inter Philippum regem Francie et Johannem ducem Brabancie, inter eosdem et eorum successores perpetuo duratura. Cap. CLXII.

Philippus, Dei gracia rex Francorum, per suas certi tenoris literas, et 1347
ob causas et rationes in eisdem declaratas, notum fecit universis, quod pro se, suis heredibus et successoribus, regibus Francie, cum Johanne duce Brabancie ejusque heredibus et successoribus, ducibus Brabancie, iniit certam concordiam sive confederationem perpetuo duraturam.

[1] Ita fortasse legendum : *qui* (Ludovicus II, filius Ludovici Maleani) *post decessum patris in eorum dominum et comitem electus fuerat.*

Et primo promisit, quod convenit dictus rex, quod a modo non nocebit eidem duci neque suis subditis quoquo modo, quodque non sustinebit neque confortabit inimicos ipsius ducis auxilio vel consilio, in hominibus armorum et victualibus, et non permittet, quod iidem inimici transibunt per regnum neque per terras suas, ad inferendum sibi vel dictis suis subditis dampnum vel gravamen.

Item, ipse rex pro se, suis heredibus et successoribus, Francorum regibus, recepit dictum ducem ejusque successores et subditos predictos in sua salvagardia et securo conductu, et omnia ipsorum bona, eundo, veniendo, manendo et revertendo, per totum suum regnum, terras et dominia, pacifice et quiete, solvendo sua debita antiquitus consueta, absque fraude et malo ingenio, et quod successores sui Francorum reges, post suum obitum, infra tres menses debent innovare dicto duci et suis heredibus, Brabancie ducibus, confederationem predictam, qua non obstante dictus dux libere poterit servire vero regi Allemanie vel vero imperator iRomanorum, sicut vero suo domino, pro deffensione regni Allemanie et imperii Romani, servire tenetur : prout hec et quedam alia in ipsius regis literis desuper confectis plenius continentur, que fuerunt date anno Domini M° CCC° XLVII°, in mense junio, apud Sanctum Quintinum.

De feudo quod rex Francie Heinrico, primogenito ducis Brabancie, ejusque heredibus concessit. Cap. CLXIII.

1347. Anno, mense et loco proxime prescriptis rex Francie, per alias suas certi tenoris literas, et ob rationes in eisdem contentas, pro se, suis heredibus et successoribus, regibus Francie, dedit Heinrico, primogenito ducis Brabancie, centum millia florenorum, vel valorem, sive tantum de terra quod ipsis C^{m} VIII^{m} librarum terre pro valore eorumdem C^{m} hereditarie et perpetuo acquiri possent, ad tenendum, per se et suos heredes, et successores, duces Brabancie, in feudum et homagium ab ipso rege, suis heredibus et successoribus predictis; assignando ipsi preterea predicta octo millia librarum, que debent valere annuatim X^{m} florenorum de Florencia, super terras et villas suas de Pierrefous, Betisi, Chini, Belli et Chaumont in Vinguesen, in quibus rex ipsum Heinricum investivit et

hereditavit debite, et posuit in possessionem corporalem, secundum consuetudinem curie sue Francie, pro quibus dictus Heinricus eidem regi fecit homagium et fidelitatis juramentum : prout hec et quedam alia plenius comprehenduntur in literis desuper confectis.

De privilegiis per regem Francie duci et subditis patrie Brabancie concessis, perpetuo duraturis. Cap. CLXIV.

Anno Domini M° CCC° XLVII°, mense junio, serenissimus princeps et 1347.
dominus, dominus Philippus, Dei gracia Francorum rex, per suas certi tenoris literas, et ob causas et rationes in eisdem contentas, pro se, suis heredibus et successoribus, concessit sive donavit et indulsit illustri principi et domino, domino Johanni duci Brabancie, pro se, suis heredibus et successoribus, patriis et subditis, cunctis futuris diebus perpetuo duraturis, de gracia speciali et de sua munificentia sive largitate regali, privilegia, libertates et francisias subsequentes :

Primo, donavit et indulsit omnibus predicti ducis subditis, et cuilibet ipsorum, presentibus et futuris, quod sint quiti et liberati de omnibus impositionibus suo tempore factis et futuro tempore faciendis, qualicumque modo poterunt appellari, et quod possint ire, venire et manere, cum omnibus eorum familiis, bonis, et mercibus sive mercantisiis, solvendo ipsorum debita et impositiones ante tempus suum contracta et facta.

Item concessit et indulsit dicto duci et successoribus suis, Brabancie ducibus, quod omnes sui subditi poterunt et possunt perpetuis temporibus, libere et secure, sine aliqua calumpnia, portare et ducere de Brabancia in suis regno et ditione sive potentia, et de eisdem suis regno et potentia extra ipsum regnum et potentiam, eundo versus Brabantiam, sine fraude, omnes manieras denariorum et monetarum factarum et faciendarum in suis monetis et cungnis.

Item indulsit et indulget dicto duci, pro se, suisque heredibus et successoribus, ducibus Brabancie, quod ex tunc in antea nullus suorum subditorum predictorum poterit neque potest capi, puniri neque arrestari, neque ipsi neque bona ipsorum, infra predictum suum regnum et potestatem, pro debitis quibuscumque, exceptis illis que promisit, seu pro quibus ad

solvendum fuerit obligatus ipse, sui predecessores, aut villa ubi ipse esset burgensis.

Adhuc dedit et indulsit sive concessit dicto duci, suis heredibus et successoribus, Brabancie ducibus, quod nullus suorum subditorum prefatorum sive mercatorum possit vel poterit ex nunc deinceps perpetue forefacere sive committere bona sui magistri vel sociorum suorum, pro quocumque facto criminali personali, si ipse committeret, exceptis dumtaxat propriis suis bonis, unacum pena quam inde reportare debet: prout in supradictis literis plenius continetur, que fuerunt date apud Sanctum-Quintinum, in Normandia, anno et mense suprascriptis.

Tenor vero dictorum privilegiorum, de quibus supra proxime fit mentio, sequitur et est talis:

« Phelippe, par la grâce de Dieu roy de France, etc. [1]. »

Qualiter Philippus rex Francie promittit procurare quod comes Flandrie supportaret hereditarie Heinrico primogenito ducis Brabancie oppidum Mechliniense. Cap. CLXV.

1347. Philippus, Dei gracia rex Francie, per suas certi tenoris literas, datas apud Sanctum Quintinum in Vermandois anno Domini M° CCC° XLVII°, mense junio, notum facit universis, quod ad sedandum et pacificandum dissensiones et controversias, que tempore preterito fuerunt inter Johannem ducem Brabancie et comitem Flandrie, predecessorem comitis tunc moderni, occasione ville Mechliniensis situate in Brabancia, et adhuc insurgere possent, et ad nutriendum pacem, amiciciam et tranquillitatem inter ducem comitemque predictos et ipsorum subditos et patrias, promisit legaliter et bona fide dicto duci Brabancie, quod omnibus melioribus modo, via et forma, quibus posset, prosequeretur et tantum faceret apud comitem Flandrie, quod ipse, causa certe recompensationis juste et legalis, quam sibi propterea fecit, de qua se tenebat pro bene contentato, transportabit, sicut appertinebat, in personam sui karissimi consanguinei Heinrici de Brabancia, senioris filii ducis predicti, omne jus et omnem actionem, possessionem.

[1] Vide illas literas infra cap. XLV versionis gallicae.

feuda, homagia, et quecumque alia bona, quas et que ipse comes habere potest in villa Mechliniensi predicta, et pertinentiis ejusdem, libere et absolute, ubicumque opus fuerit, et per modum et formam necessaria et opportunos, tam de jure quam de consuetudine, ad tenendum, fruendum et pacifice possidendum cunctis diebus hereditarie, pro se, suis heredibus et successoribus, ducibus Brabancie, absque hoc quod dictus dux et Heinricus, aut alia persona quecumque, solvere tenebuntur et reddere dicto comiti IIII^xx VI millia et V^c regalium aureorum, nec alios denarios quoscumque, et eciam absque eo quod dictus Heinricus tenebitur facere fidem et homagium dicto comiti, neque alteri persone, excepto episcopo Leodiensi, nomine sue ecclesie, cui debebit et tenebitur facere homagium per modum et formam quam domini Mechliniensis, qui pro tempore fuerunt, fecerunt de antiquo, et quod rex deffenderet predictos ducem et Heinricum, et ipsorum heredes et successores, duces Brabancie, de omnibus sumptibus et interesse atque dampnis, quos et que incurrere possent, quocumque modo fuerit et qualitercumque, occasione condicte translationis et persecutionis, quitos et pacificos contra quoscumque, prout in eisdem literis clarius continetur.

Tenor vera dictarum literarum, de quibus supra proxime fit mentio, sequitur et est talis:

« Phelippe, par la grâce de Dieu roy de France, sçavoir faisons [1], etc. »

De antiquo statu atque novo oppidi Mechliniensis. Cap. CLXVI.

Supra proxime fit mentio qualiter per medium Philippi Francorum regis oppidum Mechliniense ex manibus Ludovici comitis Flandrie reductum est ad Brabanciam. De quo quidem oppido temporibus retroactis usque ad presentem diem multe mutationes habite fuerunt, ex eo quod ipsum advenit ad manus diversorum dominorum [2]. Et quia ista materia pluribus est ignota, et multi sinistre et minus veridice de ipsa loquuntur, idcirco rectam et meram veritatem de ipsa, prout ex literis et registris

[1] Vide illas literas infra cap. XLVI versionis gallicae. [2] Vide supra p. 97 et seqq., et p. 476.

autenticis colligere potui, hic inserere curavi, sub correctione cujuslibet melius sentientis.

Pro enucleatione igitur premissorum est sciendum, quod antiquitus totum oppidum Mechliniense, sive tota villa Mechliniensis, que parva tunc erat, cum suis pertinentiis spectare solebat ad dominum Grymbergensem, qui totam terram suam Grymbergensem, sub qua terra Mechliniensis tunc fuit comprehensa, in feudum tenuit, et ipsius predecessores semper tenere solebant, a duce sive domino terre Brabancie pro tempore existente.

Contigit una vice, quod filii domini Grymbergensis, post decessum patris eorum, ineuntes partificationem bonorum, uni filiorum dictorum cecidit in sortem medietas ejusdem ville, cum nonnullis villis, reditibus et appenditiis : qui religiose cupiens de dicta sua parte disponere pro sue et suorum parentum animarum salute, dictam medietatem ville Mechliniensis, cum villis, juribus et pertinentiis suis universis, in veram eleëmosinam abbati et conventui Lobicensi contulit et donavit. Sed quia domini Grymbergenses, qui aliam medietatem ejusdem ville tenebant, post obitum fratris eorum, predicte abbacie Lobicensi in juribus suis tot et tanta impedimenta prestiterunt, quod modicum profectum inde reportabant, ideo predicti abbas et conventus et sui successores, eorum medietatem predicte ville omneque jus ac dominium, jurisdictionem, reditus, proventus et obvenciones ipsis in predicta villa et ejus appenditiis et pertinentiis, occasione supradicte donationis quoquomodo pertinentes, in commutationem aliorum bonorum episcopo et ecclesie Leodiensi supportarunt. Qui de dicta villa et ejus appenditiis et pertinentiis eciam modicum fructum reportare potuerunt, propter potenciam dominorum Grymbergensium, quia facta divisione inter fratres, Walterus Berthout, frater senior, cui alia medietas cum nonnullis villis et dominiis in sortem ceciderat, et a Gerardo fratre suo juniore, juxta sentenciam per quondam Godefridum hujus nominis primum ducem Brabancie inter predictos fratres prolocutam, in feudum receperat, que ex tunc deinceps terra Mechliniensis est appellata (nam, ut supra habetur de bello Grymbergensi, frater junior semper succedit in feudo principali juxta legem per supradictum ducem Godefridum in dicta terra statutam, et usque ad presens tempus inviolabiliter observatam), qui quidem Gerardus frater junior totam terram Grymbergensem et Mechliniensem indivisim receperat in feudum a duce Brabancie supradicto. Sed

processu temporis successores Walteri Berthout senioris, domini Mechliniensis medietatis et territorii sive dominii Mechliniensis, se opposuerunt de eadem terra et villa Mechliniensi a domino Grymbergensi, ut ipse et sui antecessores hactenus fecerant, amplius in feudum relevare.

Et quia feudum ducis per hoc censebatur diminutum, Heinricus hujus nominis Brabancie dux secundus, cujus tempore acciderunt ista, pro suo interesse se de hujusmodi causa intromisit, nolens feudum suum diminui tali modo, volens dictum Walterum ad hoc adstringere, ut, juxta sentenciam per predictum ducem Godefridum pronunciatam, dictam terram suam a dicto domino Grymbergensi in feudum relevaret. Qua de causa inter eundem ducem et dominum Grymbergensem, ex una, et predictum dominum Mechliniensem, nomine Walterum, parte ex altera, insurrexit dissensio non modica, que tandem, interventu et per medium Ottonis comitis Gelrie, nepotis ducis Brabancie, scilicet filii sororis sue, fuit terminata per amicabilem compositionem factam inter partes predictas, videlicet quod ipse Walterus Berthout suique successores totam terram suam, quam habuit, tam in Brabancia quam in marchionatu terre de Ryen, a modo recipere et tenere debeant a predicto duce Brabancie et suis successoribus Brabancie ducibus, in feudum et homagium. Quas quidem terras idem Walterus in manibus dicti ducis supportavit, qui ipsum de eisdem infeudavit, recipiens ab eodem homagii et fidelitatis juramenta.

Eodem vero tempore fuit tractatum matrimonium inter prefatum Wal- 1238.
terum Berthout dominum Mechliniensem et Mariam filiam comitis Alvernie, quam genuerat ex Margareta sua uxore, sorore dicti Heinrici secundi, ac eciam sorore Sophie comitisse Gelrie, eciam sorore ejusdem Heinrici ducis et matre Ottonis comitis Gelrie supradicti. Acta fuerunt hec Lovanii anno M° CC° XXXVIII°, mensis decembris die prima. Et sic ex tunc in antea domini Grymbergenses manserunt privati de homagio et feudo Mechliniensi supradicto, quod pro nunc tenetur a duce Brabancie, salvo quod medietas dicte ville Mechliniensis cum suis pertinentiis tenetur in feudum ab episcopo et ecclesia Leodiensi, prout hec latius habentur supra, ubi scribitur de bello Grymbergensi. Et licet dicta medietas ville Mechliniensis spectabat ad ecclesiam Leodiensem, tamen domini terre sive dominii Mechliniensis sub tanto jugo villam Mechliniensem tenuerunt, quod episcopus Leodiensis nullum aut modicum profectum inde potuit habere.

quia nullus dicte ecclesie censum voluit solvere, nisi in die redditionis census duo canonici Leodienses in Mechlinia adessent; eciam non potuerint vendere bladum, avenam, fenum et ligna, sed oportuit ipsos illa consumere in villa Mechliniensi antedicta. Hec autem facta sunt, ut per istam viam partem ejusdem ville ex manibus dicte ecclesie domini Mechlinienses facilius extorsisse potuissent.

Qualiter Hugo episcopus Leodiensis supportavit Johanni hujus nominis secundo duci Brabancie, et suis successoribus usque ad tertiam generationem, mediam partem ville Mechliniensis ecclesie Leodiensi competentem. Cap. CLXVII.

1300. Successu vero temporis, dum domini terre et partis ville Mechlinienses partem ejusdem ville ecclesie Leodiensi appertinentem et ejus jura per plures annos, de facto, voluntarie et absque aliqua ratione, premisso modo occupassent, Hugo episcopus Leodiensis talem cum supradicto Johanne duce Brabancie secundo iniit compositionem: videlicet quod ipse dux suis expensis omnia jura ville Mechliniensis indebite occupata ad utilitatem et profectum dicte ecclesie reducere deberet ad eandem, tali conditione adjecta, quia nemo tenetur propriis stipendiis militare, quod ipse dux, suique successores duces Brabancie usque ad terciam generacionem inclusive, proinde haberent partem dicte ecclesie in dicta villa pertinentem, cum omnibus et singulis juribus, jurisdictionibus, villis, reditibus et pertinentiis suis universis, prout in literis desuper confectis plenius continetur, que date fuerunt anno Domini M° CCC°, sabbato ante festum beati Luce evangeliste.

Qui quidem dux Johannes in brevi ad opus dicte ecclesie acquisivit omnia jura in dicta villa prefate ecclesie competentia, et fuit ibidem nomine dicte ecclesie in dominum receptus; reliquam vero partem Johanni domino Mechliniensi pertinentem idem Johannes de Berthout a dicto duce in feudum relevavit, et non multo post ipse dux et Johannes de Berthout, tamquam domini Mechlinienses, conjunctim dicte ville Mechliniensi nonnulla privilegia concesserunt. Hec fuerunt facta anno Domini M° CCC° primo, ipso die sancte Lucie: de quibus et aliis gestis illius temporis fit mentio supra, ubi scribuntur gesta Johannis secundi, ducis supradicti.

Qualiter medietas ville Mechliniensis iterum reducta est ad ecclesiam Leodiensem. Cap. CLXVIII.

Cum vero supradictus Johannes dux secundus predictam villam Mechliniensem ex parte et nomine dicti episcopi Hugonis per septennium possederat, et omnia jura ecclesie Leodiensis magnis expensis atque laboribus ad opus ejusdem ecclesie acquisierat, Theobaldus episcopus Leodiensis, pretendens quod episcopus Hugo non potuit sine consensu capituli et communis patrie Leodiensis, et absque auctoritate apostolice sedis, jura ejusdem ecclesie alienare diucius quam sua vita durante, et obtinuit preterea dictum ducem Johannem in curia romana super premissis citari, ubi tandem pro dicto episcopo Theobaldo ac ecclesia sua Leodiensi et contra prelibatum ducem Johannem sentencia fuit promulgata, que, nulla appellatione suspensa, transivit in rem judicatam. Et sic pars sive medietas ville Mechliniensis reversa est ad ecclesiam Leodiensem, reliqua vero pars permansit dicto domino Johanni Berthout, domino Mechliniensi.

Quo mortuo successit sibi Egidius Berthout, post cujus decessum suc- 1312
cessit sibi Florencius Berthout, nepos suus, qui dominium ville et terre Mechliniensis a dicto Johanne duce Brabancie, more suorum predecessorum, in feudum relevavit, faciendo sibi proinde homagium et debite fidelitatis juramentum, promittendoque quod cum omnibus subditis suis tam ville quam terre Mechliniensis contra omnem hominem fideliter serviret. Promisit insuper quod omnia statuta et mandata, per communem patriam Brabancie ordinata, et ordinanda, faceret in dicta villa Mechliniensi sui ex parte proclamari et observari, prout in suis literis patentibus desuper confectis plenius continetur, que fuerunt facte et sigillate anno domini M° CCC° XII°, ipso die beati Petri et Pauli apostolorum.

Wilhelmus comes Hannonie et Hollandie via pignoris acquisivit ab Adolpho episcopo Leodiensi medietatem ville Mechliniensis, et reliquam medietatem cum suis pertinentiis emit erga dominum Florentium Berthout, qui iterum partem suam fuit adeptus. Cap. CLXIX.

Anno Domini M° CCC° XIII° Adolphus de Marka episcopus Leodiensis impignoravit ad manus Wilhelmi comitis Honnonie, Hollandie, etc., qui fuit pater Wilhelmi comitis per Frisones occisi, omne jus, dominium, jurisdictionem, redditus, proventus et obventiones, quos quas, et que ecclesia Leodiensis habere potuit in villa Mechliniensi predicta et ejus appenditiis, pro summa quindecim millium regalium, ad quod summus pontifex suum adhibuit consensum, sub tali conditione quod idem episcopus infra quinque annos predictam villam redimere debeat ex manibus comitis Wilhelmi suprascripti.

1336. Deinde vero, anno Domini M° CCC° XXXVI°, idem Wilhelmus comes Hannonie, Hollandie, etc., acquisivit et comparavit erga memoratum dominum Florentium Berthout, dominum Mechliniensem, omne jus, dominium, jurisdictionem, necnon redditus, obventiones et proventus, quos, quas et que habuit seu habere potuit quoquo modo in villa Mechliniensi predicta, cum ejus appenditiis et pertinentiis, ad cujus quidem ville Mechliniensis jurisdictionem et libertatem pertinere dignoscuntur Nieuwlant, Neckerspoele, Hevere, Musius, Hombeeck, Leest en Heffenis, cum earum appenditiis, ipsi domino Florentio ratione successionis per mortem quondam Egidii Berthout nepotis sui devolutis.

Qua emptione et venditione sic facta, dictus Wilhelmus comes partem dicte ville Mechliniensis cum suis appenditiis a Johanne hujus nominis duce tercio Brabancie in feudum relevavit, promittens sibi servire contra quemcunque, tanquam dominus Mechliniensis, suis et suorum hominum et subditorum expensis; quodque omnia statuta et mandata, per barones, nobiles et bona oppida Brabancie ordinata, faceret et mandaret in dicto oppido Mechliniensi sui ex parte proclamari et observari, prout hoc asseritur contineri in libro feudali Brabancie.

Et est sciendum, quod predictus comes Wilhelmus partem dicti oppidi Mechliniensis erga dictum dominum Florencium Berthout comparavit,

sperans quod episcopus Leodiensis suam partem nunquam redimeret, ut sic esset unicus dominus oppidi supradicti; sed suo desiderio defraudatur, quia predictus espicopus Adolphus dictam partem suam infra dictum quinquennium ex manibus dicti Wilhelmi comitis duxit redimendam. Quare idem comes, attendens quod ipsius oppidum longe a sua terra esset situatum, et quod de medietate ejusdem nollet esse vasallus neque subjectus ducis Brabancie, nec ad suum servitium adstrictus, tantum procuravit, quod dictus dominus Florencius sibi remisit emptionem erga ipsum factam, et fuit in predicta parte oppidi Mechliniensis cum suis juribus et appenditiis predictis per prefatum ducem Johannem institutus, qui ipsum de ipsis in hominem recepit et vasallum, quemadmodum fuerat ante emptionem et venditionem supradictas.

De matrimonio facto inter Sophiam filiam unicam domini Florencii predicti et Reynaldum comitem Gelrie, filium Ottonis comitis Gelrie prefati. Cap. CLXX.

Est sciendum, quod prelibatus dominus Florentius Berthout dominus Mechliniensis, qui descendit a Waltero Berthout et ejus uxore nomine Maria, primogenita comitisse Alvernie, que fuit filia primi Heinrici et soror secundi Heinrici ducum Brabancie, habuit unicam filiam nomine Sophiam, quam matrimonialiter copulavit cum Reynaldo comite Gelrie, filio Otthonis comitis Gelrie supradicti, qui ex ea genuit tres filias: quarum senior duxit in virum comiten Clivensem primo, et ipso defuncto comitem Blesensem, a quibus nullam prolem habuit; altera vero filia accepit in maritum Wilhelmum ducem Juliacensem; tercia vero filia mansit virgo, et fuit abbatissa monasterii dicti Ten Nieuwen Cloostere in terra Gelrie situati. Mortuo siquidem domino Florentio Berthout antedicto, sibi successit comitissa Sophia ejus filia, qua defuncta, successit eidem senior filia comitis Reynaldi et comitisse filie domini Florentii predictorum, tam in dominio territorii Mechliniensis quam medietatis oppidi Mechliniensis prefati, prout ista luculencius habentur supra, ubi scribitur qualiter Reynaldus comes Gelrie creatur in ducem per Ludovicum de Bavaria imperatorem.

Qualiter Adolphus de Marka episcopus Leodiensis partem sibi et ecclesie Leodiensi in dicto oppido Mechliniensi pertinentem vendidit Ludovico comiti Flandrie. Cap. CLXXI.

1333. Anno Domini M° CCC° XXXIII° Adolphus de Marka episcopus Leodiensis, cum consilio et assensu capituli Leodiensis, vendidit Ludovico comiti Flandrie omne jus, dominium, jurisdictionem, necnon redditus, obventiones et proventus, que et qui sibi et ecclesie sue Leodiensi competebant et quoquo modo competere poterant in oppido Mechliniensi predicto, cum appenditiis et pertinentiis suis quibuscumque, pro summa centum millium regalium, cum tali conditione quod ipse partem dicti oppidi dicte ecclesie sue pertinentem ab eadem ecclesia tenebit in feudum, quodque dictam partem nunquam separabit neque separari faciet vel permittet a dominio Flandrie, a sacro Romano imperio dependentem, et quod ecclesiam Geronsberghem et Bornhem antiquitus a dicta ecclesia jure feudali moventem cum parte dicti oppidi Mechliniensis in perpetuum tenebit ab episcopo et dicta sua ecclesia in feudum homagiumque, prout in literis desuper confectis plenius dicitur contineri.

Qualiter Reynaldus, comes Gelrie, tanquam tutor et mamburnus senioris sue filie vendidit dicto comiti Flandrie jus eidem sue filie post matris sue decessum devolutum in oppido Mechliniensi predicto. Cap. CLXXII.

Circa predictum tempus memoratus Ludovicus comes Flandrie comparavit et acquisivit erga Reynaldum comitem Gelrie, tutorem et mamburnum senioris filie sue predicte, quam genuerat ex prefata comitissa Sophia uxore sua, filia domini Florentii Berthout domini Mechliniensis sepedicti, omne jus omnemque jurisdictionem, necnon obventiones, redditus, et proventus, dicte sue filie in predicto oppido cum ejus appendentiis et pertinentiis quomodolibet competentes, et eidem sue filie prelibati quondam domini Florentii Berthout avi sui morte devolutos : et sic antedictus comes Flandrie utramque partem predicti oppidi integraliter pro magnis pecuniarum summis comparavit.

Qualiter episcopus Leodiensis et comes Gelrie miserunt procuratores suos ad absolvendum oppidanos Mechlinienses a juramentis ipsis prestitis, et qualiter dictus comes Flandrie cum literis emptionis misit suos procuratores ad capiendum possessionem ejusdem. Cap. CLXXIII.

Postquam memoratus Ludovicus comes Flandrie ambas partes prescripti 1333
oppidi Mechliniensis erga episcopum Leodiensem et comitem Gelrie comparaverat, ut premittitur, misit suos procuratores cum literis emptionis et venditionis ejusdem oppidi ad Mechliniam, ad ostendendum magistris communitatis, legislatoribus et consulibus dicti oppidi literas predictas. Consimiliter predicti episcopus Leodiensis et comes Gelrie miserunt suos procuratores ad predictum oppidum, cum potestate oppidanos, subditos et incolas ad dictum oppidum spectantes a juramentis dicto episcopo et comiti prestitis absolvendi, ipsosque requirendi quatenus prenotatum comitem Flandrie in eorum dominum reciperent et admitterent, aut suis procuratoribus, ipsius nomine et ad opus suum, debite fidelitatis et obediencie juramenta prestarent. Super quo magistri communitatis, scabini et consules dicti oppidi petiverunt dilacionem et certum terminum se desuper deliberandi et consulendi, et nullum aliud responsum dicti procuratores a jam dicto oppido pro tunc, licet sufficienter et instantissime votivum responsum ipsis dari postulaverint, reportare potuerunt. Et sic iidem procuratores abinde vacui recesserunt, die XIIII[a] mensis julii anno Domini M° CCC° XXXIII° supradicto.

De guerra orta inter comitem Flandrie et oppidum Mechliniense, et deinde inter eundem comitem et XVII principes et dominos terre sibi adherentes, ex una, et Johannem tercium ducem Brabancie, ex altera parte. Cap. CLXXIV.

Ludovicus vero Flandrie comes, videns quod incole Mechlinienses ipsum nollent in eorum dominum recipere et admittere, statim dictum oppidum diffidando taliter ordinavit, quod nulla victualia ibi poterunt advenire, fecitque omnia bona oppidanis et incolis Mechliniensibus apper-

tinentia in Flandria constituta arrestari et ad mensam suam applicari. Ob quam causam burgenses et incole Mechlinienses a memorato duce Johanne Brabancie, tamquam ab eorum domino superiori et directo, ipsis desuper de remedio opportuno provideri humiliter postulabant. Dux vero ipsorum juste petitioni favorabiliter inclinatus, attendens non solum grata et gratuita servicia sibi et suis antecessoribus per ipsos Mechlinienses multipliciter impensa, sed considerans eciam magnum interesse, quod in hoc pro jure suo versabatur. maxime in eo quod medietas dicti oppidi, de qua ipse dominus supremus et directus sentiretur, ab ipso teneri deberet in feudum et homagium : que medietas absque ejus consensu per predictum Gelrie comitem fuit alienata, non considerato proinde seu proviso, quod vasallus. qui feudum domino inconsulto et sine consensu ejusdem alienat, feudum perdit, et dominus a quocumque possessore hujusmodi feudum poterit vindicare, et sic emptio ab ipso comite Flandrie a comite Gelrie facta fuit nulla ipso jure.

Proposuit ulterius prefatus dux, quod aliam partem sive medietatem per dictum comitem Flandrie erga predictum episcopum Leodiensem comparatam ipse dux acquitare sive exsolvere et redimere vellet : in quo de jure nullus sibi preferri posset, tum quia dominium dicti oppidi Mechliniensis tamquam membrum dominii Grimbergensis antiquitus descendit de gremio ducis Brabancie jure feudali, tum quia circumquaque limitibus Brabancie est circumclusum, tum eciam quia ipse dux Brabancie est de jure de bonis temporalibus, ad dictam ecclesiam Leodiensem et ad omnes alias et ecclesiasticas personas spectantibus, et sub sua ditione constitutis, quemadmodum sui predecessores duces Brabancie hactenus fuerunt, post dominium imperii superior advocatus.

Proposuit insuper idem dux, quod debita juris solempnitas in emptione et venditione hujusmodi non fuit observata. Quare idem dux in magno suo consilio conclusit. quod in sui et dicti oppidi. cujus directus dominus fore censetur, juris conservatione et injuriarum amotione, eidem oppido assistere. et vice versa ipsum oppidum eidem duci assistenciam facere promiserunt.

Postquam vero premissa ad predicti comitis Ludovici Flandrie notitiam pervenerant. tantum procuravit quod rex Bohemie, archiepiscopus Trevirensis, episcopus Leodiensis. Wilhelmus comes Hannonie et Hollandie.

Reynaldus comes Gelrie, Wilhelmus comes Juliacensis, Johannes de Hannonia, comes Suessionensis et dominus Bellimontis, Ludovicus comes Blesensis, Wilhelmus de Hannonia comes Zelandie, Johannes comes Namurcensis et Guido frater ejus ac dominus de Heynsberch et dominus de Valkenborch conjuraverunt, et se cum dicto Ludovico comite Flandrie confederaverunt contra Johannem ducem Brabancie sepedictum, quem unanimiter una die diffidaverunt : unde magna guerra fuit subsecuta, que tandem fuit pacificata per Philippum regem Francie, qui electus et nominatus est per partes predictas judex, tractator et amicabilis compositor inter easdem partes et earum adherentes, super omnibus et singulis discordiis et dissentionibus inter ipsas hactenus usque ad tempus sue pronunciacionis motis et exortis. Qui quidem rex, vigore hujusmodi compromissi ad se assumpti, inter cetera ordinavit, pronunciavit et determinavit, in quantum tangere potuit unamquamque partem dictorum confederatorum contra dictum ducem, tam conjunctim quam divisim, et pari modo in quantum concernere potuit eundem ducem contra partem unamquamque contra se confederatam, tam conjunctim quam divisim, videlicet predictas confederationes fore nullas, prohibendo partibus predictis, quod a modo eisdem non uterentur, quoquo modo velint. Voluit insuper et ordinavit, quod de cetero essent boni amici invicem, quemadmodum bona affectio inter consanguineos et affines requirit, prout hec tam de supradicta guerra quam de dicti regis prununciacione plenarie scripta memorantur. De questione autem occasione dicti oppidi Mechliniensis exorta, ipse rex non determinavit, sed ipsum oppidum in manibus suis posuit, ubi misit strenuum militem dominum Fredericum de Pycquengny, qui ipsum oppidum ex parte dicti regis gubernavit.

De pace tractata inter ducem Brabancie et comitem Flandrie, et qualiter oppidum Mechliniense et jurisdictionem ejusdem conjunctim tenebunt et indivisim. Cap. CLXXV.

Subsequenter vero, dum per procurationem regis Francie confederationes inter principes predictos contra dictum ducem Brabancie conjurate 1336
annullate fuerant, et pax integra inter ipsos firmata, quare idem rex de

questione dicti oppidi Mechliniensis, unde guerra fuerat exorta, non determinaverat, sed ipsum de manu sua regi et gubernari mandaverat: idcirco dux et comes antedicti mutuo convenerunt atque concorditer ordinaverunt, quod deinceps ipse dux et comes ipsorumque heredes et successores, duces Brabancie et comites Flandrie, perpetuo dictum oppidum cum appenditiis, juribus et pertinentiis suis conjunctim et indivisim tenerent, quemadmodum episcopi Leodienses partem ipsis attinentem, et Margareta filia comitis Gelrie atque comitissa Sophia mater sua, filia quondam domini Florencii Berthout, partem alteram ipsis pertinentem hactenus tenuerunt et possederunt, cum tali conditione quod ipse dux, sui heredes et successores suam jurisdictionem tenerent in feudum et homagium a dicto comite, et pari modo ipse comes, heredes et successores sui jurisdictionem suam tenerent in feudum et homagium a duce predicto, sed ipse comes solus teneret alteram partem ab episcopo et ecclesia Leodiensi; et insuper, quod ipsum oppidum Mechliniense ex parte utriusque ipsorum conjunctim regeretur secundum jura et privilegia ejusdem; quodque scultetus, receptor, scabini et alii judices et officiarii eciam per predictos ducem et comitem et successores ipsorum ibi instituerentur, necnon redditus et proventus et obventiones per eorum receptorem, emende forestarum et his similia per eorum scultetum ad opus ipsorum conjunctim levarentur, qui annuatim coram commissariis ipsorum conjunctim ad hoc deputatis rationem, computum et reliqua facere teneretur, fraude et dolo seclusis. Que omnia recepta et levata ipsi dux et comes ipsorumque successores equaliter inter se dividere deberent.

Item, fuit eciam per et inter dictos comitem et ducem ordinatum et conventum, quod commorantes in Blydenberghe solum ad comitem, et qui commorantur in Neckerspoele, solum ad ducem spectare deberent.

Fuit insuper inter eosdem ducem et comitem ordinatum et conventum, quod in dicto oppido aut ejus francisia et libertate nullus ipsorum, neque successores eorumdem, posset vel possent castrum erigere vel edificare, salvo quod ipsi conjunctim hoc facere possent, cum nonnullis aliis punctis et articulis in eorum literis patentibus desuper confectis comprehensis et declaratis, utriusque ipsorum nobiliumque et oppidorum Brabancie et Flandrie sigillis appendentibus sigillatis, datis in Denremonde, die ultima mensis martii, anno Domini M° CCC° XXXVI°.

Qualiter Johannes dux Brabancie erga Ludovicum comitem Flandrie emit omne jus, quod eidem comiti in eodem oppido Mechliniensi competere poterat; et qualiter papa eundem comitem a juramento, quod de ipso oppido non alienando prestiterat, absolvit. Cap. CLXXVI.

Postquam vero ipsi dux et comes dictum oppidum Mechliniense, cum [illegible]
suis juribus, appendenciis et pertinenciis universis, juxta conventionem suprascriptam, per aliquot annos conjunctim et divisim tenuissent, ipsi dux et comes inierunt certum tractatum, videlicet quod ipse dux erga dictum comitem ex manibus suis exsolvere et redimere posset partem sibi in dicto Mechliniensi oppido cum juribus et pertinenciis suis quomodolibet competentibus, pro summa octoginta sex millium et quingentorum regalium, sub conditione tali quod memoratus dux suis expensis impetrare deberet a summo pontifice, quod predictum Ludovicum comitem absolveret a juramento, per ipsum ecclesie Leodiensi prestito, de dicto oppido Mechliniensi a comitatu suo Flandrie ad manus alienas non alienando neque transportando. Dum igitur dictus dux pro hujusmodi absolutione impetranda ad dominum Apostolicum destinasset, episcopus et capitulum Leodiense, hoc percipientes, per medium nonnullorum cardinalium in ecclesia Leodiensi archidiaconatus obtinentium, amicum ejusdem domini Apostolici taliter informarunt, quod dictam absolutionem concedere omnino recusabat. Quo audito, ipse dux Brabancie adivit Philippum regem Francie, sibi premissa significando; qui eidem duci promisit, quod omnibus viis et modis possibilibus tantum procuraret, quod ipse dux vel Heinricus ejus major filius, quem specialiter adamavit, omne jus, quod dicto Ludovico comiti in dicto oppido Mechliniensi cum suis pertinenciis quoquo modo competere poterat, libere et absolute assequi deberet. Quare ipse rex pro sue promissionis complemento misit ad dominum Clementem papam VI^um, tunc cum curia sua Romana in Avinione residentem, suos solempnes nuncios; qui tantum procurarunt, quod ipse dominus papa per suas literas apostolicas, more Romane curie bullatas, commisit episcopis Laudunensi, Parisiensi et Morinensi, aut duobus ipsorum, dando ipsis specialiter in mandatis, quatenus, vocatis vocandis, se super emptione et venditione predictis, necnon super dispensationis sive absolutionis negocio

ex parte dicti regis petito, diligenter informarent; et, si per informationem hujusmodi reperirent, rem per dicti regis nuncios sibi propositam fore consonam veritati, quod tunc cum dicto comite Ludovico, casu quo hoc duxerit requirendum, ex parte sedis apostolice dispensarent, sibique licentiam darent, predictum jus suum sibi in sepefato oppido suo competens supportandi Heinrico seniori filio Johannis ducis Brabancie, pro se suisque heredibus et successoribus, Brabancie ducibus, quodque predictum comitem, si requireret, absolverent a supradicto juramento dicte ecclesie Leodiensi prestito. Que quidem litera apostolica data fuit Avinione, VI° idus februarii, pontificatus dicti Clementis pape VI[i] anno IIII°, sub anno Domini M° CCC° XLV°.

Qualiter tres episcopi commissarii Apostolici supradicti fecerunt coram eis citari episcopum ac decanum et capitulum Leodiense, ad videndum dictum comitem Flandrie absolvi eciam et secum dispensari, vel dicendi causam quare hoc fieri non deberet. Cap. CLXXVII.

1346 Quibus quidem literis apostolicis, prescriptam commissionem in se continentibus, memoratis episcopis Laudunensi, Parisiensi et Morinensi presentatis, et per ipsos reverenter, ut decuit, receptis, qui tanquam filii obediencie volentes vigore dictarum literarum ad executionem contentorum in eisdem procedere, ut tenebantur, mandaverunt per suas literas patentes copiam dictarum literarum apostolicarum in se continentem, dominos Engelbertum episcopum, decanum et capitulum Leodiense citare comparendi coram ipsis, ad certas diem et horam in civitate Laudunensi, ad videndum dominum Ludovicum comitem Flandrie a juramento de medietate oppidi Mechliniensis, cum juribus et pertinenciis suis, a comitatu Flandrie non alienando neque in manus alienas transportando, alias dicte Leodiensi ecclesie prestito, absolvi, secumque auctoritate apostolica hujusmodi alienationem sive translationem facere posse dispensari, vel ad allegandum causam cur hoc fieri minime deberet.

Qua quidem die ipsis prefixa adveniente, comparuerunt coram predictis episcopis Laudunensi et Parisiensi, in palacio episcopali Laudunensi, hora terciarum dicte diei pro tribunali sedentibus, tres canonici cum uno

capellano ecclesie Leodiensis, tanquam procuratores et nomine procuratorio episcopi, decani et capituli Leodiensis predictorum, prout de suarum procurationum mandato docuerunt legitimis documentis, petentes et requirentes primitus et ante omnia originales literas apostolicas commissarias ipsis presentari, et cum illis copiam in literis citatoriis ipsis directis contentam collationari. Quod predicti duo episcopi commissarii apostolici eisdem procuratoribus juxta petitionem ipsorum indilate annuerunt; quo facto, iidem procuratores, nomine procuratorio dictorum episcopi, decani et capituli, requisiverunt ad dicendum et excipiendum, contra predictas commissionem, literas et contenta in eisdem, certum longum terminum ipsis prefigi et assignari. Ad quod procurator regius, qui ibidem adfuit nomine et ex parte regis Francie, dixit et asseruit tam longum terminum per dictos procuratores petitum ipsis concedi non debere, attento quod in causa hujusmodi longa mora atque dilacio esset multum periculosa, propter guerrarum discrimina, que pendente longo termino inter partes predictas, que potentes erant, inde verisimiliter essent eventura; petens igitur et requirens ex parte dicti regis a predictis commissariis apostolicis in causa hujusmodi indilate ac summarie, simpliciter et de plano, procedi juxta traditam a sede apostolica ipsis formam. Qui quidem episcopi commissarii, vigore commissionis predicte ad informationem cause hujusmodi procedentes, servatisque servandis, nonnullos testes ex utraque parte coram ipsis productos super positionibus et articulis, in predictis commissionum literis apostolicis contentis, diligenter examinaverunt, per quorum siquidem testium depositiones articuli predicti, per predictum regem pape Clementi VI° transmissi et in dicta commissione contenti, videbantur sufficienter fore comprobati, decernendo quod ipsi predictum comitem Ludovicum a dicto juramento per ipsum prestito absolvere et secum dispensare possent et deberent, si ipse comes hoc duceret requirendum. Et, quia ipse comes hujusmodi absolutionem et dispensationem requirere recusavit, iidem commissarii apostolici ad ulteriora procedere nequierunt.

Quapropter predictus rex secundario misit ad antedictum Clementem papam VI^um, et tantum laboravit, quod idem papa per alias suas certi tenoris literas apostolicas commisit et mandavit predictis episcopis, quod, si ipsis legitime et veridice constaret, per testium depositiones aut per predicti comitis literas, videlicet quod comes suum ad hoc consensum et

assensum adhibuerat, quod a sede apostolica absolucio et dispensacio impetrari deberent, et eumdem comitem, eciamsi non petierit, a predicto juramento absolverent. Qui quidem episcopi commissarii apostolici, recepta prius informatione debita super premissis, quia ipsis per predicti comitis literas coram ipsis productas, ac eciam per testium depositiones, de ipsius consensu et assensu prenarratis legitime constitit, auctoritate predicte sedis apostolice cum dicto Ludovico comite dispensarunt, videlicet quod, non obstante juramento alias per ipsum in contrarium dicte ecclesie Leodiensi prestito, ipse comes omne jus omnemque actionem, possessionem et proprietatem, que sibi in medietate dicti oppidi Mechliniensis, cum appendiciis et pertinenciis suis universis, quoquo modo competere possint, supradicto Heinrico filio seniori Johannis ducis Brabancie, pro se, suis heredibus et successoribus, Brabancie ducibus, posset supportare. Que quidem dispensacio fuit facta Lauduni, anno Domini M° CCC° XLVI°, mensis junii die XXVI[a].

De morte Ludovici comitis Flandrie in bello de Cryssi; et qualiter juvenis Ludovicus comes Flandrie, dicti quondam Ludovici filius, contemplatione regis Francie, Heinrico seniori filio ducis Brabancie supportavit oppidum Mechliniense cum pertinenciis universis. Cap. CLXXVIII.

1347. Anno supracripto M° CCC° XLVI°, mensis augusti die XXVI[a], memoratus Ludovicus comes Flandrie interiit in doloroso bello inter reges Francie et Anglie apud Cryssi conserto. Quo mortuo Ludovicus, dicti quondam Ludovici defuncti comitis Flandrie filius, tam contemplatione supradicti regis Francie quam ob causam certe recompensationis per eundem regem, de qua se tenuit pro contento, sibi desuper facte, promisit Johanni duci Brabancie legaliter, in bona fide, quod ipse libere et absolute in personam Heinrici senioris filii dicti ducis, prout appertineret, infra duos menses postquam super hoc ex parte dicti ducis fuerit requisitus, omne jus omnemque actionem, possessionem, proprietatem, feuda et homagia, et quascumque alias jurisdictiones et dominia, quas et que habuit seu habere potuit in oppido Mechliniensi et pertinenciis ejusdem, ubicumque opus fuerit, ac per modum et formam tam de jure quam consuetudine

debitos et opportunos, ad tenendum et possidendum pacifice, perpetuo et hereditarie per se, heredes et successores suos, Brabancie duces : absque hoc quod predicti dux et Heinricus filius ejus, aut quecumque alie persone, quecumque fuerint, sibi solvere et restituere teneantur summam LXXXVI millium et quingentorum regalium aureorum, aut alios denarios quoscunque, in quibus dictus dux potuit teneri et alligari domino et genitori suo bone memorie, ac sibi, causa emptionis medietatis predicti oppidi Mechliniensis et appertinenciarum ejusdem; et eciam absque hoc quod dictus Heinricus non teneretur sibi super hoc facere homagium, aut alicui alteri persone, excepto episcopo Leodiensi, nomine sue ecclesie, cui deberet et facere teneretur homagium, per modum et formam quibus domini Mechlinienses hactenus ab antiquo facere consueverunt, prout hec in supradicti Ludovici comitis literis, necnon in literis promissionum dicti Francorum regis de hujusmodi transportatione fienda desuper confectis, cum nonnullis aliis punctis et articulis contentis in eisdem, plenius continentur, que fuerunt date apud Sanctum Quintinum in Vermandois, mensis junii die VI^a, anno Domini M° CCC° XLVII°. Tenores vero dictarum literarum regis et comitis, de quibus supra proxime fit mentio, habentur supra ante rubricam de antiquo statu oppidi Mechliniensis[1].

Et est sciendum, quod sepefatus Philippus rex Francie emit et comparavit oppidum et terram de Denremonde, sub imperio Romano constituta, erga dominum de Amboyse, quod et quam idem rex donavit supradicto Ludovico comiti Flandrie in recompensationem medietatis oppidi Mechliniensis et summe LXXXVI millium et quingentorum regalium predictorum. Et ex tunc predictus Johannes dux Brabancie, nomine Heinrici senioris sui filii, fuit adeptus pacificam possessionem predicti oppidi Mechliniensis. Et post ejus obitum Johanna filia sua senior, que in ducatu Brabancie sibi unacum domino Wenceslao de Bohemia, duce Lucemburgie et Brabancie, etc., suo marito et mamburno legitimo, de quo ante obitum dicti Johannis ducis Ludovicus, qui Margaretam dicti ducis filiam duxerat in uxorem, tunc temporis stabat bene contentus : quod post ejusdem ducis obitum cito fuit variatum.

Qualiter autem postea supradictum oppidum Mechliniense venit ad ma-

[1] Vid. p. 647.

num dicti Ludovici comitis ex manibus ducis Wenceslai et ducisse Johanne, et deinde per sententiam per Wilhelmum de Bavaria, comitem Hannonie et Zelandie, desuper prolatam, supradicto Ludovico comiti Flandrie fuit adjudicatum, habetur infra in libro sexto, ubi scribuntur gesta ducis Wenceslai et ducisse Johanne predictorum.

De morte Ludovici imperatoris, et de electione et coronatione Caroli quarti imperatoris. Cap. CLXXIX.

Moritur Ludovicus de Bavaria, Romanorum imperator. Cujus tempore prefuerunt Romane ecclesie summi pontifices subscripti, scilicet Johannes papa XXII^us^, de Caturco civitate oriundus ex patre Arnoldo, qui fuit electus in summum pontificem VIII° idus augusti, anno Domini M° CCC° XVI°, in conventu Fratrum Predicatorum Lugdunensi. Erat autem cardinalis episcopus Portuensis, et Jacobus vocabatur, fuitque coronatus more summorum pontificum in ecclesia cathedrali Lugdunensi nonis septembris, dominica prima ejusdem mensis; deinde se transtulit versus Avinionem, ubi futuram curiam Romanam fecit proclamari. Cui successit Benedictus papa XII^us^, natione Vasto, qui fuit electus in papam anno Domini M° CCC° XXXIIII°, mensis decembris die XIX^a^. Hic prius vocabatur Jacobus de Vasto, et erat cardinalis tituli Sancte Prisce, eratque ordinis Cisterciensis. Cui successit Clemens papa VI^us^, qui fuit electus in papam anno Domini M° CCC° XLII°. Hic fuit natione Lemovicensis, et vocabatur Petrus Rogerii, fuitque cardinalis de Rosa communiter appellatus : sub quo supradictus Ludovicus imperator decessit sive moriebatur.

Mortuo autem Ludovico imperatore Romano de Bavaria, electores imperii discordaverunt in electione: nam una pars elegit in regem Romanorum Karolum filium Johannis Bohemie regis, qui ante ejus coronationem, mortuo in bello de Cryssi Johanne rege suo patre, fuit rex Bohemie: altera pars elegit dominum Guntherum comitem de Swartsenberch, anno Domini M° CCC° XLV° vel XLVI°. Qui quidem Karolus rex quartus, obtenta postea a sede apostolica electionis sue confirmatione, et predicti Guntheri comitis electione annullata, fuit anno Domini M° CCC° XLIX°, in die sancti Jacobi apostoli, Aquisgrani in regem Romanorum consecratus et conatus

per archiepiscopum Trevirensem. nam archiepiscopus Coloniensis tunc temporis agebat in remotis, cujus juris est novum electum in regem Romanorum consecrare et coronare.

Privilegium aureum per Carolum quartum Romanorum regem concessum ducibus et subditis Brabancie. Cap. CLXXX.

Privilegium aureum per Karolum quartum Romanorum regem concessum ducibus et subditis Brabancie, etc., continet inter cetera, quod nullus judicum, cujuscunque dignitatis, status aut conditionis, ecclesiastici seu secularis, fuerit, in quibuscunque causis, civilibus et criminalibus, et realibus aut personalibus, aliquam jurisdictionem in officiatos, servitores aut subditos ducum predictorum, ad instanciam cujuscunque persone, intra vel extra limites ipsorum constitutos, evocando, citando, appellando, abjudicando, banniendo, proscribendo, aut alios actus judiciarios faciendo, per sentencias interlocutorias sive diffinitivas exercere presumat, nisi primitus evidenti testimonio fuit edoctum sive probatum, quod a duce Brabancie, aut ejus judicibus, justicie reddende presidentibus, petenti sive petentibus justicia fuit denegata, prout in literis desuper confectis tenoris infrascripti plenius continetur[1]. 1349.

Tenor vero dictarum literarum, de quibus immediate fit mentio, sequitur et est talis :

« Karolus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, ad perpetuam rei memoriam. Etsi regie dignitatis circumspecta benignitas universos fideles ipsius, quos Romanum ambit imperium, pro favore prosequitur, ad illorum tamen utilitates et commoda speciali quadam prerogativa favoris dignanter intendit, qui diuturnitate laboris et immote fidei constancia circa procurandos sacrosancti imperii Romani honores adhibita diligentia claruerunt. Sane illustris Johannis Lotharingie Brabancie et Lymburgis ducis, sacrique imperii marchionis, principis et consanguinei nostri carissimi, merita probitatis et circumspecte fidei puritatem, quibus ipse unacum suis progenitoribus sacrum Romanum imperium 1349

[1] Cfr. Butkens, t. I *Preuv.* p. 185 et seqq.

debite fidelitatis obsequiis prestantius honoravit, nec cessat cotidiano sinceritatis affectu diligentius honorare, clare nostre mentis intuitu limpidius intuentes, sibi, heredibus et successoribus suis, in perpetuum hanc concessionis et donationis graciam de speciali nostre majestatis favore duximus faciendam, decernentes et edicto perpetuo statuentes, quod nullus archiepiscopus, episcopus, princeps, comes, baro, nobilis, aut cujuscumque conditionis existat, ecclesiasticus sive temporalis, in quibuscumque causis civilibus, criminalibus, realibus aut personalibus, res, vitam vel honorem contingentes, aliquam jurisdictionem seu judiciariam potestatem temporaliter in subditos, vasallos et servitores dictorum ducis, heredum et successorum ipsius infra ducatus Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ac marchionatum imperii, et eorum districtus, appendencias, et quascumque pertinencias constitutos, ad instantiam cujuscumque persone intra vel extra limites dictorum dominiorum existentes, qualiscumque gradus, status seu conditionis existat, evocando, citando, appellando, abjudicando, banniendo, proscribendo, aut alios actus judiciarios faciendo per sentencias interlocutorias seu diffinitivas exercere presumat, nisi primitus efficaciter et evidenti et legitimo documento probet, quod a judicibus, officiariis et aliis fidelibus dictorum ducis, heredum et successorum ipsius, qui pro tempore fuerint ministrande justicie deputati, petenti seu petentibus super actione aut actionibus, quam vel quas intentare seu intentasse noscuntur, justicia fuerit denegata, nec consequi potuerit justicie complementum : decernentes universas et singulas sentencias interlocutorias et diffinitivas, si quas super quibuscumque causis, quibus etiam specificatis vocabulis designari valerent, adversus presentis nostre gracie et largitionis indultum a quibuscumque judicibus, justiciariis et justicie faciende presidibus emanare contingeret, irritas penitus et inanes, nec earum pretextu vasallos, subditos et servitores dictorum ducis, heredum et successorum ipsius, infra terminos et spatia dominiorum, que scripta sunt, et eorum pertinencias constitutos, aliqualiter obligari. Ceterum, cum plerique innocentes ex quadam contagione nocentium persepe pericula dispendiorum videntur incurrere, cum is, qui reus non est, loco noxii detinetur, ut eidem periculo in terris ejusdem principis, quem sua virtute poscente non immerito pre ceteris adamamus, de regie benignitatis gracia abundantius caveatur; illud precipue statuendum duximus et potestatis regie edicto strictius

injungendum, ne aliquis vasallus, subditus nec servitor dictorum ducis, heredum et successorum ipsius, infra ducatus Brabancie et Lymburgis et marchionatum imperii ac eorum appendencias seu pertinencias constitutus, in quibuscunque episcopatibus, terris, provinciis, principatibus sive dominiis sacro subjectis imperio, ecclesiastici aut temporalis, seu cujuscumque alterius jurisdicionis existat, loco et vice alterius de eodem dominio, quacumque noxa seu debito involutus, arrestari, impignorari seu detineri, rebus aut corpore molestari debeat, aut aliquas violencias seu molestias quomodolibet sustinere, nisi fortassis reum vel debitorem hujusmodi qui viva voce, manuali non tractus sed sponte propria, se debitis seu delictis talibus obligasset, absque aliorum prejudicio contingeret personaliter deprehendi [1].

» Si quis vero ausu temerario vel quavis indiscreta presumptione graciis, immunitatibus et libertatibus hujusmodi in presenti contentis pagina contraïre presumeret, et dictorum ducis, heredum et successorum ipsius juribus, adversus tenorem presentium, quovis ingenio vel colore quesito, in toto vel in parte aliquatenus derogare, post penas indignacionis, destitutionis et prescriptionis nostre et amissionis jurium suorum, honoris, conditionis, status et gradus, quibus eundem in casu predicto declaramus evidenter fore privatum, penam centum marcharum puri auri se noverit irremissibiliter incurrisse, quarum medietatem regalis nostri fisci et residuam partem injuriam passorum usibus decrevimus applicandam, non obstantibus legibus et constitutionibus, consuetudinibus seu statutis publicis aut privatis, editis aut condendis, promulgatis seu promulgandis, quibus, in quantum presenti nostre concessioni, exemptioni et graciarum indultioni, penarum adjectioni et aliis in serie presentium expressis, in toto vel in parte, contraïre videntur, expressa et de certa nostra sciencia et regie potestatis plenitudine, nobis velut Romanorum regi ex sacro imperio competenti, presentibus derogamus, presentium sub nostre majestatis sigillo testimonio literarum.

» Datum in Wustherck, anno Domini M° CCC° XLIX°, indictione secunda, tercio kalendas martii, regnorum nostrorum anno tercio. »

Executorie litere immediate prescripte, quarum tenor est talis :

« Karolus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie 1350

[1] Quae sequuntur, desunt apud Butkens, p. 185.

rex, spectabilibus et nobilibus Lymburgis et Brabancie ducatuum, necnon Rodensis, quod T'shertogenrode appellari consuevit, et Carpensis provinciarum senescallis et castellanis et ballivo Nyvellensi, sculteto Antwerpiensi, qui pro tempore fuerint, ac universis et singulis nostris et sacri imperii fidelibus, ad quos presentes pervenerint, graciam regiam et omne bonum. Quia pridem illustris Johannis Lotharingie Brabancie et Lymburgis ducis, sacrique imperii marchionis, principis et consanguinei nostri dilecti, meritorum qualitate pensata, quibus idem ad instar progenitorum suorum sacrum Romanum imperium consueta fidelitate et sedulis obsequiorum affectibus honoravit, sibi, heredibus et successoribus suis, in perpetuum quasdam nostre majestatis literas de speciali gracia erogandas duximus, quarum literarum tenor sequitur in hec verba :

« Karolus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, ad perpetuam rei memoriam. Etsi regie dignitatis circumspecta benignitas universos fideles ipsius quos Romanum ambit imperium pio favore prosequitur, etc., ut supra.

» Verum, quia frustra foret quibuscumque principibus aut imperii sacri nobilibus de regie majestatis solio gracias elargiri, nisi ordinario effectui mandarentur, idcirco vobis Lymburgis et Brabancie ducatuum, necnon Rodensis et Carpensis provinciarum senescallis et castellanis, ballivo Nyvellensi, sculteto Antwerpiensi, ac demum ceteris nostris et imperii fidelibus, ad quos presentes litere devenerint, committimus et seriose mandamus, quatenus, si qui tales homines, cujuscumque preeminencie, gradus seu condicionis existant, qui presentis litere exemptionis et liberacionis indultum supradictis graciis, aut earum alteri, derogare presumerent, et nostrum mandatum contumaciter preterire in dominiis, terris et provinciis vobis aut alteri vestrum mediate vel immediate subjectis, seu ad vestram jurisdictionem, judicia vel officia et quamvis aliam dispositionem spectantibus, comperti fuerint et notorie deprehensi, ac de mandati contemptu et excessu patrato jure convicti, eosdem animadversione condigna juxta penas superius expressas auctoritate regia (quam vobis ac vestrum cuilibet in solidum ad hoc exequendum plene committimus) bannire, proscribere, juribus, honoribus, statu, gradibus et fama privare ac destituere, et penis ceteris afficere et corrigere debeatis, a quolibet contravenientium centum marchas auri puri virtute presentium repetentes, nostris, ut predictum est, et injuriam

passorum usibus applicandas, presentium sub nostre majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Trajecti supra Mosam, anno M° CCC° XLIX°, indictione secunda, kalendis martii, regnorum nostrorum anno tercio. »

De inquisitione fienda super attentatis, cujus tenor sequitur in hec verba et est talis :

» Karolus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, venerabilibus Boëmundo archiepiscopo Trevirensi, patruo, ac Cameranensi et Virdunensi episcopis, nostris et sacri imperii principibus dilectis graciam regiam cum plenitudine omnis boni. Ad hec inter cetera superne dispositionis provisio (ut tenemus) nostre serenitatis personam, licet immeritam, in Romanorum regie dignitatis solio magnifice collocavit, ut throno justicie presidentes quibuslibet passis injuriam, sine personarum exceptione, copiam justicie ministremus. Sane illustris Johannis ducis Brabancie, consanguinei et principis nostri dilecti, gravem recepimus querimoniam, continentem quod venerabilis episcopus Leodiensis, consanguineus et princeps noster dilectus, homines ipsius ducis ad duellum seu judicium pacis coram ipso duellique pace prefatorum judicibus ad instanciam injustam diversorum conquerentium provocat, et facit contra jus et justiciam conveniri, asserens se in hujusmodi pacis exercicio et judicio regia seu imperiali auctoritate fulciri, et hujusmodi predictorum grave prejudicium, ut asserit, et jacturam, nostre celsitudini humiliter supplicantes ut sibi de opportuno providere remedio dignaremur. Nos vero, jus et justiciam unicuique servare et tribuere summopere cupientes, vobis et vestrum cuilibet in solidum, de quorum fidelitate et industria fiduciam gerimus in Domino pleniorem, committimus et mandamus, quatenus episcopo et judicibus prefatis ceterisque vocatis, qui merito super hiis fuerunt evocandi, auditisque partium rationibus, inter ipsas partes faciatis in premissis celeris justicie complementum, taliter quod prompta et fidelis obediencia nostri culminis in conspectu vos commendabiles merito reputet, ipseque dux ad nostre majestatis pretorium amplius de cetero non redeat querelosus, faciensque super hiis decrementum penis debitis vallari, et auctoritate nostra regia firmiter observari, universis et singulis nostris fidelibus et subditis dantes per sacros apices in mandatis, quatenus vobis et unicuilibet in premissis pareant efficaciter et intendant, in quantum nostre indignationis aculeum desiderant evitare. In quorum omnium

(margin: 1350)

testimonium presentes fieri jussimus literas, et sigilli nostre majestatis appensione muniri. Datum Aquisgrani, VIII° kalendas augusti, anno Domini M°CCC° XLIX°, regnorum nostrorum, Romani videlicet anno IIII°, et Bohemie anno tercio. »

Imperator cassat attemptata contra privilegia suprascripta, que quidem attemptata nullius fore momenti declarat, prout in ipsius litera sub forma verborum sequentium :

1355 « Karolus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, notum facimus universis, quod, licet alias illustri Johanni duci Brabancie, principi et consanguineo nostro karissimo, ex speciali privilegio a nostre benignitatis clemencia sit indultum, quod nullus judicum, cujuscumque dignitatis, status aut condicionis, ecclesiastici aut secularis, fuerit, in quibuscumque causis civilibus, criminalibus, et realibus aut personalibus, aliquam jurisdictionem in officiatos, servitores ac subditos ducis predicti per sentencias diffinitivas aut interlocutorias, in prejudicium dicti nostri privilegii audeat quomodolibet exercere, nisi primitus evidenti testimonio probetur, quod a duce aut ejus judicibus, justicie reddende presidentibus, petenti aut petentibus super actione aut actionibus, quam seu quas intentare seu intentasse noscuntur, justicia fuerit denegata, nichilominus venerabilis Engelbertus Leodiensis episcopus, princeps et consanguineus noster dilectus, officiatos, servitores et subditos ducis predicti, nobiles et ignobiles, Leodiensis diocesis, ad instanciam conquerencium, quibus ipse dux et ejus judices in suis actionibus et querelis, dum peterent, justicie facerent complementum, proscribere, bannire, honoribus privare, et ad duellum vocare, in contemptum dicti nostri privilegii, ut audivimus, non formidat. Cum igitur nostra privilegia firma et inconvulsa observari volumus, omnes et singulas proscriptiones, honoris privationes, et ad duellum vocationes contra formam privilegii nostri prefacti, ut prefertur, per quoscumque judices factas aut faciendas, sicuti de facto processerunt et procedent, cassamus, irritamus et nullius fore momenti penitus declaramus, et taliter proscriptos, bannitos, et honore privatos, non re sed nomine dumtaxat, ad honores quoslibet, sicut prius, in judicio et extra, omnimode fore decernimus admittendos, proscriptionibus, bannis et privationibus predictis non obstantibus quomodolibet in hac parte, presentium sub nostre majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Tullis

anno Domini M° CCC° LV°, secundo nonas aprilis, regnorum nostrorum anno VIII°. »

Item est sciendum quod Sigismundus imperator Romanorum, ipso Romanorum rege existente, supradicti Caroli quarti genitoris sui literas patrie Brabancie confirmavit, prout inferius patebit. Consimiliter Fredericus Romanorum rex tercius predictas literas eciam confirmavit, prout inferius eciam patebit.

Karolus quartus rex revocat quandam monitionem per ipsum factam abbatisse Nyvellensi, quod infra certum tempus regalia ab ipso susciperet; et declarat jura regalium spectare ad ducem Brabancie, prout patet in litera tenoris sequentis[1]. Cap. CLXXXI.

« Karolus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie 1354
rex, venerabili abbatisse secularis monasterii Nyvellensis, devote nostre, graciam regiam et omne bonum. Licet alias, estimantes te et monasterium tuum Nyvellense in temporalibus Romano imperio, cujus presidemus regnum, immediate subesse, et quod tua regalia a nobis dumtaxat et non ab alio suscipere tenearis, devotionem tuam monuerimus, et per regalia scripta injunxerimus tibi, ut infra certum tempus tibi prefixum ad nostram majestatem veniens, regalia predicta susciperes, faciendo nobis honores debitos, qui divis Romanorum regibus predecessoribus nostris ab aliis que te precesserunt abbatissis Nyvellensibus, et eciam fieri a te consuevissent; quia tamen postmodum de juribus illustris Johannis ducis Brabancie, principis et consanguinei nostri karissimi, que sibi circiter predictum monasterium Nyvellense abbatissasque ejusdem competunt, informatione sufficienter recepta, et luculenter edocti qualiter tu et quelibet abbatissa predicti monasterii regalia et quevis temporalia ab eodem duce Brabancie, herede vel successore ipsius, tanquam a tuo vero et ordinario domino suscipere tenearis, ipsum in suis juribus predictis volumus, et non immerito, generosius conservare. Eapropter literas monitionis super susceptione regalium tibi facte, sub quacumque forma verborum

[1] Exstat apud Butkens, t. I *Preuv.* p. 185.

conceptas, in omnibus suis punctis et clausulis, de verbo ad verbum. prout scripte sunt, cassamus, annulamus, et presentium tenore, de regie potestatis plenitudine, nobis veluti Romanorum regi ex sacro Romano imperio competenti, de certa nostra sciencia revocamus, decernentes et auctoritate regia declarantes, quod pretextu monitionis ejusdem in prefixo tibi termino comparere non debeas, nec ad aliquos actus in eadem monitione contentos exequendos aut effectu mancipandos quomodolibet tenearis, te cum susceptione regalium predictorum, et illo respectu quem ad imperium te putabamus habere, ad supradictum ducem Brabancie, principem et consanguineum nostrum dilectum, tanquam ad verum et ordinarium tuum dominum, cui in temporalibus subjecta fore dignosceris, presentibus ostendentes. In cujus rei testimonium presentes literas scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri. Datum in Wustherck, anno Domini M° CCC° XLIX°, indictione secunda, III° kalendas martii, regnorum nostrorum anno III°. »

Karolus rex mandat abbatisse et conventui Nyvellensi, quandocumque novam abbatissam assumi contingerit, quod illa debeat universa feuda et temporalitates suscipere a duce Brabancie, prout patet in litera cujus tenor sequitur valde notanter in hunc modum. Cap. CLXXXII.

1351. « Karolus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, religiosis abbatisse et conventui sanctimonialium monasterii Nyvellensis, Leodiensis diocesis, devotis nostris dilectis, graciam regiam et omne bonum. Pridem de tenoribus privilegiorum, juribus et immunitatibus illustris Johannis Brabancie, Lotharingie et Lymburgis ducis, consanguinei et principis nostri karissimi, informatione sufficienti recepta, sibi inter cetera susceptionem feudorum et temporalitatum monasterii Nyvellensis, ut videlicet abbatissa Nyvellensis, dum et quociens electa sive instituta fuerit, feuda et temporalitates hujusmodi a prefato nostro principe et consanguineo, heredibus et successoribus suis, Brabancie ducibus, in perpetuum petere et suscipere debeat, et consuetis ceremoniis sive observanciis ipsis prestare et facere homagii, fidelitatis et obediencie juramenta, de regie nostre celsitudinis gracia meminerimus confirmasse, sicut in literis nostris

regalibus credimus utique et scimus luculentius contineri. Idcirco devotioni vestre precipimus et mandamus, hoc precise et seriose volentes, quatenus ad hoc tota mentis sollicitudine debeatis inniti, quod quelibet abbatissa recenter electa, seu quociens in futurum quomodocumque contigerit eligi, seu conferente se casu institui, universa feuda et temporalitates predicti monasterii Nyvellensis cum solempnitate consueta a prefato duce Brabancie, heredibus et successoribus suis in perpetuum sine quavis contradictione, difficultate seu repugnancia suscipere debeatis, presentium sub appenso sigillo testimonio literarum. Datum in Biela, anno Domini M° CCC° LI°, indictione IIII°, III° kalendas martii, regnorum nostrorum anno quinto[1].»

Karolus rex mandat canonicabus et capitulo Nyvellensi, ut Mechtildi de Leuwenborch abbatisse, que a duce Brabancie regalia suscepit, obediant[2]. Cap. CLXXXIII.

« Karolus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, venerabilibus canonicabus et capitulo monasterii Sancte Ghertrudis Nyvellensis, Leodiensis diocesis, nostris devotis dilectis, graciam regiam et omne bonum. Quia felicis recordationis serenissimi predecessores nostri, Romanorum imperatores et reges, illustri Johanni Brabancie duci, principi et consanguineo nostro karissimo, ex speciali gracia concesserunt, ut quecumque abbatissa, dum et quociens in monasterio Nyvellensi electa seu instituta fuerit, feuda et temporalia monasterii Nyvellensis a prefato duce petere et suscipere debeat, et consuetis solempnitatibus et observanciis sibi prestare et facere homagii, fidelitatis et obediencie juramenta, quocirca devotioni vestre attento studio precipimus seriose, ut Mechtildi de Leuwenberch, dicti monasterii abbatisse, que temporalia dicti monasterii a duce prefato, juxta formam gracie ei a nostra clemencia benevole concesse, humiliter, ut tenebatur, suscepit, tanquam vere abbatisse, que duci prefato 1354

[1] Similes literae exstant apud Butkens, t. I, *Preuv.* p. 186, sed cum hac subscriptione: *Datum in Wustherck anno Domini M CCC XLIX, indictione secunda, tertio kalendas martii, regnorum nostrorum anno tertio.*

[2] Vid. Butkens, *loc. cit.* p. 188, ubi exstant literae datae Wratislaviae die 27 novembris 1351.

debitum suum impendit, obediatis et fideliter pareatis, eidem obedienciam et reverenciam debitam, si nostram indignationem evitare volueritis, honorifice facientes. Volentes nihilominus ut dicto duci vestris literis sigillatis traditisque Mechtildi, temporalia monasterii vestri a duce prefato suscipientes juxta mentem concessionum predecessorum nostrorum, Romanorum imperatorum et regum, a nobis eciam confirmatarum, fecerat quod debebat[1]; inhibentes nihilominus vobis districte, ne pro premissis intimandis nostram celsitudinem in antea quomodolibet adeatis. Datum in Ponte Moncionis anno Domini M° CCC° LIIII°, die V^a^ aprilis, regnorum nostrorum anno VIII°. »

Copia confirmatoria cujusdam litere Karoli Romanorum et Bohemie regis, per quam confirmat Johanni duci Brabancie et Lymburgis, heredibus et hominibus suis, privilegium Alberti Romanorum regis in sua litera incorporatum, quod facit specialiter mentionem de abbatia Nyvellensi, civitate et ecclesia Sancti Servacii Trajectensis, et de successione filiarum. Cap. CLXXXIV.

1349. « Karolus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, notum facimus universis, quod pro parte illustris Johannis, Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducis, sacrique imperii marchionis, principis et consanguinei nostri karissimi, serenitati nostre oblata peticio continebat, quatenus sibi quandam literam celebris memorie quondam domini Alberti Romanorum regis, predecessoris nostri, confirmare, approbare et ratificare de benignitate regia dignaremur, cujus tenor per omnia sequitur in hec verba :

» Albertus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus, universis sacri Romani imperii fidelibus graciam suam et omne bonum. Cum omnis gloria sive potentia principatus in subditorum consistat precipue solidata fortunis, decet et expedit ut quilibet, in quacumque preeminentia constitutus, sit subjectis in gracia liberalis. Tunc enim regalis dignitas vere laudis titulis sublimatur et eminenti decore prefulget, cum fidelium prin-

[1] Quaedam hic deesse videntur.

cipum suorum devotionem clementer attendens eis de sua liberalitate innovat et confirmat, que a suis sibi predecessoribus sunt collata, eo quod non minus observandis beneficiis quam elargiendis laus regie dignitatis accrescit. Quapropter nosce volumus universos, tam posteros quam presentes, quod nos, sincere devotionis fideique constanciam, quam illustris princeps noster Johannes, Dei gracia dux Lotharingie, Brabancie et Lymburgis, ad celsitudinem nostram habere dinoscitur, attendentes, considerantes eciam placida, fructuosa et grata servicia que per eum in posterum nobis poterunt exhiberi, universa feuda, jura, libertates, concessiones, collationes et sentencias a divis imperatoribus et regibus Romanorum nostris predecessoribus, Philippo videlicet secundo, Frederico, Heinrico, Rodulpho, nostro patre, et Adolpho, ejusdem ducis progenitoribus ac hominibus eorundem, factas, concessas et latas, prout rite et provide facte, concesse et late noscuntur, et specialiter gracias et concessiones ac collaciones de abbacia Nyvellensi, civitate et ecclesia beati Servacii Trajectensis, cum omnibus appendiciis, honoribus, juribus et justiciis, extra civitatem et intra, de comitatu de Dagispurgo, de LX karratis vini, de successione filiarum suarum in feudis libera, si heredem masculum non habuerit, de sentencia lata apud Franckenvorde et a principibus approbata, quod de universis bonis que de suo ducatu moventur omnium heredum mortuis parentibus tutor habeatur, et aliis quibuscunque, predicto duci, heredibus ac hominibus suis concessis, auctoritate regalis culminis approbamus, innovamus, confirmamus et hujus scripti patrocinio communimus. Nulli ergo homini liceat hanc paginam nostre approbationis, innovationis ac confirmationis infringere, vel eidem in aliquo ausu temerario contraire: quod si quis forsan attempture presumpserit, gravem nostre indignationis offensam se noverit incursurum. In quorum omnium testimonium et evidenciam premissorum presens scriptum exinde conscribi et majestatis nostre sigillo communiri (*fecimus*). Datum Colonie anno Domini M° CC° XCVIII°, quinto ydus septembris, indictione XI^a, regni nostri anno primo.

» Nos itaque, prefati ducis in hac parte supplicationi inclinati, presertim cum juste petentibus non sit denegandus assensus, prefatam literam privilegialem, in omnibus et singulis tenoribus, sentenciis et clausulis contentis in ea, prout de verbo ad verbum presentibus est inserta, approbamus et ratificamus, et de innata nobis clemencia, auctoritate regia, presentis

scripti patrocinio, ex certa sciencia confirmamus, inhibentes firmiter et districte omnibus et singulis nostris et sacri imperii fidelibus, ne prefatum ducem ac suos heredes, contra tenorem dicti privilegii, per nos, ut premittitur, informati, per se vel per alios sub obtentu nostre gracie nullatenus impediant vel molestent, sub pena nostre indignationis, quam, si secus attemptare presumpserint, se cognoverint graviter incurrisse, presentium sub nostre majestatis sigillo literarum testimonio. Datum Aquisgrani, anno Domini M° CCC° XLIX°, indictione secunda, VIII° kalendas augusti, regnorum nostrorum, Romanorum anno IIII°, Bohemie vero III°. Per dominum cancellarium — Jo. Momforen. »

Tenor confirmatorie Karoli Romanorum et Bohemie regis, per quam confirmat Johanni Lotharingie, Brabancie et Lymburgis duci quandam literam confirmationis Heinrici Romanorum regis, avi sui, super privilegio Philippi secundi, Heinrico quondam Lotharingie et Brabancie duci et suis successoribus concesso; et sunt ambe litere in dicta litera confirmatoria inserte, ut sequitur de verbo ad verbum. Cap. CLXXXV.

1349 « Karolus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex. Notum facimus universis, quod pro parte illustris Johannis Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducis, sacrique imperii marchionis, principis et consanguinei nostri karissimi, serenitati nostre oblata peticio continebat, quatenus sibi quandam literam celebris memorie quondam divi Heinrici Romanorum regis, avi et predecessoris nostri karissimi, approbare, ratificare et confirmare de benignitate regia dignaremur, cujus tenor sequitur in hec verba et est talis :

» Heinricus Romanorum rex semper Augustus, universis sacri imperii Romani fidelibus, ad quos presentes litere pervenerint, tam presentibus quam futuris, graciam suam et omne bonum. Dive memorie Philippus secundus, Romanorum rex semper Augustus, illustri principi Heinrico quondam Lotharingie et Brabancie duci et suis successoribus concessionem, donacionem et infeudacionem fecit, prout in literis super hoc confectis expressius continetur, quas literas et confirmationes earum a predecessoribus nostris, imperatoribus et regibus Romanorum, concessas tenuimus,

vidimus et audivimus, et easdem per honorabiles viros Everhardum cantorem ecclesie Maguntinensis cancellarium, et magistrum Symonem de Marvilla clericos nostros, inspici et examinari et de eis cognosci fecimus diligenter, quarum tenor talis est :

» In nomine sancte et individue Trinitatis. Philippus secundus divina favente clemencia Romanorum rex[1], etc.

» Quia igitur Romanorum principis decet clemenciam, ea, que a suis predecessoribus[2], etc.

» Nos itaque, predicti ducis supplicationibus in hac parte favorabiliter inclinati, presertim cum justa petentibus non sit denegandus assensus, prefatam literam sive privilegium, in omnibus et singulis tenoribus suis et clausulis in ea contentis, prout de verbo ad verbum presentibus est insertum, approbamus, ratificamus, et de innata nobis clemencia, auctoritate regia, presentis scripti patrocinio ex certa sciencia confirmamus, inhibentes firmiter et districte omnibus et singulis nostris et sacri imperii fidelibus, ne prefatum ducem aut suos heredes, contra tenorem predicti privilegii per nos, ut premittitur, confirmati, per alios sub obtentu nostre gracie nullatenus impediant vel molestent, sub pena nostre indignationis, quam qui secus attemptare presumpserit, se cognoscat graviter incurrisse, presentium sub nostre majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Aquisgrani, anno Domini M° CCC° XLIX°, indictione II^a^, VIII° kalendas augusti, regnorum nostrorum, Romanorum anno IIII°, Bohemie vero III°. »

Karolus rex confirmat Johanni duci Brabancie quandam literam Heinrici Romanorum regis, avi sui, prout patet per literam suam tenoris sequentis. Cap. CLXXXVI.

« Karolus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie 1349
rex. Notum facimus universis, quod pro parte illustris Johannis Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducis, sacrique imperii marchionis, principis et consanguinei nostri karissimi, serenitati nostre oblata peticio

[1] Vide Philippi II literas anni 1204 supra p. 141.

[2] Henrici Romanorum regis literas anni 1309 vide supra p. 482.

continebat, quatenus sibi quandam literam celebris memorie quondam divi Heinrici Romanorum regis, avi et predecessoris nostri karissimi, approbare, ratificare et confirmare de benignitate regia dignaremur. cujus tenor sequitur in hec verba :

» Heinricus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus, illustri Johanni duci Brabancie, fratri et principi suo karissimo, graciam suam et omne bonum. Nuper ad nostre celsitudinis pervenit audienciam quod per te seu progenitores vel antecessores tuos forum salis et piscium, quod in Antwerpia fore consuevit [1], etc.

» Nos itaque, prefati ducis in hac parte supplicationibus favorabiliter inclinati, presertim cum justa petentibus non sit denegandus assensus, presentem literam seu privilegium, in omnibus et singulis tenoribus suis et clausulis in ea contentis, prout de verbo ad verbum presentibus est inserta, approbamus, ratificamus, et de innata nobis clemencia, auctoritate regia, presentis scripti patrocinio, ex certa sciencia confirmamus, inhibentes firmiter et districte omnibus et singulis nostris et sacri Romani imperii fidelibus, ne prefatum ducem ac suos heredes contra tenorem predicti privilegii, per nos, ut pr mittitur, confirmati, per se vel alios sub obtentu nostre gracie ullatenus impediant vel molestent, sub pena nostre indignationis, quam qui secus attentare presumpserit, se cognoscat graviter incurrisse, presentium sub nostre majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Aquisgrani, anno Domini M° CCC° XLIX°, indictione II[a], VIII° kalendas augusti, regnorum nostrorum, Romanorum anno IIII°, Bohemie vero III°. et sic signate per dominum cancellarium. — Johannes Momforen. »

De confirmatione dicti Karoli regis de quadam litera Frederici I[i] Romanorum regis in sua litera incorporata de collatione oppidi Trajectensis, cujus tenor sequitur. Cap. CLXXXVII.

1349 « Karolus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex. Notum facimus universis, quod pro parte illustris Johannis Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducis, sacrique imperii marchionis, principis et

[1] Vide supra p. 484.

consanguinei nostri karissimi, serenitati nostre oblata petitio continebat, quatenus sibi quandam literam celebris memorie quondam Frederici imperatoris secundi, predecessoris nostri, confirmare, approbare et ratificare de benignitate regia dignaremur, cujus tenor per omnia sequitur in hec verba :

» Fredericus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Sicilie rex. Universis hanc paginam intuentibus in perpetuum. Notum fieri vobis volumus, quod Heinrico duci Lotharingie, fideli principi nostro, et Heinrico ejus filio, pro obsequiis nobis et imperio impensis, consensu principum nostrorum et in presencia eorum, contulimus in feudum Trajectum cum villis et rebus omnibus ad Trajectum attinentibus [1], etc.

» Nos itaque, prefati ducis in hac parte supplicationibus inclinati, presertim cum justa petentibus non sit denegandus assensus, prefatam literam seu privilegium, in omnibus et singulis tenoribus, sentenciis et clausulis contentis in eo, prout de verbo ad verbum presentibus est insertum, approbamus, ratificamus, et de innata nobis clemencia, auctoritate regia, presentis scripti patrocinio, ex certa sciencia confirmamus, inhibentes firmiter et districte omnibus et singulis nostris et sacri imperii fidelibus, ne prefatum ducem aut suos heredes contra tenorem dicti privilegii, per nos, ut premittitur, confirmati, per se vel alios sub obtentu nostre gracie, ullatenus impediant vel molestent, sub pena nostre indignationis, quam qui secus attentare presumpserit, se agnoscat graviter incurrisse, presentium sub nostre majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Aquisgrani, anno Domini M° CCC° XLIX°, indictione II[a], VIII° kalendas augusti, regnorum nostrorum, Romanorum anno IIII°, Bohemie vero III°. »

Karolus rex confirmat illis de Buscoducis privilegium Heinrici VI Romanorum imperatoris in sua litera incorporatum, cujus tenor talis est. Cap. CLXXXVIII.

« Karolus, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie 1349.
rex. Notum facimus universis, quod pro parte illustris principis Johannis

[1] Vide supra p. 160.

Lotharingie, Brabancie et Lymburgis ducis, sacrique imperii marchionis. principis et consanguinei nostri karissimi, serenitati nostre oblata petitio continebat. quatenus sibi quandam literam celebris memorie quondam domini Heinrici imperatoris VI[i] predecessoris nostri, confirmare, approbare et ratificare de benignitate regia dignaremur, cujus tenor per omnia sequitur in hec verba et est talis :

» In nomine sancte et individue Trinitatis. Heinricus sextus. divina favente clemencia Romanorum imperator semper Augustus[1], etc.

» Nos itaque, prefati ducis in hac parte supplicationibus inclinati, presertim cum justa petentibus non sit denegandus assensus, prefatam literam seu privilegium, in omnibus et singulis tenoribus, sentenciis et clausulis contentis in eo, prout de verbo ad verbum presentibus est insertum. approbamus, ratificamus et de innata nobis clemencia. auctoritate regia. presentis scripti patrocinio, ex certa sciencia confirmamus. inhibentes firmiter et districte omnibus et singulis nostris et sacri imperii fidelibus. ne prefatum ducem aut suos heredes contra tenorem predicti privilegii, per nos, ut premittitur, confirmati, per se vel alios. sub obtentu nostre gratie. ullatenus impediant vel molestent, sub pena nostre indignationis. quam. si secus attentare quis presumpserit, se cognoverit graviter incurrisse. presentium sub nostre majestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Aquisgrani, anno Domini M° CCC° XLIX°, indictione II[a]. VIII° kalendas augusti. regnorum nostrorum. Romanorum, anno IIII°, Bohemie vero III°. »

De obitu Walrami archiepiscopi Coloniensis. Cap. CLXXXIX.

1349. Anno Domini M° CCC° XLIX°, in vigilia assumptionis beate Marie Virginis, obiit Parisiis Walramus archiepiscopus Coloniensis, frater marchionis Juliacensis, et Colonie sepelitur. Cui successit Wilhelmus de Genepe, prepositus Sosaciensis et thesaurarius Coloniensis. qui anno Domini M° CCC° LIII°, die beati Gereonis, primo intravit in ipsam civitatem Coloniensem.

[1] Vide supra p. 123 et 124

Qualiter marchio Juliacensis a filiis suis capitur. CAP. CXC.

Anno predicto M° CCC° XLIX°, in vigilia beati Matthei apostoli, Wilhel- 1349
mus marchio Juliacensis a filiis suis in Molenarke capitur, et Keyserwerde XIX mensibus custodie mancipatur. Anno predicto facta est mortalitas generalis, que duravit per totum annum, tam apud christianos quam apud Saracenos. Eodem anno Judei interficiuntur.

De morte Johannis domini de Valkenborch. CAP. CXCI.

Anno Domini M° CCC° LII°, in crastino beati Laurencii, obiit dominus 1352
Johannes de Valkenborch sine herede masculino, et Rykesterme sepelitur. Eodem anno, circa festum sancti Gereonis, dominus Heinricus de Flandria miles domicellam Philippam de Valkenborch, sororem seniorem predicti domini Johannis de Valkenborch, recepit in uxorem.

Qualiter ad humilem supplicationem Karoli Romanorum et Bohemie regis Innocencius papa VI^us statuit in Alemanie partibus festum de Lancea et Clavis perpetuo celebrari, et largitus fuit magnas indulgencias ad hoc divinis officiis interessentibus : cujus festivitatis officium desuper ordinatum sequitur sub forma sequenti[1]. CAP. CXCII.

. . . .

Anno Domini M° CCC° LIII°, in vigilia nativitatis Christi, obiit dominus 1353.
Heinricus de Vernenborch archiepiscopus Maguntinensis : cui successit Gerlacus filius comitis de Nassou.

Anno Domini M° CCC° LIIII°, in die beate Agnetis, obiit Galdewinus 1354
archiepiscopus Treverensis, cui successit Boemundus de Sarbrucke. Iste humiliavit Johannem comitem de Spaenhem, alias de Sterkenberch.

[1] Prolixum hujus capituli initium, quod in MS. Corsendoncano legitur, integrum nimirum festivitatis illius officium ecclesiasticum, praetermitti posse arbitror.

Qualiter Wenceslaus de Bohemia comes Lucemburgensis, frater Karoli Romanorum et Bohemie regis, per eundem regem in ducem, et comitatus ejus in ducatum eriguntur, prout in litera predicti regis, cujus tenor sequitur de verbo ad verbum, et est talis. CAP. CXCIII.

1354. « KAROLUS, Dei gracia Romanorum rex semper Augustus et Bohemie rex, illustri Wenceslao duci Lucemburgensi, fratri et principi nostro karissimo, graciam regiam et omne bonum. Sceptrigera cesaree dignitatis sublimitas, sicut inferioribus potestatibus officii et auctoritatis elacione prefertur, ut commissos sibi fideles optate gubernet consolationis presidio, quod thronus regius tanto solidetur felicius et uberiori prosperitate proficiat, quanto in deficientis sue virtutis donaria largioris benignitatis munere fundit in subjectos, sic a choruscante splendore regalis solii nobilitates alie, velut a sole radii prodeuntes, fidelium status et conditiones illustrant, quod prime lucis integritas memorati luminis detrimenta non patitur, ymmo amplioris utique scintillantis jubaris exspectato decore profunditur, dum in circuitu sedis auguste illustrium principum numerus ad imperii sacri decorem similiter adaugetur. Sane attendentes multiplicia merita probitatis et preclare devotionis insignia, quibus tu et clare memorie progenitores tui domus Luxemburgensis sacrum Romanum imperium dignis quidem studuistis honoribus venerari, illum eciam secundum tue mentis amorem, quo ad imperii procurandos honores inclinaris, attentius regie considerationis intuitu limpidius intuentes, animo deliberato, sano, eciam venerabilium Wilhelmi Coloniensis, Gerlaci Moguntinensis archiepiscoporum, illustris Ruperti comitis palatini Reni, sacri Romani imperii principum electorum, venerabilium quoque Engelberti Leodiensis, Ademari Metensis, Johannis Olomucensis ecclesiarum antistitum, illustrissimi eciam Wilhelmi marchionis Juliacensis, Vladislai ducis Thessinensis et aliorum quorumdam principum, baronum et procerum imperii predicti accedente consilio, te, frater karissime, non carnalitatis affectu, sed origine tue nobilitatis poscente, presertim cum hoc latitudo tui dominii ampla subjecte tibi devotionis spacia et intemerata fides tue universitatis et populi, quo vetusto jam tempore sacrum honorarunt imperium, non immerito requirebant, hodie in nomine Domini et Salvatoris nostri, a quo

omnis principatus et honor provenire cognoscitur. illustravimus ac illustramus, et in verum principem ac ducem Lucemburgensem sublimavimus. ereximus, decoramus et erigimus, de Romanorum regis plenitudine potestatis. decernendo expresse quod tu, heredes et successores tui. duces Lucemburgenses, perpetuo omni dignitate, nobilitate. jure. potestate et libertate, honore et consuetudine gaudere debeatis et frui continuo. quibus alii sacri imperii principes. et nominatim duces illustres. freti sunt hactenus et continuo potiuntur.

» Terras quoque tuas, oppida. castra. munitiones. villas. provincias, districtus, montes, colles, valles et plana. cum omnibus silvis, rubetis, pratis. aquis. molendinis aquarumve decursibus, pascuis, piscinis. piscaturis. theoloneis, judeis, monetis, judiciis. bannis sive inhabitationibus venacionum, que vulgari theutonico *wiltpenne* nominantur, et penis inde sequentibus de consuetudine vel de jure baronibus, baroniis. feudis. feudatariis. vasallis, vasallagiis. militibus. clientibus, judicibus. civibus. nobilibus. plebeiis, rusticis et agricolis. pauperibus et divitibus. et omnibus eorum pertinenciis, sicut predicta et eorum quodlibet latitudo dominii comprehendit, in verum principatum et ducatum Lucemburgensem ereximus et erigimus, ac insigniis de predicte regie potestatis plenitudine decoravimus. tibi illustri Wenceslao duci Lucemburgensi predicto ducatum sive principatum hujusmodi cum omnibus honoribus. nobilitatibus. juribus. privilegiis et immunitatibus, quemadmodum ducatus seu principatus insignes ab illustribus sacrosancti Romani imperii principibus possidentur. vel teneri seu possideri consueverunt hactenus, tibi, in quantum a sacro Romano imperio in feudum dependent, de benignitate regia conferentes.

» Decernimus eciam et hac edictali constitutione sancimus quod tu. heredes et successores tui perpetuo duces Lucemburgenses nominari et appellari debeatis in antea, et tanquam ceteri sacri imperii duces et principes teneri. honorari. et ubique ab omnibus reputari. omnique jure. privilegio. honore. gracia. dignitate et immunitate absque impedimento perfrui. quibus alii sacrosancti imperii duces et principes in dandis seu recipiendis juribus, in conferendis vel suscipiendis feudis, et in omnibus aliis illustrem conditionem et statum ducum seu principum concernentibus freti sunt hactenus, seu quomodolibet potiuntur.

» Et, ut ducatus et principatus Lucemburgensis solido fundamento fir-

metur, et tanto se Romano imperio magis obligatum conspiciat, quanto ampliori fuerit regie liberalitatis munere decoratus, te, heredes et successores tuos duces Lymburgenses perpetuo infra te. claro quidem officio gratiosius insignivimus, ut quociens nos aut successores nostros Romanorum imperatores sive reges, ad reprimendum rebellium nostrorum superbiam, seu imperii procurandos honores, armatos continget incedere, tu, heredes et successores tui duces Lymburgenses, qui pro tempore fuerint, frenum imperialis seu regalis dextrarii nostri a latere dextro gubernare et prospicere debite fidei diligentia debeatis, et in recubitu mense nostre cibos regios, qui in solempnibus curiis nostris administrati fuerint, coram nobis incidere, ut sic tamquam principes et fideles imperii, guerrarum et pacis in tempore, nostri curam et custodiam habeatis: et quia tu, frater karissime, tanquam dux Lucemburgensis, sacri imperii vasallus et princeps, dum eundem tuum principatum seu ducatum Lucemburgensem a regia majestate in feudum suscipiens, nobis velut Romano regi ac vero tuo domino fidelitatis, obediencie et subjectionis debite juramenta solita prestitisti, quodque in principatu seu ducatu tuo predicto pacem et justiciam omnibus et singulis, eque pauperibus ut divitibus, procurare velis et debeas, efficaciter et fideliter, juxta posse, decernimus; et hoc edicto regali duximus perpetuo statuendum, quod tu, heredes et successores tui duces Luxemburgenses ducatum sive principatum Luxemburgensem predictum, cum omnibus suis pertinenciis, sicut expressatur superius, a nobis, necnon a serenissimis imperatoribus seu regibus Romanorum, successoribus nostris, et ab ipso Romano imperio, quocienscumque opportunum fuerit, debite solempnitatis honore et vexillis, ut moris est, et solita reverentia suscipere debeatis, nobisque ac eisdem successoribus nostris in casibus premissis, velut alii imperiales duces et principes, prestare et facere fidelitatis, homagii, obediencie et subjectionis debita corporalia juramenta.

» Nulli ergo hominum liceat hanc rem illustrationis, erectionis, insignitionis, decorationis et collationis paginam infringere, seu ei ausu quovis temerario contraire, sub pena mille marcharum puri auri, quas ab eo qui contravenire presumpserit, irremissibiliter exigi volumus, et earum medietatem nostre regalis curie fisco, residuam vero partem injuriam passorum usibus applicari, presentium sub nostre majestatis sigillo aureo testimonio

literarum. Datum Metis, per manus venerabilis Johannis Luthomischlensis episcopi, aule nostre regalis cancellarii, vice venerabilis Gerlaci Moguntinensis archiepiscopi, sacri imperii per Germaniam archicancellarii. qui, vacante sede Trevirensi, cujus in civitate Metensi predicta interesse videtur presentia, specialiter habuit in commisso. anno Domini M° CCC° L° IIII°. indictione VII°. tertio ydus marcii. regnorum nostrorum anno octavo. »

Item eisdem anno, loco, mense et die dictus Karolus Romanorum et Bohemie rex erexit comitem Barrensem in marchionem. et ejus comitatum in marchionatum.

De partificatione, quam Johannes tercius dux Brabancie post obitum filiorum suorum sine liberis fecit, inter tres filias suas, quam Carolus Romanorum et Bohemie rex confirmavit. Cap. CXCIV.

Anno Domini M° CCC° LIIII°. die mercurii ante festum Palmarum. in civitate Tullensi, ad instanciam supradicti Johannis Brabancie ducis. memoratus Karolus Romanorum et Bohemie rex per suas certi tenoris literas confirmavit partificationem quam prefatus dux fecerat inter filias suas. videlicet quod post ejus decessum domina Johanna, senior filia sua. haberet omnes suas patrias atque terras: domina vero Margareta comitissa Flandrie, uxor Ludovici comitis. haberet centum et viginti millia scutorum antiquorum: et Maria ducissa Gelrie, uxor ducis Reynaldi, haberet octoginta millia scutorum antiquorum, prout in eisdem literis plenius continetur, que fuerunt date Tullis, anno. die, et mense suprascriptis.

Anno Domini M° CCC° LIIII°, feria sexta ante festum Palmarum prescriptum, dominus Reynaldus dominus de Schoenvorst factus est dominus de Valkenborch in civitate Tullensi.

Anno predicto M° CCC° LIIII°. feria sexta ante festum Pentecostes. obsessum fuit castrum de Grypichoven per archiepiscopum Coloniensem. ducem Brabancie, marchionem Juliacensem, comitem Lossensem, dominum de Valkenborch et prepositum Coloniensem et Aquensem. et postmodum funditus destructum.

Similiter eodem anno. circa festum beate Marie Magdalene. destructum

est castrum Hoenborch per archiepiscopum Coloniensem et marchionem Juliacensem; necnon castrum dictum Emke et castrum dictum Barmen per predictum dominum marchionem Juliacensem.

Qualiter Karolus Romanorum rex coronatur in imperatorem. Cap. CXCV.

1355 Anno Domini M° CCC° LV°. in festo Passche. Karolus Romanorum et Bohemie rex coronatus est Rome in imperatorem per duos cardinales, quos Innocentius papa sextus ad hoc duxerat committendos. videlicet Ostiensem, qui missus fuerat de curia Romana. et cardinalem de Hispania. in illis partibus tunc legatum.

Hic Karolus, dum fuit in via versus Urbem, intravit civitatem Senensem, et ibi per plura tempora perseveravit. et emuli sui disposuerunt quod ibidem deberet interfici. et hoc per illius civitatis legislatores. Unde accidit quod unus de militibus suis. qui adamavit hospitam suam. cujus maritus erat legislator, illa vero hospita dixit dicto militi. quod diceret domino imperatori. ut se caveret. quia alias ibi traditorie occideretur, sicuti ipsa hoc audiverat a suo marito. Unde quadam die, cum dictus miles cum eadem domina hospita jaceret, ipsa tunc ploravit, dicens : « Ecce a modo non » videbo te, quia cras de mane hora consilii dominus imperator et omnes » sui in consilio occidentur, et sic tu eciam eris occisus. Et in signum » illius facti videbis, quod in prima porta loci consilii stabunt XII viri » armati. ubi solum solent stare sex sine armis; ita stabunt in secunda » porta XXIIII, ubi alias solum stant XII: et camera consilii custodietur » per quinquaginta viros. et omnes consiliarii erunt armati. » Et certe iste miles, factum mente capiens. revelavit domino suo imperatori, qui, prehabito consilio, altera die de mane, per duas horas ante horam consilii, intravit locum consilii, et reperit hos viros stantes sub numero predicto ad portas. Ipse enim imperator posuit ad quamlibet portam in duplo plures viros, volens ipsis resistere si potuisset. Hora autem consilii venerunt legislatores et consiliarii manu armata ad consilium, et volebant eum invadere; sed ipse caute evasit et portas exivit. Et ita, nisi fuisset ita premunitus. fuisset interfectus. Senenses autem. videntes quod imperator eva-

serat, captivaverunt imperatricem uxorem suam, et duxerunt eam in lupanar, in scandalum imperatoris; nihilominus tamen eam exire permiserunt. De quo dicti Senenses fecerunt magnam amendam imperatori Sigismundo, filio dicti imperatoris Karoli, dum proficiscebatur versus Urbem pro corona imperiali assequenda ab Eugenio papa quarto, prout, Deo dante, dicetur infra in gestis Sigismundi imperatoris predicti.

De obitu Johannis tercii ducis Brabancie, et ejus sepultura.
Cap. CXCVI.

Anno M° CCC° LV°, in profesto beati Nicholai [1], obiit Bruxelle Johannes 1355.
hujus nominis Lotharingie, Brabancie et Lymburgis dux tercius, sacrique imperii marchio, in habitu monachali; qui rexit annis XLIII, et est sepultus sicut monachus in ecclesia abbatie Vilariensis; cui successit in ducatibus et marchionatu Johanna ejus filia senior, juxta ordinationem ducis Johannis, genitoris ac patris sui prescripti [2].

[1] Id est die 5 decembris, non vero mense octobri, ut aliqui scribunt.

[2] Quum Johannes III mortem imminere cernenet, regnum Wenceslao demandavit, et proceres admonuit, ut ei uxorique ejus fidos se praeberent. Hujus ducis obitu gravem Brabantia jacturam fecit. Erat enim prudens ac providus, sagax in penetrandis aliorum consiliis et in obtegendis suis, bello strenuus, in adeundis periculis imperterritus, justitiae observantissimus, et qui minime ferret, a potentioribus inopes aut tenuioris fortunae quemquam injuria affici; quod verbo aut syngrapho pollicebatur, inviolabili fide ac religione praestabat. Quod aulae suae splendorem attinet, inter aevi sui principes vix parem habuit.

EXPLICIT LIBER QUINTUS HUJUS CRONICE.

TRADUCTION

DE

LA CHRONIQUE DE DE DYNTER,

PAR

JEHAN WAUQUELIN.

LIVRE CINQUIÈME.

TRADUCTION

DE

LA CHRONIQUE DE DE DYNTER.

LIVRE CINQUIÈME[1].

Pour ce que au devantdittes quatre livre j'ay tellement quellement escript des gestes de plusieurs souverains, évesques de l'église romaine, tant vrais comme faulx, des empereurs et roys des Romains, et d'aucuns gestes d'iceulx, en commençant au duc Henry de Bavière, premier empereur de ce nom et roy second, et continuant jusques à Willaume le comte de Hollande, roy des Romains, inclusivement; aussy des ducs de Lotringe, descendans de la génération des comtes d'Ardenne, et semblablement des comtes de Louvain et des ducs de Lotringe et de Brabant, descendans de la lignie tant des Troyens comme des mayeurs de la maison des Franchois, comme de Pepin et de Karlemaigne, des gestes d'iceulx, avec plusieurs incidenses, jusques à Jean, premier de ce nom, duc de Lotringe, de Brabant et de Limbourg, exclusivement: s'est-il que à ceste instance je ay en pourpos de au subséquent cinquième livre escrire, au plaisir de Nostre-Seigneur, aussi d'aucuns souverains, évesques, des roys et empereurs des Romains, et des gestes d'iceulx, en commençant à Alphonse roy de Castille, et à Richard comte de Cornvaille, frère du roy d'Angleterre, tous deux élus en discorde par les princes de Germanie, électeurs de l'empire, roys des Romains, successeurs dudit Willaume comte de Hollande et roi des Romains eslu, dont nous avons traité au

[1] D'après le MS. de M. Théodore de Jonghe, jusqu'à la fin à peu près du chap. XXXII. Les chapitres suivants, jusqu'à la fin de ce livre V^{me}, sont tirés du MS. num. 10229 de la Bibliothèque royale de Bruxelles. Dans le MS. de M. de Jonghe le cinquième livre porte en tête le titre suivant : *Annales de Brabant par m^e Edmond d'Intre, secrétaire d'Antoine duc de Brabant, depuis l'an* 1255 *jusques et compris l'an* 1425.

quart livre précédent, en continuant jusques à très-cher prince le seigneur monseigneur Karle quart de ce nom roy des Romains et de Bohême, estant roi des Romains, inclusivement, et jusques à ce qu'il fut couronné empereur, exclusivement; aussy des ducs de Lotringe, de Brabant et de Lembourgh et du saint-empire marquis, et des gestes d'iceulx, en commençant au devantdit Jean premier de ce nom, en continuant jusques à dame Jeanne la duchesse, aisnée fille et hoir légitime de Jean tiers de ce nom son père, lesquels veuille Dieu mettre en lieu de repos, et aussy jusques à mon sire Winceslaus de Bohême, son mary et époux, exclusivement, avec aucunes choses advenues en ce tems, et tousjours soub la correction de ceulx qui mieulx le sentiront.

Des trois généalogies des rois des Franchois [1].

